
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
3 G
14

558

558

2

ANDREAE FRIONI. Modronij de Republica emendanda Libri quinque, recogniti & aucti: Quorum

PRIMVS, DE MORIBVS.
SECVNDVS, DE LEGIBVS.
TERTIVS, DE BELLO.
QVARTVS, DE ÆOOEÆSIA.
QVINTVS, DE SCHOLA.

AD REGEM, SENATVM, PONTIFICES, Presbyteros, Equites, populumq; Poloniæ, ac reliquæ Sarmatiæ.

Quibus hac editione secunda accesserunt, præter alia:

DE ÆOOEÆSIA LIBER SECVNDVS, lectu dignissimus. Orationes item, & Epistolæ.

Cum locuplete rerum & uerborum memorabilium




INDICE.









BASILEAE, PER IOANnem Oporinum. 1559.

14 3 G 14

ANDREAS FRICIUS MODREVIUS SIGISMUNDO AUGUSTO REGI POLONIAE, MAGNO DUCI LITHUANIAE, RUSSIAE, PRUSSIAE, MAZOVIAEQUE DOMINO, ET HAEREDI, S. D.



OSTEAQUAM patri tuo, Regi uirtute & imperij gloria clarissimo, ac in omni dignitate principi, in magnum hoc & amplum imperium successisti, SIGISMUNDE Auguste rex: sanè quàm, pro eo ac debui (dicendum enim quod res est) solicitus esse cœpi, quonam modo tantam rerum molem ferre ac sustinere posses. Etenim si rem uerè existimes, difficillimum est rectè imperare. In hac uerò temporum perturbatione, tot tantisque nationibus & sermone, & lege, & more, & ordinib. & religione discrepantibus, rectè & ordine imperare, longè difficilius. Augebant solicitudinem nostram stridentes undique malorum procellæ, turbines, ac tempestates. Nam & Eous nobis minitabatur bellum, & Occiduæ undæ æstibus suis feruebant: & quocunque aspexisses, tuti nihil, formidanda omnia nunciabantur. Ad hæc undæ malorum domesticorum adeò immoderatione impunitatis & licentiæ exundarant, ut, nisi Deus nos respexisset, uix quicquam firmum fuisset ad illas in alueum reducendas, ac continendas. Sed factum est Dei beneficio, ut externa iam lętiora habeamus. Nam omnes qui metum nobis incutere uelle uidebantur, partim sponte sua, partim tua opera, ad amicitiam tuam se aggregarunt. Domesticis etiam malis medicina adhiberi cœpta est. Sed nisi ei summa manus imponatur, ipsaque malorum semina nisi extirpentur, incassum abibit labor omnis. Facilè enim renascuntur, & uires sumunt pristinas, quæ radicitùs non fuerint euulsa. Et quoniam oratio hæc hominis est nonnihil in schola uersati, fas mihi sit quæso, ex studijs nostris ea afferre, quæ seruiāt proposito: in primisque uerba illa usurpare, quibus Agamemnonem regem Iupiter, Somno internuncio, affatur, sic inquiens:

Tota nocte uirum regem dormire pudendum est,
Cui populi, cuius commissa negotia curæ Maxima sint. ——

Quamobrem & tibi uigilandum est, ut facis, Rex: ac pro repub. consilio & labore excubandum: studiaque omnia, cogitationes & curæ in ijs rebus ponendæ, quibus clauum tanti Imperij in maximis fluctibus tenere, & amplissimas ditiones in summis rerum difficultatibus tueri ac gubernare possis. Ad quam rem multa sunt quæ te

hortentur, Rex: sed in primis Respub. ipsa, multis in partibus perturbata. Nam & leges habet nonnullas, quæ iampridem multam emendationem exposcant: & iudicia sunt talia, ut maior in eis seueritas desideretur: & in moribus eius permultis dissolutio, leuitas, & uanitas magna apparet. Ipsa igitur Resp. abs te optat, hăcq; tibi, post initum abs te regnum, necessitatem imponit, ut hæc corrigas ac restituenda tibi existimes. Soleo sæpe & mecum ipse tacitus reuoluere, & cum amicis crebris sermonibus usurpare, generis tui in Polonicis his oris imperij exordia, progressus & successiones. quo pacto proauus tuus primùm in hoc regnum sit ingressus: quid ille, quid item alij ab illo prognati, alius post alium, regia præditi dignitate, pro Repub. gesserint. Video illos & in armis claros fuisse, & in toga res fœliciter gessisse. Populos suos ab hostib. defenderūt: nationes infestas uel profligarunt, uel in fidem & tutelam suam receperunt: uictorias multas obtinuerunt: imperium hoc & auxerūt, & conseruarunt. Neq; uerò in Sarmatia tantùm, sed in Hungaria, Bocemia, Silesia, Morauia, rerum habenas rexerunt: populosq; illos uario quidem Marte, sed tamen incredibili uirtute, temporibus periculosissimis, cùm ab alijs hostibus, tum à Turcica immanitate tutati sunt. Atq; utinam Deus consilia & res tuas, Rex, prosperet, ad quem cōtinuatio hęc, seriesq; imperij ab illis porrecta est: ut tu uirtute, qua maiores tui usi sunt, imperium hoc conserues, ac saluū & integrum posteris tradas. Hoc præstare nequaquam potes, nisi & domi morum grauitate, legumq; ac iudiciorum seueritate Rempub. administres: & foris eandē ab hoste fortiter tuearis. De quorum singulis, singillatim à me scriptum est: idq; pro mea facultate ostensum, quod uel rectum uideretur, uel medicinam morbis tum nouis tum inueteratis facere posset. Cùm autem sperarem non ingratam tibi fore hanc commentationem nostram, uolui eam tibi cognoscēdam proponere, atq; in tui nominis auspicio in apertū proferre: euentum quidem rei Deo ipsi, uti decet, permittendo. Rem difficilem suscepimus, & quæ personæ meæ uideri possit parum cōuenire: sed scholæ, cuius partes mihi sumpsi, hoc semper datū fuit, ut de rebus quibusuis dissereret. Non dubito autem, quin, si quid secus quàm res exigat, à me uel per negligentiam, uel per inscitiam tractatum sit, te mihi indulgenter cōdonaturum. Faciles enim sunt lapsus in rebus magnis: in quibus tamen conatus ac uoluntas non temerè reprehendi solet. In qua persuasione, sic mihi cœptam exhortationem continuare libet. Multæ insidiæ, multæ fraudes quotidie imminent innocentibus: improborum magnus ubiq; numerus: pauperes, mãsueti, imbecilles, opprimuntur à diuitibus, audacibus, robustis. Horum probra minasq; audire, tumidos inflatosq; uultus uidere, strictos gladios spectare, fustes, uulnera & cædes ferre

re coguntur. Tantam immanitatem,tãtorum ſcelerum tamq́ atrocium crimina à capite fortunisq́ ciuium tuorum propulſare nõ potes Rex,niſi morum,legum,iudiciorum emendatione, animaduerſioneq́ iuſta,debita, & ſceleribus conſentanea. Auctus es ultra paternum nomen Auguſti nomine,Polonis quidem inſueto & nouo, ſed tamen & grato, & ſecundi ominis pleno: quo Octauius imperator Romanus primus appellatus eſt,ſeu ab augurio,ſeu ab augendo imperium. Et certè Octauio auguſtum hoc nomen fuit, quod aucto imperio Romano ex uirtute illi partum erat. A' te uerò, Rex Auguſte,expectatur, ut tuum augeas imperium,non tam prouinciarum ac regionum acceſſione,quàm ſanctis moribus,ſeueris legibus,honeſta diſciplina. Multi affectantes regna externa,ſua periculis infinitis ſubiecerunt. Et eſt in ipſa cupiditate regnandi, inſatiabilitas quædam immenſa, ſi in animum ſui impotentẽ incidit. Porrò nihil eſt beatius, animo ſua ſorte cõtento. Tibi uerò imperium obtigit hęreditarium, idq́ ampliſsimum. Hoc ut Auguſte augeas, & ornes, contendere debes: idq́ noua quadam ratione, ut nomen hoc nouum eſt regibus apud nos, plebiq́ inauditum. Non hoc dico,ut te eſſe uelim illum qui

Imperium Oceano,famam qui terminet aſtris.

Nam hoc nemo unquam perfecit: nec fieri poteſt: nec eſt rebus mortalium utile. tametſi innumeri fuerint, qui regionum amplitudine gloriam ſibi dilatare cuperent. Sed ut (quod olim de Sparta prouerbio iactatum eſt) quam nactus es Sarmatiam, eam tuearis, excolas,& omni uirtutum genere exornes. In primis autem, ut decet ueræ uirtutis amatorem, artes quibus liberales doctrinæ continẽtur,ſtudio, liberalitate, & officijs tuis complectaris. Inſunt enim in artibus illis fontes & cauſæ ſapientiæ,uirtutum,legum,& honeſtæ diſciplinæ: quæ omnia quàm regno & prouincijs tuis neceſſaria ſint,non ignoras. Tuum eſt igitur, moribus corruptis ſubuenire,legibus emendandis operam dare,labenti diſciplinæ ſuccurrere: neque committere, ut per tuam negligentiam aditus ad nos hoſtibus externis aperiatur: qui certè maximè patefit moribus pernicioſis, crudelitate,iniuſticia, & alijs inteſtinis ac domeſticis ſceleribus.

Cùm autem præcipuum Reipub. fundamentum ſit, uitas hominum à cædibus iniuſtis tueri: ideo ſententia illa abs te, ætate ineunte de puniendis homicidis dicta, & à nobis in Laſcio copioſè explicata,iam tandem tibi exequẽda eſt,& uſurpanda. Dediſti illam ſententiam tanquam obſidem, tuæ in Rempub. præclaræ uoluntatis. Itaq́ uide ut expleas expectationẽ diuturni deſiderij noſtri: eaq́ ad exitum perducas, quæ & tibi decus,& nobis iucunditatem pariant ſempiternam. Occiſus eſt annos abhinc propè uiginti Zagorius à Parnicio,Petricouiæ,in cõuentu ordinum omnium. Quod,Rex,

pater tuus grauiter tulit, ut debebat, cædes enim tantùm non in cõspectu illius commissa uidebatur. Cupiebat Rex homicidam uel ex lustris, in quibus latitaret, extrahi: uel à fuga, in quam se fortè dedisset, retrahi: moxq́ comprehendi & puniri, nisi legibus patriæ impediretur. Audiuimus tum, questum illum grauiter fuisse rei indignitatem. Verùm inanes questus erant, quos punitio debita nõ sequebatur. Quot anni interea fluxerunt, quibus regnũ hoc sanguinolẽtum uiget: & ut imperante patre, ita te Rege, sanguine redundat? Sanguis effunditur: nec sacris, nec profanis locis parcitur: nihil est tuti à ferro: libidini paßim seruitur, fiducia numorũ, & carceris aliquot hebdomadarum. Quid igitur? expectas'ne Rex, ut curia & archiuum sanguine impleantur? Dij auertite hanc extremam pestem. Omnino lenitas hęc Dei diuturna, spem nobis facere non debet impunitatis: quę quidẽ lenitas prudentes & intelligentes excitare potius ad pœnitentiam & resipiscentiam deberet. Verè dixit Ethnicus scriptor: Lento quidem gradu ad uindictam sui diuinam procedere iram, sed tarditatem pœnæ grauitate cõpensare. Et Deus ipse edixit, se parẽtum iniquitatẽ persequuturum in filijs, nepotibus, & pronepotibus. Vide igitur Rex, ne diuturnæ patientiæ irã in nos, ac in te etiam effundat tandem Deus: uertatq́ in cumulum condemnationis nostræ, tot seculorum mansuetudinem, nisi resipiscamus, errata temporum retroactorum corrigamus, legem diuinam in nostram Rempub. recipiamus, nosq́ ad illius pręscriptum totos componamus. Quod quidẽ ut fiat, in manu tua, Rex, maximè positum est. Sunt enim & in Senatorio, & in Equestri, & uerò in omni ordine sacro profanoq́ quamplurimi, qui legi, qua de agimus, eum cupiant dari locum in nostra Repub. quem rebus omnib. diuinis: hoc est, summum & honestißimum, qualis scilicet decet authorem earum Deum opt. max. Cuius religione pura & syncera neglecta, nihil in Repub. pręclari, nihilq́ solidi & constantis ad perpetuitatem constitui potest. quemadmodum ipsemet præcipiendo dicit: Primùm quærendum esse regnum Dei, & tum fore ut omnia adijciantur nobis. Quòd si fortè scelus & ambitio aliquorum ea fuerit, quæ tua consilia impedire uelit: ne dubita uiuere Deum, qui prosternat hostes ueritatis suæ, quiq́ bonorum uirorum studia tibi adiungat: modò tu rem fortiter aggrediaris, teq́, ut decet, principem ad tantam rem profitearis. Ego quidem spero breui fore, ut Christus populi sanguine suo redempti misereatur: & illos ipsos carbones ignis, quibus tot secula miseri homines adurebantur, coaceruet tandem in capita eorum, qui, ut ex sua libidine agerentur omnia, & Dei iussa, & proximi amorem, & omnes æqui ac honesti causas abiecerunt. Vale. Calendis Martijs,

Anno 1551. Cracouia.


ANDREAS FRICIVS MODREVIVS SECRETARIVS REGIVS, SENATVI, PONTIFIcibus, Presbyteris, Equitibus, populóque Sarmatico S. D.



VOS ETIAM, uiri Sarmatici nominis, decet, ut operam hanc uobis huicq; Reipub. nauatam, boni consulatis: ipsi quoq; cõmodis priuatis omissis, in Remp. omni animi impetu incumbatis. Non eædem sunt partes, non eadẽ facultates omniũ in Rep. Alij sunt cũ potestate, alij priuati. Sunt qui consilio opẽ ferre possint Reipub. sunt qui re ac opere: quibusdam & res deest, & consiliũ. Quisq; igitur pro officio ac munere suo, proq; facultate rerum ingenij, consilij, gratiæ, studeat Reip. Quibus hæc desunt, hi uoluntatẽ adferant promptã & alacrem: faciant uota: hortentur uerbis: excitent laudibus: prosequantur gratis animis ac bonis ominibus laborantes pro Repub. in qua nimirũ res priuatorum omnes contineri putandũ est: & ad quam iuuandam hoc quicquid est cõscripsimus, ac uobiscum communicandũ duximus. Omnes cogitationes meas ad precationem illam dirigebã, qua nos uti uoluit magister morum, uitæq; largitor CHRISTVS IESVS: qua quidẽ precatione petimus à Patre cœlesti, ut sanctè colatur nomẽ suum, utq; fiat uoluntas sua, ut in cœlo & in terra. Nihil à me odio, nihil gratiæ datum, nullus personarum respectus habitus est: sola ueritas quæsita: honestas, & utilitas publica. Plus nimiũ & nostræ nationi tribueret, & aliarum gentiũ iudicijs detraheret, qui nostræ gentis omnia admirans tanquã bene constituta, aliena cõtemneret, ceu rebus humanis minimè idonea. Atq; hunc ego talem nolo libri nostri lectione occupari. Legat sibi domi suæ nata, celebret laudibus res moribus legibusq; nostris usitatas. Noster uerò liber postulat hominẽ syncero, liberali & prudente iudicio, qui alios non contemnat: quiq; nec sui amore, nec alicuius odio ducatur rebus perpendendis ac deligendis. Obuersatur mihi animo iusiurandũ, quod, cùm in eorũ collegiũ qui sunt Regi à secretis cooptarer, dedi: me (id enim in formula continetur) Regẽ, & eos qui sint cum potestate, cùm de noxijs, tum de utilibus ac honestis rebus, Reiq; publicæ necessarijs, quæ mihi quidem cognitæ forent, nequaquã celaturũ esse. Facio igitur pro uirili, quod sanctè facturum me recepi. Et morũ, & legum, & iudiciorum uitia ostendo: ordinũ diuersorum & actionũ abusus demonstro: ac rationẽ in uiam redeundi patefacio. Permulta fortasse ex schola magis, quàm ex aula affero: sed quæ tamen Reipub. minimè inutilia essent, si reciperentur. Assequutus ne sim quod uolui, iudicent boni & eruditi uiri. Nam malorum quidem & indoctorum iudicia, negligẽda sunt homini bene cupiẽti Reipublicæ. A uobis itaq; etiam atq; etiam peto, ut quod benignè & gratuitò uobis offertur, gratis animis excipiatis. Id & humanitas postulat, & gratitudo: id requirit remunerationis uicissitudo, ab alio ut expectes, alteri quod feceris. Valete.

ANDREAE FRICII MODREVII AD REGEM, SENATVM, PONTIFICES, PRESBYTEROS, Equites, populumq́ Poloniæ, ac reliquæ Sarmatiæ, Commentariorum De emendenda Republica Liber I. qui est De Moribus.

PRAEFATIO.



VI RES ab alijs tractatas scribere ipsi aggrediuntur, duplici nomine sua scripta cõmendare student: uel certius aliquid à se allatum iri pollicendo: uel quæ rudius ab alijs explicata sint, ea uerborum & sententiarum luminibus illustrando. Ego uerò, etsi nec inuentis eorum qui de Repub. scripsere, certius quicquam à me afferri posse sperarem: nec orationis copiosæ & elegantis ornatu abundarem: tamen hoc argumentum ideo tractandum suscepi, ut hominibus nostris quasi in una tabula proponerem, quæ mihi in nostra Repub. emendanda uiderentur. Non quòd ab alijs id melius & locupletius præstari posse dubitarem: sed ut ipse pro mea parte Reipub. seruirem. Est enim hoc, ut mihi uidetur, hominis literarum studiosi, cogitationes suas de ijs rebus, quę uel prosint uel obsint Reipub. cum alijs communicare: eosq́ uel ad probandum ea quæ dixisses, uel ad improbandũ, excitare. Sic enim sperem futurum, ut ij penes quos est potestas, multorum uocibus & quasi suffragiorum conspiratione, ad ea quæ recta sint, præcipienda, ea autem quæ peruersa, uetanda, facilè impellantur. Iam cum nihil unquam tam perfectũ ab ullo artifice prodierit, quin à posterioribus uel additum sit aliquid in opere illius, uel mutatum, uel diligentius elimatum: ne id quidẽ deterrere nos, aut quenquam debet, ut ocio torpescentes, non debeamus ad ea manum admouere, in quibus alios uidemus multum ante nos laborasse. Neq; uerò sum nescius, non omnibus me hac tractatione nostra satisfacturum esse, qui in multis ne mihi quidem ipse satisfaciam: uerumtamen dabimus fortasse alijs, aliquid certius perquirendi occasionem. Et tamen conquirere me omnia studuisse, quædam etiam fortasse inuenisse, intelligent, qui librum hunc nostrum legerint. Quòd si nihil noui à nobis allatum esset: tamen rectam uel sequi uel inquirere sententiam, iucundum est homini bene cupienti Reipublicæ. Neque me offendet, si cui non omnia probabuntur, quæ scripsi. C. Lucilium, hominem Romanum, dicere solitum accepimus, ea quæ scripsisset, neq; ab indoctißimis, neq; à doctißimis legi uelle: quòd alteri nihil intelligerent, alteri plus quàm ipse qui scripsisset. At mihi nihil optabilius, nihilq́ iucundius esset, quàm si co-

gitata

gitata hæc nostra à doctissimis quibusq; legeretur: ut si minus probarent quæ scripsissemus, haberent ansam uel reprehendendi nostra, uel ea inueniendi quæ nos latuere. Multas enim in Repub. nostra esse & consuetudines & leges, quę emendationis indigeāt, permulti sciunt. Nos uerò non eam tantùm partem quę ad leges pertineat, sed totam Rempub. complecti uoluimus: quid'q; de omnibus partibus sentiremus, ostendimus. Et ego quidem in tenui fortuna natus, agnosco, nec opis aliquid in me, nec præsidij in authoritate mea esse Reipublicæ: ueruntamen facere non possum, quin illi pro uirili & appellando omnes ordines, & hortando scriptis meis operam præbeam. Quod officium nostrum utinam eo animo accipiatur à bonis uiris, quo à nobis præstatur. Nihil enim ambitiosè, nihil nouarum rerum cupiditate, sed omnia Reipub. studio à nobis & dicuntur, & scribuntur. Quòd autem res peruulgatas nonnullas tracto, ab alijsq; uel fuse descriptas breuiter attingo, uel strictim indicatas copiosius explico, id methodi causa à me factum est: qua ad id peruenire uolui, quod mihi in primis tractandum proponebam. Et fortasse uidebuntur alicui nonnulla quæ scripsi, talia esse, quę hoc rerum statu facultatem uix habere posśint. Sed enim mihi illa ratio fuit, bonis scriptoribus arte & uia aliquid tractantibus (quos, quantum possum, studeo imitari) usitata, ut non tam ad tempora, & ad statum pręsentem, quàm ad rerum naturam respicerem. Neq; enim hominum arbitrio, neq; consensu, iustum & iniustum, bonum & malum secernūtur. Nunquam iustum erit, hominem innocentem occidere, falsum testimonium dicere: nunquam iniustū, gratiam benemerenti referre, ius suum cuiq; tribuere: quamuis uel hęc suffragijs hominum & consensionibus probarentur, uel illa improbarentur. Sed quemadmodum homo ipse, equus, arbores, & res aliæ conditę, natura constant, non hominū arbitrio: ita iustum & iniustum non in hominum opinionibus, sed in rerum natura posita sunt, inscriptaq; diuinitus in cordibus hominū. unde ipsi nō sermonibus tantùm uoce prolatis, sed cogitationibus etiam tacitis & accusant se mutuò, & defendunt: quemadmodum à Paulo illo coelestis doctrinæ nuncio & scriptore proditum extat. Multa scripsi ex sententia hominum prudentiśsimorum, quędam arbitratu meo tractaui: ac in pręceptis illam operum perfectionem pręscripsi, à qua me longiśsimè seiunctum esse non ignoro. Verùm quid uetat, quo minus uel pręscribam mihi ipse quod alijs pręscribo; uel (ut inquit ille) —*Fungar uice cotis, acutum*
Reddere quæ ferrum ualet, exors ipsa secandi?

Multis etiam uiam & rationem fortasse non ineptam indicaui, qua & ipsi cōmentaria huiusce modi conficiant, in quę comportent materiam aptam uel ex aliorum scriptis, uel ex suis ipsorum inuentis.

Dili-

Diligentiā quidem, studium & laborem inuestigandis istis tantum adhibui, quantum potui maximum: cæterùm, euentū & successum rei totum Deo permittere, æquissimum est: sine cuius ope nullus humanus, quamuis magnus, conatus, ad effectum perduci potest. Quòd si uolūtas sola in rebus magnis laudē meretur, existimo hoc officium nostrum, cum uoluntate benemerendi coniunctum, minimè uituperandum esse. Seruaui etiam illam legem, ut uitijs notandis neminem nominarem: ita ut nemo mihi irasci poßit, nisi se prius alicuius uitij reum confiteatur: conscientiaq́ alicuius probri perculsus, accuset ueritatis emersionem. quemadmodū noctua, ut est in fabula, solem orientem accusauit: cuius nimirum radios oculis suis nullo modo posset contueri. Et tamen ut solis exortus summas & infinitas commoditates affert uitæ mortalium: ita ueritas, quoties prodit ex tenebris errorū, maximis beneficijs afficit & ornat res hominum, deorumq́: cùm quidem error uel inueteratus, quemadmodum malum bene positum, fœditatem in se semper inclusam habeat: quamuis diu toleretur, & à nemine moueatur. Porrò, qui ueritati prodeunti non assurgat, nec eam debita obseruātia complectatur, sed & respuat, & auersetur: quem putabimus eum esse, nisi illius parentis prolem, qui mēdax est: mendaciumq́ à suis filijs coli uult unicè, ut eos tandem consortes faciat regni sui? Sed nos Præfatione omissa, de re incipiamus dicere.

CAPUT I.

Reipublicæ definitio.


PLACET igitur, quod uiri doctißimi in omni dispu tatione censent fieri oportere, ut rei, qua de acturi sumus, uim & naturam in primis describamus: definitionemq́ ab illis traditam, qui hoc genus argumenti ante nos tractarunt, usurpemus. Definiunt enim illi, Rempub. esse cōcilia, cœtusq́ hominum iure sociatos, ex multis uicinijs perfectos, & ad bene beateq́ uiuendum constitutos. Non enim Reipub. nomine una familia, aut una domus appellatur. Hæc enim est res priuata, suoq́ nomine dicitur res familiaris ac domestica: & eò pertinet, ut familia ac omnes domestici unà uiuāt, mutuasq́ operas cōferant ad res uitę necessarias. Qui primus est, ac imperium habet in eiusmodi familiam, uocatur Paterfamiliâs. Porrò ex familijs, & multis domibus, uici cōstituuntur: ex uicis uerò ac pagis, conflatur hæc ciuilis communio, quam Rempub. nominamus. Ac hominem quidē ad eiusmodi cœtus & congregationes colendas & celebrandas aptißimū esse, ratio & sermo indicant. Hæc enim beneuolentiam hominum inter ipsos maximè conciliant, quæ præcipuum est uinculū huius tam latè patentis societatis: in qua qui uiuūt, operas suas omnes, studia, laborem,

dili-

diligentiā & industriā cōferre eò debēt,ut bene sit ciuib. omnibus, utq; uitam omnes uiuere possint beatam. Habet enim se Respub. tanquam corpus alicuius animantis unum, cuius nullum membrū seruit sibi soli:sed & oculus,& manus,& pedes,& reliqua membra in commune quasi consulunt,muneribusq; suis ita fungūtur,ut bene sit toti corpori:quo nimirum bene habente, membris quoq; bene esse:incommodè uerò habente, membra quoq; incommodis affici necesse sit. Et quemadmodum, si quod membrum à corpore auulsum fuerit,nō amplius suo nomine dignum est,propterea quòd nec uiuere, nec officio fungi possit,nisi corpori adiunctum sit:ad eundem modum,nemo ciuium extra Remp. cōmodè uiuere potest, aut munus suum exequi. Neq; enim Rex regio munere, nec ullus magistratus officio debito fungi,nec aliquis priuatorum suauem et tranquillam uitam extra Rempub. diu agere potest. Quòd si quis est,qui sine societate hominum uiuere queat,nemineq; indigens se ipse contentus sit: is non ciuis,sed uel bellua,uel Deus putādus est, inquit Aristoteles. Sit igitur finis hic Reipub.ut ciuibus omnibus bene beateq;,hoc est (ut Cicero interpretatur) honestè recteq; uiuere liceat: ut dignitate ac commodis cuncti augeantur: ut pacatā & tranquillam uitam omnes degant: ut quisq; suum tueri ac tenere possit:ut ab iniurijs & cædibus nemo non sit quàm tutissimus. Harum enim rerū causa ciuitatū ac Rerumpub. præsidia quæsita sunt. *Arist.Polit.1.*

CAPVT II.

Reipublicæ diuisio.



RES autem memorantur à philosophis formæ Rerump. quibus pro eorum qui imperāt uarietate,uaria nomina indita sunt, & ea quidē Græca: Monarchia, Oligarchia, & Politia. Monarchiam, gubernationem unius appellant: quæ si ex legibus fit, Regnum: si ex libidine administrantis, Tyrannidem uocant. Oligarchiam,administrationem paucorum: quæ si uirtutem in primis spectet, eam nominant Aristocratiam,id est,optimatum gubernationem: sin quid aliud,ut uel opes,uel alia fortunę bona,nomen generis retinere uolunt,hoc est Oligarchias. Politiam, potestatem plurium, in qua honores & magistratus suffragijs multitudinis cōferantur,æqualisq; sit omnium de uirtutis gloria & imperio contentio: quod cum fiat ad honestatem & publicam utilitatem,communi omnium Rerump. nomine Rempub. dicunt. Commune enim est,quod publicum est:ut Respub. non aliud,quàm cōmunis omnium honestas & utilitas esse uideatur. Sin populus temeritate,ut fit, ducatur,ac improbitate rebus agēdis,nec omnium, sed pauperum in primis honori & commodis inseruiat,tum Democratiam nominant: hoc est,popularem potestatem. Optimum uerò

rò Reipub. statũ illum perhibent, qui ex tribus illis generibus permistus sit: regali, optimate, & multitudinis. hoc est, in quo regia uirtute omnia teneantur: optimis uiris summi honores tribuantur: omnibus ex æquo campus pateat & palęstra ad uirtutis laudẽ & gloriam. Talem fuisse politiã Mosis, diuinis literis est proditũ. nam illa gubernabatur potestate ferè unius, cui uiri prudentissimi addebantur: qui lites, negotia, onera Reipub. unà cum illo sustinerent. Et hi quidẽ & ex omni populo, & ab ipso populo eligebantur. Sic
Deut. 1. enim uniuersum populũ alloquitur Moses: Date ex uobis sapientes, & spectatæ integritatis uiros, uestrarum tribuum, quos uobis præfectos constituam. Itaq; Moses authoritate sua eos confirmabat, quos cũctus populus ex suo numero elegisset. id quod in ea patria, quæ communis est uniuersorum, & æquum sit fieri, & necessarium. Ad eiusmodi statum, quo quæq; Resp. propius accedat, hoc melior: quo magis ab ea recedat, hoc deterior putatur. Et hæc de definitione & formis Reipublicæ. Cuius diuisio illa in partes eam constituentes, quæ sunt, magistratus & homines priuati, horumq́; diuersitas, suo loco apparebit.

CAPUT III.

Quibus rebus conseruetur Respublica: & libri totius partitio.



NUNC, quo pacto rectè uel constitui, uel emendari, & ad perpetuitatem conseruari possit, exponamus. Omnis de Repub. quæstio tribus, ut mihi uidetur, partibus potissimùm continetur: quæ si bene constitutæ sunt, Respub. bene erit constituta. Earũ quidem partium una pertinet ad ciuilem hanc hominũ inter ipsos societatem administrandam, tuẽdam, & defendendam: altera, in religione Dei immortalis purè castèq; colenda: tertia, in iuuentute rectè instituẽda & erudienda posita est. Atq; huius quidem, quã tertio loco posui, causa, ludi literarij in oppidis omnibus, in pagis etiam permultis constituti sunt. Ex bona enim adolescentum institutione, omnes, aut certè potissimę commoditates, tam religioni quàm societati hominum nascuntur. Ideo & nobis, in hac de Repub. tractatione, quæstio de scholis prætermittenda uisa nõ est. nam de religione quidem, neminem opinor quæstionem hinc esse exclusurum. Nec enim locus, qui nos nascentes excipit, nec mœnia, quibus ab hoste tuti esse uidemur, nec ulla societas cum hominibus uerius dici potest patria nostra, atq; religio in Deum immortalem: cuius cultores Deus ipse multis præmijs ornat, contemptores autẽ punit & fame & peste, & igne, & eluuionibus, & bello, & politiarũ dissipatione. Igitur quoniam cœtus & congregationes hominum inter ipsos ante oculos omnium maximè obuersantur: non abs re fuerit, de his ipsis primùm disserere. quos quidem ipsos cœtus uel Rei-

Reipub. uel ciuitatis, uel politiæ nomine appellabimus: non quin hęc nomina ad cœtus sacros accommodari posint, sed quòd Ecclesiæ nomen hodie sacris cœtibus peculiariter attribuatur. cum quidem, si originem nominũ spectes, utrunq; & politiæ & ecclesiæ nomen, cœtui utrique, tam sacro quàm profano, cõuenire posit. Cœtus quidem ipsi ita se habent, ut uterque subseruiat utriq;, nec apud populum Christianũ profanus disiungi posit à sacro: uerùm quoniam rationes administrandi habent diuersas, magistratus etiam diuersos, ideo quemadmodũ alij fecerunt, & nos faciemus, ut de Repub. seorsim tractemus: pòst, ad ecclesiarum administrationem descendamus: postremò uerò, de scholis dicamus. Tribus in rebus Reipub. salus & dignitas posita esse uidetur: in morum honestate, iudiciorum seueritate, & in artibus bellandi. Quę tria ita se habent, ut Respub. artibus bellicis foris ab hòste defendatur: moribus autem, & iudicijs, domi conseruetur, & administretur. neq; tamen eodem modo utrisque. Mores enim sunt, quibus unusquisq; sponte sua uiuit, in societate hac hominum: seq; ipsum & res tum suas tum alienas tractat, cum approbatione uel omniũ, uel plurium, uel certè bonorum & prudentum: loquor enim de moribus bonis & honestis. Iudicia autem, in eos qui de morum uia deflexerunt, ideo exercentur, ut tandem illi faciant coacti, quod moribus & sponte sua facere recusarunt. Igitur tribus illis rebus bene se habentibus, rem ipsam publicam bene se habere: contrà uerò, quantum de aliqua illarum fuerit detractum, tantundem de salute & dignitate Reipub. detrahi necesse est. Neque ego ignoro, posse de his aliter dici: ac pro moribus uel uirtutem, uel officium, uel quid simile usurpari. uerùm res istæ & operæ sunt & laboris maioris, quàm ut hoc in tractatu à me descriptionibus explicari posint: & ab alijs præclarè descriptę, minimè indigent expositione nostra. Constat etiam mihi distributionis nostræ ratio quædam: quam spero me prudentib. uiris, qui ea quę dicentur, secum expenderint, probaturũ esse. Nota est Caii iurisconsulti sententia, Omnes populos legibus aut moribus regi. Et apud M. Ciceronẽ, Res ad usum ciuilem moribus ac legibus cõstitui. Et apud Sallustium, de Getulis: Hi neq; moribus, neq; legi aut imperio cuiusquam regebantur. Et apud T. Liuium: Tribuni plebis appellati, cum collegæ negarent se in mora esse, quo minus quod alicui more maiorũ permissum esset, seu legibus seu moribus mallet, anquireret. Et apud Fabium Quintilianum: Pleraq; in iure, non legibus, sed moribus constant. Et apud Horatium Flaccum:

π. de iusticia & iure. l. omnes. *Ad Heren. in Rhet. lib. 2.* *Sal. de Getulis* *Liui. belli Punici lib. 6.* *Quintil. de argumentis.* *Hora. lib. Car. 4. Ode 5. & 3. 24.*

Mos & lex maculosum edomuit nefas. Et eiusdem:
Quid leges sine moribus uanæ proficiunt? Et Ennij,
Moribus antiquis res stat Romana, uirisq;.

Et leges quidem ad ea referendę sunt, quæ rogationibus plebis-

ue scitis sancta, populo seruādi uitandi'ue causa proponūtur: mores autem ad ea instituta, seu ad eas obseruationes, quę sola hominū approbatione & usu diuturno inualuerunt.

CAPUT IIII.

Morum uim maximam esse: & de quibus moribus sermo institutus sit.

INITIVM tractationis de Moribus.



RINCIPIO igitur de moribus dicendū est: quorum uim maximā esse in omni uita, inde apparet, quòd & obseruantes illorū laudantur, & negligentes reprehensione non carent. Multa sunt, quæ ratione nulla nixa, moribus & consuetudine usurpātur: multa, quæ in more maiorum erant, hodie legis locum obtinent: pleraq; etiam praua & peruersa, & animaduersione digna, impunè fiunt, ac moris excusatione defenduntur. Sed enim ne oratio nostra uagetur & erret, intelligēdum est, bonis moribus regendam esse Rempublicam. Quantumuis enim inuaserint eam praui mores, nunquam tamen non incurrūt in uarias bonorū hominum reprehensiones. Administranda est igitur Respub. ijs moribus, qui consensu grauium ac honestorum uirorū probantur & laudantur, qui'que cum bonis institutis coniuncti sunt, aut certè sunt ipsa bona instituta. Ea uerò eiusmodi sunt, ut partim è recta ratione & intelligentia nostra, sponte sua in nobis existant: partim uerò, imitatione eorum qui uirtute singulari, grauitate & constantia præditi sunt, imprimantur.

CAPUT V.

1. Bonis moribus Rempublicam optimè gubernari. 2. Bonos autem mores & cognitione & consuetudine honestorum constare: contrà turpes ex ignorantia & malorum consuetudine maximè proficisci. 3. Consuetudinem honesti in moderādis affectibus peruersis positam esse. 4. Ac in habitu benefaciendi acquirendo. inde enim uirtutum genera emanare. 5. Ea autem consummari non posse, nisi frequenti exercitatione. 6. Tandem concluditur hic locus, maximam scilicet uim esse bonorum morum ad Rempublicam bene gubernandam.



T HIS quidem moribus Respublica optimè gubernatur: atq; haud scio an melius multo, quàm legibus ipsis. Etenim mores certa animi inductione conformati, magis nos in officio retinēt, quàm
1 uel ampla prēmia, uel pœnę grauissimę legū. Multi sunt qui pœnis non deterrentur, nec à furtis, nec ab homicidijs, nec ab alijs sceleribus: multi nimia auaritia ad opes malis artibus quærendas, multi ambitionis furore ad honores petendos

tendos impelluntur. Etsi uerò his postremis, hoc est ambitiosis, nulle legibus nostris: tamen illis prioribus, nempe furibus, homicidis, & alijs hominibus sceleratis, acerbæ pœnæ propositæ sunt. Qui quidem omnes, si bonis moribus imbuti essent: si & uitiorum fœditatem, & uirtutis pulchritudinem mentis oculis contuerentur: si uiderent, in quo posita sit uera honestas, & in quo uitæ turpitudo: si abiectis turpibus, ea quę honesta sunt, sibi in usum & morē transferrent: non certè uel in perpetrandis sceleribus feroces, uel in petendis quæ minimè decent, adeò insolentes essent. At dicet aliquis, orationem hanc nostram alios homines extrà requirere, aliam politiam: nostræ minimè utilem esse. Neminem enim unquā apud nos, imò ne apud alias quoq; nationes uisum esse, ijs moribus præditū, ut non sæpe peccauerit, ea quæ minimè oporteat uel appetēdo, uel perpetrando. Ego uerò fateri cogor, nihil in rebus humanis adeò sanctum esse & syncerum, quod homines à uitijs prorsus uindicare posit. Etiam illud adiungo, fuisse multos & uirtute & doctrina (ut uidebantur) præclara, qui se fœdissimis uitijs obstrinxerint. Sed tamen idem contendo, multa ab hominibus bonorū ignoratione cō mitti: multa ab eisdem nefanda, cōsuetudine malorum, perpetrari. Quid est enim, quod magis nos ad laborem & ad uerā uirtutis laudem excitare posit, quid in cursu optimarum actionum magis retinere, quàm cognitio & consuetudo rerum honestarum? contrà, ignoratione bonorum qui laborant, nullius officij munus constanter exereere possunt. Versantur enim in omni uita tanquam in tenebris, ignari quid agant, & quomodo agant. Sæpe pro honestis turpia, pro cognitis incomperta, pro utilibus damnosa, pro preciosis uilia consectantur. Et unde quæso tot abusus plurimarum rerū, tot perniciosa exempla, quàm uel ex ignorantia, uel ex rerum malarum cōsuetudine, & in Rempub. & in Ecclesiam irrepserunt? Sic enim habendū est, ut homo superat omnia animātia ratione, suntq; in eo quasi igniculi prudentię & uirtutis ad res præclarè gerendas: sic, nisi rationem ipsam excoluerit cognitione optimarū rerum, nisi igniculos illos uirtutis & sapientiæ usu & exercitatione excitauerit & inflammauerit, fit, ut in res contrarias honestati præceps feratur: nihilq; sit eo stultius, nihil impurius, nihil intemperantius, nihil sceleratius, nihil in omni cupiditate insolentius: nullaq; belluarum adeò sit tetra & immanis, quæ cum eius immanitate posit cōparari. Quid multis? ipsa mortaliū uita planū facere potest, quàm multa, quamq; grauia mala ignorantiam tanquam cæcitatem, & ipsam mali consuetudinem tanquam contagionem, consequantur. Vulgò receptum est, ut qui opifex canem interfecisset, is artem exercere desineret, ac tantum non infamis esset: qui hominem, hic locum obtineret suum, nihil de eius arte, nihil de existimatione decederet.

Aristotel. Politic. 1.

deret. Est & illud in legibus nostris, ut fures qui duodecim numos grossos sustulissent, uita priuentur: homicidæ, pecunia pro capite soluta, uiuant: atq; illi infames, isti minimè habeantur. Hæc an non ex prauo quodam hominum iudicio in mores & in leges abierunt? Ecclesiastica quoq; censura sacerdotium emere non sinit: ac in grauissimo scelere ponit, si quis ex pacto numeret pecuniã, ut in sacerdotij possessionem, sine molestia & litibus, posit peruenire. Interea profanis ministerijs, fauore, gratia multos in ecclesiam ingredi sinit: litigatores etiam istos res suas agere permittit, qui actionibus intentatis, conuicijs, largitionibus, dolis, fraudibus, & artibus non dicendis, sæpe uiribus & armis irrumpere uolunt in sacerdotium. Atqui minus malum erat, ex empto obtinere, homines non uexando, nec uiolando: quàm, cum multorum turbatione ac graui offensione rem quærere. Si hoc fertur, cur non illud? Si illud improbatur, cur non hoc? Hæc quoq; an non ab ignorantiæ radicibus ueniunt? Sed horũ tanta turpitudo est, ut palpari manibus pedibusq; posit. Sunt alia permulta adeò parua, ut non nisi à scientibus animaduertantur. Quæ nos, quantum facultas feret nostra, detegere constituimus. Prima igitur, & maxima unicuiq; debet esse cura,

3 ut de reb. rectè sentiat, & quàm fieri posit rectisimè iudicet: proxima, ut appetitũ rationi subdat. Non enim sine causa maximi philosophorum prodiderunt, uirtutes morum appetitui insidere: quę formare debeãt, motus & perturbationes eius sedando, eas ad mediocritatem reuocando, ac in ius & potestatem rationis subigẽdo: ne scilicet amor uel odium, spes uel metus, aut quæuis alia commotio, fines honesti egrediantur. Constat magnã partem libri sapientum præceptis, ad eiusmodi animi motus mitigandos pertinentibus: qui si nimij sint, notitiam ac iudicium mentis interturbant, aut etiam opprimũt, ut ne se proferre ac exerere posit. quemadmodũ Medea testatur inquiens: —*Aliudq; cupido,*

Mens aliud suadet. uideo meliora, proboq;

Deteriora sequor. —

Et ira quidem erat, quę fecerat, ut Medea esset impos sui. Veruntamen eiusmodi est omnis animi commotio, ut obicem opponat rationi, & bonis cõsilijs. Qui re iucunda commouetur, ad spem illius potiundæ, qui item ea potitus gaudet & exultat, ac uoluptate se replet, an putas eum recto usurum iudicio rebus agendis? Rursus, qui metuit sibi ab aliquo incõmodo, & qui illud iam perferens tristitia ac mœrore occupatur, an nõ & ipse de statu deijcitur? Videmus pauentes pallere, exultantes rubescere: illos turbari, istos animos sumere: neutros uerò eo uel colore uel animo præditos esse, quo solent, cùm affectibus ijsdem uacui sunt. Nam de iratis quid opus est dicere: qui sæpe obliuiscuntur sui, nec uident quę prę oculis sunt?

nullus

nullus ferè locus poteſt eſſe rationi apud eos, qui uindictæ cupidi-
tate ardent. Inuidētia in nobis naſcitur ex bonis alienis, quibus uel
omnino caremus, uel minoribus præditi ſumus: uel ſi paribus, ta-
men illos quibus inuidemus, in eo honore & precio eſſe nolumus,
in quo ipſi eſſe uidemur. Odiū ex timore & ira naſcitur: quod cùm
non aliter exagitet animum hominis, quem obſidet, quàm furia, nō
poteſt habere cum ratione commercium. Sed quorſum hæc? Vt
uideamus, hos eſſe quaſi hoſtes domeſticos noſtros, medullis no-
ſtris affixos: quorum in imperio non poſsit ratio conſiſtere. Præ-
clarè M. Cicero: Nulla eſt, inquit, tanta uis, tanta copia, quæ nō fer- «
ro ac uiribus debilitari frangiq́ poſsit. Verùm animū uincere, ira- «
cundiam cohibere, uictoriam temperare, magni animi eſt. Hæc qui «
faciat, non eum ſummis uiris comparandum, ſed Deo ſimillimū pu- «
tandum. Sed quod Cicero dicit de iracundia temperanda, idem ad «
alias animi cōmotiones transferendum eſt: quæ fermè omnes acer-
biſsimum exercent imperium in eos, quos ſuæ poteſtatis fecerunt.
Neq; id uerò in eos tantum, quorum animos occuparunt: ſed & in
illos erumpūt, qui quaſi curſum illarum interturbent. Interturbent
autem? imò ſæpe ſine ullo diſcrimine in quoſuis nec laceſſentes, nec
ulla re occaſionem præbentes. Quod in iratis uidemus, qui uirus
ſuū in illos primùm euomunt, qui caſu priores occurrerunt. Neq;
uerò eò noſtra ſpectat oratio, ut affectus ex homine prorſus excin-
di poſſe ſentiamus, qui à natura dati ſint, ut excitent nos ad agendū,
materiamq́ uirtutibus præbeāt: ſed ut, qui praui ſunt ac uitioſi (de
bonis enim iam non loquor, qui cum ratione conſentiant) uel ma-
turè ſopiantur, uel in rectum dirigantur, & in mediocritatē. Neq;
enim obſcurū eſt, quot & quanta mala exiſtere ſolent, ſi impetu ſuo
ferantur. ut ex ſpe, conſectationes rerum leuium, inanium, & ludi-
crarum, quas ſibi homines tanquam per ſomnium confinxerunt: ex
amore, ſtupra, adulteria, inceſtus, & infinitæ libidines: ex metu item
ac ira, diſcordiæ, rixæ, inimicitiæ, conuicia, uulnera, mutilationes,
cædes, ac inter uiros potentes bella & infinitę calamitates. Ergo cō
motiones ſi tolli non poſſunt, cohibendæ ac reprimendæ ſunt: nec
in deliberationes, nec in actiones ullas accerſendæ, cùm immodicè
efferuntur. O' quàm te (inquit Plato ad ſeruum, ira accenſus) cæ-
derem, ni iratus eſſem. Et Xenocrati interuenienti: Caſtiga hunc
puerum, inquit, nam ipſe ſum iratus. Diffidebat ſibi homo philoſo
phus, ſentiens grauem animi commotionem. Fumi enim ex ſangui-
nis feruore aſcendentes, maiora omnia uidentibus efficiunt, quàm
ſint re ipſa: quemadmodum ſol maior apparet, per fumos conſpe-
ctus. Itaq; differendæ ſunt conſultationes & actiones omnes tanti-
ſper, dum & ſanguinis ebulitio deferueat, & fumi reſideat, aut eua-
neſcant: quemadmodum aqua turbulenta, prius quàm clara fiat &

perſpicua, bibenda non eſt, ne ſalutaris potio uertatur in noxiam.
4 Opprimendis igitur, aut temperandis & coercendis affectionibus uoluntas noſtra corroboranda eſt, ut tantum uirium habeat ad res agendas, quantum ratio ipſa neceſſarium fore iudicauerit: ad cuius normam & pręſcriptũ, conſilia, & actiones noſtrę dirigendæ ſunt. Hinc enim prudentia illa exiſtet, totius uitæ humanæ optima rectrix: ad conſtantiã, ueritatem & grauitatem omnia reuocans, uirtutesq́ alias gubernans. Hinc iuſticia uirtutum clariſsima, quæ nemini iniuriam eſſe faciendam, ſuum cuiq; tribuendum iubet. Hinc temperantia, ab illicitis uoluptatibus nos auocans, licitis etiam tam gulæ quàm ueneris modum imponens, luxum omnis generis coercens, ac ordinem quendam & decorum in omni uita conſtituens. Hinc deniq; fortitudo, in periculis incidentibus conſtantiam & decorum ſeruans, & ipſa inter uirtutes ſplendidiſsima: quæ rerum æternarum ſcientia & contemplatione alitur maximè, & cõſeruatur. Qui enim æternas beatorum ſedes animo diligẽter intuitus fuerit, uitæq́ huius breuitatem, ac rerum humanarum inconſtantiam rectè ſecum perpenderit: is haud alios hortatores deſiderabit, ad pericula omnia, repulſas, & mortem ipſam, ſi qua neceſsitas eò uocauerit, ęquo animo perferendam. Neq; quicquam rerum pereuntium tanti faciet, ut earum cauſa uel fidem ſibi fallendam, uel aliquid uiro
5 forti indignum faciendum putet. Oportet autem ad cognitionem rerum gerendarum, perficiendi quod opus eſt, diligentiam ac conſuetudinem accedere. Nihil enim prodeſt intemperanti, ea quæ recta ſunt cognoſcere: nihil homini uiolento, leges iuſticię tenere: niſi & ille ad moderatè uiuendum, & iſte ad tribuendũ unicuiq; quod ſuum eſt, ſe aſſuefaciat: & quod principiò durũ factu arduumq́ uidetur, id exercitatione crebra maximè uelle, & in morem ſibi inducere ſtudeat. Etſi autem rectè illud dicitur, rationem eſſe, quę animi appetitus regere, ſuoq́ imperio ſubijcere debeat: ueruntamen experimur ipſi, fruſtra illam conari, niſi hic ſe præbeat obedientem. Quod aliter pręſtare nequit, niſi diu multumq́ aſſueuerit parêre. Aſſueſcendo enim comparatur habitus, de quo loquimur, uirtutis moralis. quę uirtus radicibus actis, ducit nos in mediocritatem illam, quę eſt inter nimium & parum: ut nec ſimus ſtupidi & uacui ſenſu, nec affecti quouis modo ſupra modum efferamur. Quemadmodum igitur non ſatis eſt, agricolam nouiſſe agri colendi rationẽ: neceſſe eſt eum munus & opera artis ſuę ſumma cum diligentia exercere, ſi fructus ex agro uelit percipere neceſſarios: non ſatis item eſt imperatori, tenere modos & rationes belli gerendi: niſi curam & diligentiam adhibuerit, ut omnia rectè & ordinè fiant, deſperare cogetur uictoriam: ita cognitio rerum honeſtarum manca eſt, ſine conatu & exercitatione efficiendi. Omnino qui inertię indulgent,
labori

labori non incumbunt (non enim loquor iam de ijs qui res agant contrarias cognitioni quam habeant, quos peiores esse constat laborantibus inscitia negotij gerendi: sed de ijs, qui docti & eruditi, nihil attrectent eorum quæ labore & sudore sunt comparanda) tales inquam, quamuis scientia & consilio ualeant, tamen quia exercitationem nullam adhibēt, agendiq́ue diligentiā, fit, ut id quoque quod natura studioq́ue illis est comparatū, diffluat, ac paulatim dilabatur. Et naturam quidem omni in re primas tenere, certum est: sine qua fœliciter nihil agi posit, nec in disciplinis percipiendis, nec in uirtutibus acquirendis. Veruntamen ea non satis est ad perfectionem, quacunque in re cōsequendam. Neque enim tam bona natura esse potest ulla, quin cura illius quasi excolēdæ intermissa, fiat uitiosa: quē admodū agri quamuis fertiles, uel non fructificant, uel herbas proferunt inutiles, nocentes'ue, nisi excolantur. Neque item tam ulla est mala, quin obeundis & exercendis officijs, ad frugem (quod dicunt) bonam perueniat. Adsit modò studium, ac firmum propositum, pectus uirtutis sitiens: rectaq́ue ratio author sit agendi, dux & moderatrix. Nulli prorsus desperandum est. Imò quo cuique ingenium contigit tardius ac obtusius, hoc maiore labore cōniti debet, ad illud exacuendū. Tardius forsan, aut minus consequetur, quàm uolet: tamen studium & assiduitas exercitationis efficiet, ne labor sit prorsus inanis. Nota sunt exempla Socratis, clarissimi philosophi, & Stilponis Megarei: qui summo studio, & summa in actionibus honestis contentione & constantia, feram naturam suam cicurasse, multis que & magnis uirtutibus ornasse ac cumulasse traduntur. Iam & in Euangelicis literis parabola de talento docet, dona mortalibus à Deo concessa, si studiosè curentur, confirmari & augeri: sin negligantur, amitti, & funditùs extirpari. ut non immeritò Paulus apostolus Timotheum suum hortetur, ad donum quod illi obtigisset excitandum, curaq́ue & consuetudine excolēdum. Cùm autem omnis ætatis intersit, discēdo assuescendoq́ue facultatem sibi comparare honestarum actionum: tum ætas prima sic educanda est, & instituenda, ut uirtutem amare, uitia odisse condiscat: ut ex his quasi seminibus consurgant olim arbores amplissimę, honestissimos ferentes fructus. Cuius enim animus ad eam rationem erit assuefactus, hic in muneribus uirtutum fungēdis, uel cum uoluptate, uel si ardua & grauia fuerint, non grauatim uersabitur. Huic minimè opus erit legum institutis: non præmia, nec pœnæ legum talem continebunt in officio. Ipse nimirum sibi erit lex: habebit in animo notiones rerum pulcherrimarum, habebit uolūtatem bonarum rerum exercitatione assuefactā. His ducibus in omni uita, inque rebus agendis utetur. Sed urgeat fortè adhuc aliquis, hominem inuentū esse nullū, qui ab omni eruditione paratus, ac exercitatione

Cic. de Fato.

Matth. 25.

2. Timoth. 4.

6

rerum honestarum auctus, ita se gerat, ut nõ sępe de uirtutis uia deflectat, ac labatur: turpius etiam lapsurus, nisi legum uincula timeret. Scio ego hoc nomine doctrinam infamari, ac omnem uirtutis cultum, quòd neminem sui cultorem ad perfectionem deduxerit. Verùm qui sic disputant, eadem ratione & legem diuinã, & omnes honestas disciplinas uituperent licebit. Quis enim hominum legi diuinæ ad unguem satisfecit? Quis ullius disciplinæ adeò obseruãs fuit, ut ab eius præscriptis non sæpe discesserit? Et tamen & lex diuina, & sapientię artes sunt, quo ad eius fieri possit, cognitione cõprehendendæ: ut scopum uideamus, quò consilia & actiones nostræ omnes sint dirigendæ: ad quem quo quisque propius agendo accesserit, hoc gradum altiorem tenere putãdus est, ad summã beatitudinem conscendẽdi. Conantem etiam ad summa peruenire, honorificum fuerit in inferioribus resistere. Est enim & in ipso conatu uirtus quædam: qui quò magis intẽdetur, hoc minus reddet hominem uitiorũ morbis obnoxium. Neq;, quia nemo omnibus uirtutum numeris absolutus esse uidetur, ideo minus ad uirtutem contendendum est: imò ita agendum, ut etiamsi conatum uires defecissent, simulachra tamen uirtutis habere satagamus. Verùm pios conatus numinis diuini afflatus nõ deseret: eorum præsertim, qui indesinenter preces illi fuderint, seseq; illi commendauerint. Sed nos palàm, ut uidemur, fecimus, secũdum naturam, maximam uim esse doctrinæ, exercitationis adminiculis fultæ: eaq; & intelligendi prudentiam acui, & agendi facultatem excitari ac confirmari. Voluimus autem locum hunc copiosius tractare, ut causas bonorum morum, atq; adeò uirtutum ipsarũ explicaremus: uituperationibusq; eorum responderemus, qui præcepta omnia pro nihilo habẽda, solique naturæ obtemperandum esse contendunt. Vt autem, quæ dixi, magis perspicua fiant, in ætatibus, personis, ordinibus, & rebus uarijs demonstrandum est.

Diuisio huius primi Libri de morib. & propositio dicendorum.

CAPUT VI.

Quæ cura debeat esse puerorum, ac iuuenum rectè instituendorum.



DUCAMUS autem orationis huius initium ab ea, cuius proximè meminimus, ætate puerili: quibus moribus ac opinionibus sit imbuenda, ut quasi fundamenta firma iaciat uitæ deinceps honestè, sanctè & laudabiliter degendæ. Nihil enim animis hominũ magis adhæret, quàm id cui à teneris consuescunt. Itaq; si quid eis noxij, dum adhuc molles sunt ac teneri, immisceatur, non minus in eis ad æternitatem ualebit, quàm si surculum ueneno inficias, qui in maximam arborem crescat: unde tandem fructus enascentes, & sint mortiferi utentibus, & seminibus nihilo melioribus materiam prębeant copiosam. Proponant igitur parentes

sibi,

sibi, prole sua informanda, memoriam & imaginem Christi, cùm obiurgatis discipulis, ad se puerorum accessum prohibentibus, sic eos affatur: Sinite pueros ad me uenire. talium enim est regnum Dei. Hoc pro certo habetote, qui regnum Dei nō acceperit ut puer, non esse in id ingressurum. Deinde eos cōplexus ulnis, & manibus eis impositis, eis bene precatus est. Nónne his uerbis, maximā Deo curam esse puerorum, liquidò significatur? quòs complectitur Christus manibus suis: quos precatione sua commendat patri cœlesti: ad quorum simplicitatem omnes uocat quicunque ingredi uelint in regnum Dei. Quanto igitur obstringunt se scelere parentes, qui rectam prolis institutionem negligunt, à se editę, regno cœlorum destinatæ? Quid est enim illud, propter quod Eli sacerdos cum filijs suis diuinitùs plectitur? an nō neglectus institutionis & regiminis boni? Qui uerò proli suæ scandalum afferunt, ac offensionē, an non præstaret eis, ut ille idem Christus loquitur, suspensa de eorum collo asinaria mola in maris æquor demergi? Curent igitur parentes, filios suos ijs institutis & præceptis erudiri, ut illi primis ab annis noscere incipiāt quid honestum, quid turpe sit, quid expetendum, quid fugiendum. A' uoluptatibus, in quarum regno uirtus consistere nequit, eos maximè arceant. Victus mediocritatē eis pręscribāt: qui sit facilis & parabilis, & uiscerum minimè inflammans. Feruet ętas illa calore insito, non opus est ignem addere igni. Iuuat id non tantum ad libidinem cohercendam, sed etiam ad corporis bonam & firmam ualetudinem, mentisque sobrietatem cōseruandam. Non tantùm autem ad cibi & potus mediocritatem, sed etiam ad frigoris & æstus tolerantiam, lectique duriciem (modò ne quid uiribus ac bonæ corporis habitudini incommodet: cuius curam geri oportet, ut animus bene habeat, sitque magis perspicax) eos assuefaciant. Hominum malorum consuetudine eis interdicant. Dicta & actiones eorum omnes ad decus, iusticiam, lenitatem, mansuetudinē & humanitatem forment. Turpitudinem autem, iniuriam, iram, inuidiam, fastum, luxum & immanitatem eos fugere iubeant. Garrulitatem eorum inhibeant: ex qua existere solet loquacitas immodica, & uanitas linguæ in omni ætate odiosa. Et quantum à rerum turpitudine, tantum à uerborum improbitate eos cohibeant. Rationem etiam dictorum & actionum ab eis exigant. Operæ precium fecerint parentes, si & uirtutis prædicatione, & exemplorum cōmemoratione stimulauerint teneram ætatem: & ingeniū eius melioribus laudibus extulerint quàm ueritas patiatur. quemadmodum Ouidius inquit: Mar. 10.

— Laudataque uirtus
Crescit, & immensum gloria calcar habet.

Illustres etiam sententiæ, quib. omnes linguæ abundant, de uirtu


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

te & officijs plurimùm ualet in puerili ingenio, dum adhuc purum est, nec uitiorum cogitatione contaminatum: qualis est illa, Esse oportet ut uiuas, non uiuere ut edas. & illa, Malè parta malè dilabuntur. & illa, Manus manū lauat: Vrbs seruat urbem. & illa, Virtute ambire oportet, non fauitoribus: Sat habet fauitorū, qui rectè facit. & illa, Ardua res uicisse alios: uictoria maior est animi, fluctus cōposuisse suos. & illa, Vt equorum ferocia cursibus & pabuli detractione domatur, ita appetitus exultantes laboribus & ieiunijs fręnantur. & illa, Quod facere turpe, id & loqui & cogitare inhonestum. Verè id quidem: rectæ enim actiones à recta uoluntate & cogitatione manent necesse est. Quamobrem parentes ut ad omnem uirtutis partem liberis suis aditum patefaciant, non tantùm ab actionibus uitiosis, uerbis turpibus, sed à cogitationibus quoq; rerū malarum eos q̄ maximè remotos esse uelint. Quod non alia ratione commodius efficient, quàm ocij interdictione. Ergo uideant, nè pueri puellæq; ociosi primos transigant annos: curent, ut semper laborent aliquid: atq; etiam pēsum laboris ab eis exigant. Nihil autem uetat laboribus miscere iocos, qui careant turpitudine. Ad hoc uel fabellę deligerentur, uel ænigmata, uel historiæ, quibus incitarentur ad laborem pueri: quorum segnitiem ac inertiam uerbis castigari, ab officio uerò procul recedentes ferula feriri par est. Noli, inquit Salomon rex sapientissimus, subtrahere à puero disciplinam. Si percusseris eum uirga, non morietur. Tu percutis eum, & animam eius de inferno liberas. Et quoniam sic sumus homines, ut post labores quæramus cessationem, ludos & animorum relaxationes: ideo curent parentes, ut ludi puerorum sint honesti. Quod erit facilius, si uel ipsi lusionibus eorum intererunt: uel aliquem ætatis grauioris probū uirum interesse uolent, quem pueri reuereantur, coram quo nec dicere nec facere quicquam ausint quod turpe ac inhonestum esset. Efficiendū autem quàm maximè, ne puellarum choris masculi adsint: præsertim cum iam pubescere cœperint. ætas enim illa suopte nutu fertur in libidinē. Cōsuetudines aūt, oblectamenta & ardores, quibus incenduntur in ętate illa, à cognitione honesti uacua, non possunt non esse flagitiosi: crescuntq; cum annis, et in reliqua ætate poni uix unquam possunt. Neq; uerò equitatio, nec pedestris agitatio, quę uel cursu fit, uel saltu, uel lapidū proiectione, uel ludo pilæ disciq;, nec alia exercitationum genera pueris sunt omittenda: modò hæc sint moderata. Quandoquidem corporis sanitas, ualetudo & robur, motu & exercitio mediocri firmantur, roborantur & crescunt. Contrà, si hæc sint nimia & uiolenta, corpus debilitant & eneruant. Docent autem medici, exercitationem eiusmodi uel ante cibum, uel sumpto cibo, multò pòst fieri debere: ne corpore repleto, cibus nō concoctus agitatione uitietur, prauosq;

tandem

tandem in corpore humores ac morbos etiam graues efficiat. Sed, ut dixi, sint omnes ludi honesti: nõ sint molles, lasciui, scenici, impudici. Iam quid alijs præstare pueri debeãt, docendi sunt, quid parentibus, quid ciuibus, quid Reipub. quibus rationibus societatẽ cum hominibus & concordiam tueantur: quomodo se gerant aduersus superiores, inferiores, pares: aduersus socios, amicos, cognatos & agnatos: aduersus magistratus, dominos, seruos: tum etiã aduersus hostes & inimicos: idq; priuatis & publicis in rebus. Omnium aũt maximè interest, teneram ętatem imbui religione Dei immortalis. Quod quidẽ Christus indicat uerbis suprà citatis, cũ iubet pueros ad se uenire, eisq; bene dicit. Monstrandus est igitur Christus pueris: & cognitio Dei illis instillanda, ut sciant à quo omne bonũ expectandum sit: cuius nutu omnia gerantur: qui sit uindex malorum, remunerator bonorum. Itaq; ad ædes & conciones sacras adducendi sunt, ut ritus & cæremonias cognoscãt, sacramenta uenerentur, precibus uacent: atq; ijs rebus studeant, quibus & summi Dei gratiam demereantur, & hominibus placeant. Remedia etiam sibi parent, quibus se muniant contra omnes diaboli, carnis & mundi huius insultus. Ingenio adolescentis cognito & perspecto, applicent eum parentes ad eas artes, ad quas naturâ eum ferri uiderint: ut earum artium rudimẽta noscere & amare incipiat, quibus deinde per omnem uitam, operam sit daturus. Quòd si fortè peregrè adolescẽs mittendus sit, eadem cura adhibeatur eo excolendo: serioq; cohortandus, ut nõ tam studeat quàm plurimos homines in singulis gentibus cognoscere, aut multorum familiaritates cõsequi, quàm quid apud exteros populos dignum sit bonis moribus, legibus, disciplina: ut id obseruet, ac domum reuersus exponere queat, ad res domesticas emendandas. Cùm autem non auribus modò, uerùm etiam oculis, ætas illa à maioribus natu, atq; in primis à parentibus discat, quid sibi faciendum sit: ideo studeant modis omnibus parentes, ut tales se ante liberûm oculos gerant, quales eos esse uelint. Certè nec ebriosus pater efficiet, ut amorẽ sobrietatis in filio excitet: nec profundens sua, nec uestitu nimio indulgens, frugalitatem liberis commendabit: nec uiolentus, nec in ira crudelis, nec sanguinis appetẽs, nec hominũ interfector, leges tranquillitatis, placabilitatis, aut humanitatis, natis suis præscribere poterit: cùm quidem pulchrum sibi tenera ætas ducat, uestigia parentũ sequi & imitari. Atq; hic uelim unusquisq; parentum se inspiciat, an non magna ex parte mores prolis suæ corrũperit? Magnatum filij pleriq; omnes nimis molliter, ac in magna uitæ licentia educantur: in choris puellarum, inter citharas & obscœnas cantilenas, inter assentationes tam familiariũ quàm pędagogorum, perpetuò uersantur: fastum & contumaciam imbibunt à primis annis: byssinas uestes prius cognoscunt, quàm

 fari

fari incipiant: mirantur aureas torques, numerosam familiam: meditantur ab ineunte ætate dominationem, pompam, dapes uarias, ultionem: nimiaq́ indulgentia neruos omnes mentis sanæ perdunt: & cùm parêre nunquam didicerunt, imperare concupiscunt. Ridiculè sunt inepti, qui pueris diuitum adulando, diuitias illis, potentiam, splendorē domus in qua nati sint, ponunt ob oculos: priusq́ animis illorum fastum & superbiā instillant, quàm ullam notitiam probitatis ac moderationis. Quanto hæc melius ignorarētur à pueris: eaq́ ab illis discerentur, quæ ad uirtutem faciant, uerumq́ laborem, potius quàm ista quibus redduntur insolentissimi? His enim moribus, hacq́ disciplina imbutos, nec ulli magistro transformare, nec Mercurio refingere, nec Vulcano recudere potestas est. quę cum lacte nutricis quasi suxerunt, ea per totam uitam persequuntur. Virtutis nomen in ore ferè habent: rem autem ipsam, quæ maximis laboribus comparetur, perpauci norunt, longè pauciores agendo attingunt. Sed ne plura, fortunæ indulgentia ac genus uitæ deprauatę efficit, ut eis nec pueris, nec adultis, nec uiris, nec senibus ad bonam frugem peruenire liceat: impeditis scilicet, plurimis uitiorum illecebris. Neq́ enim facile est, eum qui assuetus sit malefacere, nouum induere habitum benefaciendi (quemadmodum Aethiopi, pellem nigram in quamuis aliam mutare, non est facile) idq́ fieri nullo modo posse sine Dei beneficio singulari, oracula diuina testantur. Ergo & tot prauitates emendandæ essent, & rerum ueræ notiones in teneris animis inserendæ: cùm quidem nulla (ut dictum est, & sæpe dicetur) bonorū morū pernicies maior sit, quàm prauæ de rebus opiniones, ac ignorantia ueritatis. Nemo est autē qui ignoret, multa in hac parte desiderari, ut dixi, in parentibus. Quotus enim quisq́ est, qui liberos suos instituat: aut si id uelit, rationem teneat rectè instituendi? Nec est quicquam de hac re legibus nostris constitutum. Moribus tantùm receptum est, ut qui uelint liberos suos ad aliquam uirtutis laudem peruenire, eos uel in ludos literarios mittant ad magistros, uel in aulas principum, uel ad quemuis alium, cuius consuetudine putent eos fore eruditiores.

Hier. 13.

CAPUT VII.

Aulæ mores, & utilitates.



AC DE ludis quidem literarijs erit nobis alius dicendi locus. Nunc de aula, quæ non immeritò uideri posit urbanitatis & ingeniorū periclitandorum officina. Et certè sunt in aula permulti alienorum ingeniorum prudentes existimatores, qui facilè mores eius qui se illis dedisset, forment, & quasi recudant. Quod utinā semper, aut saltem sępius, bono fieret generis humani. Sed nescio quo modo mores aulici magna ex parte ad uanita-

tem

tem & ambitionẽ incubuerunt. In ſupellectilẽ, ueſtitum, epulas, luxum omnis generis, immanes pecunię impenduntur. Inuidię & inſidiarum plena ſunt omnia. Stultitia & maleuolentia multorũ perferenda eſt. Et qui præſtant alijs uirtute ac diligentia, iniurias multorum deuorare coguntur. Amicitiæ pleræꝗ omnes ambitioſę & fucoſæ, & quæ tam diu durent, quandiu uidemur gratiam potentũ obtinere. Etſi autem permulta horum communia ſunt aulæ cum reliquis hominum ordinibus: tamen quia aulici mores in oculis omnium maximè poſiti ſunt, ideo hic prætermittenda non erant. Plurima & maxima commoda ad cũctam Rempub. ab aula peruenire, atque ad res priuatorum, conſtat inter omnes: quippe cuius in tutela & præſidio ſint res omnes bonæ, poſſeſsiones priuatorum, cõiugia, liberorum procreatio & inſtitutio, honeſta diſciplina, hominum commercia, pax publica, ſalus & dignitas Reipublicę. Hę quidem res tales & tantæ ſunt, quæ caſu nullo modo gubernari aut defendi queant. Neceſſe eſt multis & præclaris uirtutibus præditos eſſe, uarijs & eximijs artibus inſtructos, qui tot & tantis bonis conſulere, easꝗ cum dignitate poſsint tueri: & quemadmodum Plato in ſuis Legibus reliquit ſcriptum, non boues bobus, nec capras capris, ſed utriſque hominum genus, multo illis præclarius, præeſſe: ſic cœtus humanos neꝗ bene regi, neꝗ ratione adminiſtrari poſſe, niſi ab excellẽtibus uiris, & quaſi ſemideis, qui ad Dei opt. max. bonitatem & prudentiam quàm proximè accedant. Omni igitur ſtudio connitendum eſt ijs qui publicam obtinẽt authoritatem in aulis, quiꝗ præſunt rebus humanis, ut uirtute & prudentia utantur, & publicis & priuatis rebus adminiſtrandis: utꝗ familiares ſuos, qui ſe ad ductum & imperium eorum applicarunt, ad omne genus officij inſtituant. Cantilenæ, epiſtolę, libelli muliebribus affectibus pleni, in delicijs habentur aulicis: & quos hæc nõ oblectant, illi ineptí eſſe iudicantur. Verùm intelligendum eſt, huiuſmodi delicijs animos teneros ad molliciem omnem delabi, ad honeſtas autem cogitationes actionesꝗ ineptos reddi. Corrumpunt enim (ut Paulus «
ex Menandro citat) bonos mores, colloquia mala. Maxima pars «
temporis conſumitur ab hoc inſtitutum uitæ ſequentibus, in teſſeris, amoribus, conuiuijs, compotationibus: alij cum ſcurris & aſſentatoribus multas horas tranſmittunt: ſunt qui nihil aliud quàm de fama & exiſtimatione hominum detrahere didicerunt, maledictisque & conuicijs alios inſectari. Quę quidem omnia, negotij inopia plerunꝗ fieri uidemus. Itaꝗ aſſuefaciendi omnes eſſent ad res aliquas agendas: & qui laborare nollent, ij (ut Paulus ait) ne manducarent. Eſt enim illa humano generi indicta mulcta, in ſudore cuiꝗ ueſcẽdum eſſe pane ſuo. Aiunt in moribus Turcicis eſſe, ut omnes, quantumuis diuites, ac genere clari, à primis pueritiæ annis arte

aliqua manuaria erudiantur: qua & corpus exerceant, &, si egestate premantur, uictum sibi parent. Nostris uerò aulicis nō tantum manuarias, sed & ingenuas artes callere, nimis plebeiū uidetur. Itaq; uiuitur in ignauia & socordia: quam sequuntur latrunculi, tesseræ, compotationes, libidines, & reliquæ aularum pestes. Sed ab his pestibus difficile esset iuuentutem cohibere, nisi uiri graues constituerentur, qui peruersos illorum mores notarent, ac seueritate aliqua castigarent. Ac de moribus quidem pueritiæ & iuuentutis, quàm solicitæ olim erant Respub. optimè constitutæ, magno argumento est puer ille ab Areopagitis damnatus, quòd oculos cōturnicum erueret. Fecerunt hoc iudices sanctissimi, non quòd coturnices tanti faciendas esse putarēt: sed quòd id malæ mentis indicium esse existimarēt, multisq; malo futuræ, si puer adoleuisset. Itaq; eum damnarunt. Tanti interesse putabant, peruersos puerorum mores punire. Nos ista negligimus, aut certè leuiter curamus. Neq; multum referre censemus, quibus moribus, aut qua quisque ratione primū ætatis tempus transigat. ideo etiam multorum ætatem prouectam deploramus. Fieri enim nō potest, ut ætas matura sit laudabilis, quæ fundamentis adolescentiæ parum rectè sit constituta.

CAPUT VIII.

Studia adolescentum qualia. & de exemplis ad imitandum proponendis: & epilogus superius dictorum.



OMNIBUS igitur adolescentibus, sed in primis ijs qui ad Rempub. olim sint accessuri, danda opera est, ut à primis annis quamplurima sibi cōquirant instrumenta rerum gerendarum, pectus'que suum imbuant optimis agendi præceptis, traditis à magnis uiris, usu'que rerum edoctis. Neq; existimet, ingenij celeritate & naturali quodā acumine expediri posse negocium omne. Opus est profectò arte & doctrina, ad controuersias implicatas: quibus explicandis honestius certè fuerit, te ipsum inspicere posse rei qua de agatur naturam, quàm ex sententijs aliorū semper pendêre. Sciant adolescentes, multum inter inertes & industrios, multum inter ignauos & fortes, in rebus agendis interesse. Cogitent, uerum decus non in generis nobilitate, non in diuitijs, non in pompa ministrorum, quæ bonorum & malorum communia sunt, situm esse: sed in ijs, quæ bonorum propriæ sunt, uirtutibus, prudentia, iusticia, temperantia, liberalitatē, cōtemptu casuum humanorum. Has uirtutes cognoscere & exercere assuescant: atq; ijs non sibi tantùm, sed alijs quoque consulere discant. Quoniam autem ætatis huius faciles sunt & multiplices lapsus, ideo & cum uiris grauibus ac prudentibus consuetudo eis habenda est, & exempla illorum qui existimatione bonorum uirorum probentur, proponenda,

nenda, moresq́ imitandi: idq́ & in bellicis artibus, & in urbanis. Hunc morem usitatum fuisse Romanis, significat Virgilius, cum dicit Pallanta à patre comitem fuisse datum Aeneæ:

—Sub te, inquit ille, *tolerare magistro*
Militiam, & graue Martis opus, tua cernere facta
Assuescat, primis & te miretur ab annis.

Significat & Cicero, qui se ad aulam Scęuolæ auguris, uiri principis, à patre primùm deductum fuisse disciplinæ causa cõmemorat, ut quoad posset & liceret, à senis latere nunquã discederet: pòst uerò augure mortuo, se ad Scęuolam pontificem contulisse, ut eorum prudentia fieret doctior. Egregiè hoc quidẽ à Cicerone, ut permulta alia. Neq; enim rationis uiam insistere, neq; uirtutum excellentiã ætate corroborata facilè extruere queas, nisi in adolescentia fundamenta illa ieceris præceptorũ & imitationis. Velim autem, ut uiri principes eas, in quibus Cicero uersatus est, aulas cũ animis suis cõsiderent: suasq́ etiam ipsorũ aulas non alio loco habendas statuant quàm scholarum uirtutum omnium, quarum quidẽ scholarũ se ipsi magistros & parentes esse profiteantur: neminemq́ ad eas admittant, nisi qui uel factis egregijs uirtutis suæ specimen dedisset: uel si rudis adhuc sit, & ignarus rerum, se tamẽ erudiri, & ad omne uirtutis genus assidua exercitatione formari uelit. Habeant igitur principes in his publicæ disciplinę scholis uaria exercitationum genera, quibus aulici erudiantur, & ad decus gloriamq́ excitentur. Proponant exempla clara & illustria fortudinis, iusticiæ, continentię, pudoris, pudicitiæ, ac reliquarum uirtutum: quæ iuuentus imitetur, suosq́ mores ad illa fingat & accommodet. Adiungant etiã tyronibus nonnullos pædagogos, qui illos & dicere & facere doceant: qualis Phœnix Achilli à patre Peleo datus erat. Sic enim ille ad Achillem: Tibi, inquit, à patre *— comes atq; magister*
Sum datus, ut præcepta tibi, rerumq́; bonarum
Verborumq́; darem: rebusq́; ut fortis agendis
Esses, & uerbis posses orator haberi.
Nondum etenim poteras primis hæc nosse sub annis:
Queis rebus laus magna uiris, & summa paratur
Gloria, bellorum meritis atq; arte loquendi.


Quid enim absq; hac seueritate disciplinę boni existere posit, docent mores aulicorum multorum, in id inprimis studẽtium, ut adulentur, conuiuentur, choreas ducant, meretricentur. Quamobrem si principes aularum, uolunt consultum rebus humanis, aut ad modum iam dictum suas aulas instituant, aut rationem meliorem inueniant, ut tandem habeant quos ex his scholis, doctos iam & exercitatos ad gerendam Rempublicam emittant: qui artibus Reipub. tum domi gubernandę, tum foris ab hoste tuendę in aula instructi,

in aciem tandem tanquam delecti heroes progrediantur: ubi partim iure dicundo, partim sententia dicenda, partim iniurijs propulsandis, partim patria defendenda, testentur, se aulicae disciplinae alumnos esse minimè poenitendos. Quod si cui haec quae dixi uana esse uideātur, huic quid tandem ad uitam honestè, magnificè, animosè & grauiter degendam necessarium uideri posit, haud sanè intelligo. Ergo tu tantùm illud discendum putabis filio tuo, quomodo compte incedat, quibus uerbis uel ad blanditias uel ad beneuolentiam utatur: quo gestu proceribus appellandis caput nudet, poplitem flectat: quibus ujs opes cumulet, domū sibi nitētem reddat, hortum bene cultum, supellectilem splendidam, ministros pulchrè uestitos: qua ratione ornet & apparet conuiuia, conuiuas excipiat, ad honores perueniat? Minimè uerò illi discendum censebis, quibus rebus instruat se ad uitae moderatum & aequabilem habitum, ad res secundas & aduersas aequo animo ferendas, ad causas & actiones humanas cognoscendas & dijudicandas: denique ad ea dicenda & agenda, quae & ipsum testentur moribus esse inculpatis, & eius domesticos uitę incontaminatę: omniaq́ ab eo fieri cùm honestatis causa, tum studio religionis & Reipublicae? Scilicet haec quae postremò dixi, talia sunt, quae nullo negotio discuntur, absque doctrinae praeceptis, absq; morum magistris: illa quae primò, opus habent exercitatione longi temporis, & doctoribus. Sed haec missa faciamus: neq; nobis tam inepta persuaderi patiamur ab ijs qui se non aliter suam inscitiam posse tueri putant, quàm doctrinae praeceptis infamandis. Nobis uerò sit ita persuasum, nullam morum pestem esse maiorem, quàm ignorantiam, & rerum malarum consuetudinem: contrà, nihil aequè conformandis moribus conducere, quàm si pectus onustum habuerimus optimarum rerum cognitione: nobis'que exempla probatorū hominum, quos uidemus, uel de quibus legimus, proposuerimus ad imitandum: atque ad praecepta ipsa usum adiunxerimus, optimum magistrum dicendi atque agendi. Et haec quidem de moribus adolescentum omnium, qui cum laude in Republica uersari uelint, generatim & uniuersè dicta sint.

CAPUT IX. DE REGE.

I. Causa regum constitutorum. II. Diuersa electionis & imperij ratio regū Poloniae, quàm aliarum quarundam nationum. III. Virtutes, quibus reges boni praediti esse debent, explicantur. 1. Prudentia, consuetudine doctorum, adulatorū uerò fuga: lectione item librorum tum sacrorum, tum ab alijs conscriptorum comparatur. 2. Temperantia, affectionibus animi & uoluptatibus corporis modū constituit. 3. Sequitur Iusticia: 1 Hac bonos praemijs, malos poenis afficere: 2 plus Reipub. quàm suae priuatae consulere: 3 Reipub. membra omnia curare, nec ulla negligere:

negligere: 4 æqualitatē inter ciues, superbia, arrogantia, & insolentia de animis eorum detracta, constituere: 5 uirtuti & dignitati omniū ex æquo consulere: 6 nullā Reipub. partem deserere: 7 delationibus non temerè credere: 8 inter optimates inimicitias non serere, nec potentiam eorum frangere: 9 Discordias inter ciues tollere, concordiā constituere: 10 fidem unicuiq, uel hosti quoq, seruare, iubet. 4. Ad liberalitatem pertinet, uidere cui, quid, propter quid, & quantū dandum sit. 5. Fortitudinis est, æquo animo omnia ferre, & secunda & aduersa: pro patria item, & re iusta, mortem oppetere. 6. Sequitur epilogus huius loci de uirtutibus, & de causis ac fine regum constitutorum. IIII. Non tantùm edictis & decretis, sed exemplo, rex regere debet. V. Negotia quoq, sua Deo immortali sedulò commendare.



NVNC de moribus aliarum partium Reip. dicamus. Incipiamus autem à regia potestate, quam maximè dininam esse putandum est. Dei enim, qui unus totius orbis rex est, imaginem in terra exprimit. Nemo potest eam potestatem sine multis & maximis uirtutibus fœliciter gerere. Et hæc causa uidetur fuisse, quamobrem homines olim parêre uni cœperint. I
Paucissimi enim semper erant in omni Repub. qui reliquæ multitudini multùm uirtute præstarent. itaq; quem unum omnium prudentissimum & iustissimum iudicabant, eumq; de tota Rep. benemereri posse sperabant, ad eum imperium deferebant. Deinde procedente tempore, hoc genus potestatis filijs regum mādari cœptum est: de quibus spes esset, non tantùm in imperium, sed in uirtutes & præclara patrum facinora successuros. Et id quidem apud nationes II
multas moribus & consuetudine receptum est, ut filij regum patribus in regnum & imperium succedant. Apud Polonos nō est satis, nasci filium regis. Eligi necesse est eum, qui hac summa fungatur potestate. Quod enim est gubernator in naui, hoc rex in regno esse uidetur. At nemo prudens gubernatore nauis ex genere eligendum cēset, sed ex peritia gubernandi. Neq; igitur ex genere reges eligendi sunt, sed ex scientia administrandi Remp. Cum igitur reges Polonici non nascantur, sed uoluntate ordinū omnium eligātur: non est fas illis ea uti potestate, ut uel leges condant, uel tributa imperent, uel aliquid ad perpetuitatem sanciant, suo arbitrio. Omnia agunt cùm ex ordinum suorum sententia, tum ex legum præscriptione. Rectius id quidem, quàm apud eas nationes, quarum reges & tributa ex sua uoluntate imperant populis, & bella exteris indicunt, & alia munera exercent. Quod etsi sæpe cum causa, & cum salute Reipublicæ faciant: tamen quia ex leges sunt, facilè ad tyrannidem illam odiosam delabuntur, cuius proprium est omnia ex libidine agere: cum quidem regia potestas moribus & legibus patriæ cogatur

 obtem-

obtemperare, & ex præſcripto earum imperare. Quamobrem re-
ges Polonici omnes (Boleſlao illo homicida excepto) ad extremũ
uitæ diem dignitatem ſuam obtinuerunt, ſemperq; inuicti habiti
ſunt: contrà quàm reges & principes multarum aliarum nationũ.
Quorum alij uel à ſuis, uel ab externis populis pulſi ſunt: alij ui ca-
pti,& armis:nonnulli inteſtinis ciuium ſuorum ſeditionibus uexa-
ti & afflicti: quidam etiam in acie ab hoſtibus profligati. Tulerunt
ſcilicet Poloniæ reges dignam moderationis & uirtutis ſuæ merce-
dem.Itaq; & nunc clara eorum memoria,omnibusq; grata, per ora
ac ſermones hominum fertur:& deinceps nulla unquam ætas futu-
III ra eſt,quæ de illorũ laudibus cõticeſcat. Omnino qui cum hac ſum-
ma poteſtate in Repub.rectè uerſari uelit,eum non ſatis eſt honore
& dignitate excellere:ſed prudentia etiam, alijsq; uirtutibus, cæte-
ros anteire debet. Prudentia experimentis uel noſtris,uel aliorum:
2 uirtus noſtris ipſorum actionibus comparatur.Nemo ſine pruden
tia nec ſibi rectè conſulere,nec alijs præclaram operam nauare po-
teſt. Habenda eſt itaq; regibus conſuetudo cum uiris grauibus &
prudentibus, ab eisq; conſilia rerum agendarum quærenda. Libri
3 etiam legendi. uix enim eſt uia, qua facilius ad ſapientiæ laudẽ per-
ueniatur,quàm legendo plurima,audiẽdo,& memoriæ mandando.
Multi principũ ueteris memoriæ memorantur,qui nullum diem ſi-
bi elabi paſsi ſunt,quo nõ aliquid temporis tribuerint lectioni. Do
ctis etiam uiris familiariter utebantur, quos obſeruabant, eisq; au-
res libenter cõmodabant. Aelius Lãpridius tradit, Alexãdro Seue-
ro imperatori Romano in more fuiſſe, ut nihil ſanciret ſine doctiſ-
ſimis & prudentiſsimis hominibus, quibus ſpacium ad cogitandũ
& diſquirendum dabat. & de iure quidem & negotijs, iuriſperitos
conſulebat: de re autem militari,milites ueteres, & locorũ peritos:
præcipuè autem ab hiſtoriæ gnaris requirebat,quid ueteres impe-
ratores in rebus ſimilibus geſsiſſent.Quod CAROLO V.Romano-
rum imperatori,& FERDINANDO regi,prudentiſs.& fortiſsimis
uiris,cùm oratoribus noſtris apud eos operam nauaremus, ſolẽne
eſſe,ipſi animaduertimus. Maximè autem regib. legendi libri ſunt,
qui de regno & repub.adminiſtranda editi ſunt. multa enim in illis
ſcripta extant, quæ non audent regibus populi ſubiecti dicere. Si-
tus etiam terrarum,mores omnium gentium cognoſcendi: & præ-
ſertim earũ,cum quibus res illis aliquãdo futura ſit. Turpe eſt eum
dici monarcham orbis, cui orbis cognitus nõ ſit. Quomodo enim
is quicquã cum illis rectè geret, quorum mores perſpectos non ha-
beat? quomodo bellum in illis terris fœliciter exercebit,quarum ſi-
tum ignoret,quibus rebus abundent,quid in eis deſideretur? Qui-
dam etiam,omnis memoriæ facilè principes, nullum doctrinæ ge-
nus omiſiſſe uidentur,in quo non multum ſe exercuerint. C. Iulius
Cæſar,

Cæsar, primus ille Romanæ monarchiæ conditor, de lingua Latina librum ad Ciceronem scripsisse fertur. idem dicendi gloria summis oratoribus est annumeratus. Sed hæc illis temporibus laus erat principum uirorum maxima, qui etiam rationes dicendi prodiderunt: ut Brutus, Crassus, Lucullus, Cicero. At, qui, & quanti uiri? in quali Repub. uersati? quantarum rerum gloria clari? Alexander Macedo adeò cognitione rerum physicarum delectatus est, ut cum Aristotele præceptore expostularit, quòd qua re inter mortales omnes excellere uellet, eam ille docendo & scribendo alijs quoque traderet. Mathematicæ disciplinæ ad Aegyptios reges inuentionem sui primam referunt: in quibus Iulius ille Cæsar intantum excelluit, ut anni supputationem (in qua olim uitio pontificum mirè errabatur) ipse ad cursum solis accommodauerit. Quę supputatio adęò omnib. probata est, ut nunc sit in usu toti Christiano orbi. CAROLVM etiam Quintum, qui nūc Romani nominis gubernacula tenet, ijsdem uestigijs ad gloriæ æternitatem insistentem, ab illa laude minimè abesse, argumento sunt spectabilia illa & elaborata opera, in quibus situs regionū, conuersiones cœli, siderū positus ac cursus expresi sunt. quæ quidem opera, quócunq; uadat, etiam in expeditiones, cum eo circumferri dicuntur. Pulchrum est enim, maximos principes ut imperij fastigio, ita rerum cognitione alijs præstare. Sed in primis, regibus & principib. lex diuina cognoscēda est, queadmodū Moses in Deuteronomio præcipit, his uerbis: Deut. 17.
"Posteaquam sederit rex in solio regni sui, legem Dei à sacerdotibus accipiat, eamq; omnibus diebus uitæ suæ legat, ut discat timere Deum, & custodire præcepta eius: à quibus nō declinet, nec ad dextram, nec ad sinistram, ut longo tempore regnet ipse, & filij ipsius." Profectò enim uerbo Dei multa rectè iudicatur, non tantum ad religionem, sed ad Rempub. & ad res priuatorum pertinentia. Erat tempus, cum qui regis fungebantur munere, uel philosophi erant, uel prophetę. quo quidem tempore Respub. optimè administratas fuisse, putandum est. Nunc multi principum nihil hæc ferè ad se pertinere statuunt. ideo & in legibus multæ prauitates, & in Reip. partibus omnibus uitia multa existunt. Et quam putas causam, cur conuentus exterarum nationum de religionis concordia habiti, ad nullū hactenus exitū perducti sint: nisi quia reguli, quibus res mandabatur, ex Scripturis nihil iudicare ipsi poterāt, aliorum narrationibus credere cogebantur: interea nihil nisi ex sententia sua definiri & concludi uolebant? Nulla est igitur compendiosior ad sapientiam perueniendi uia, quàm lectio librorum tum sacrorum, tum etiam à uiris eruditis conscriptorum: deinde consuetudo bonorum & prudentum, qui & salubria consilia dare queant, & ea quæ perperam uel instituta uel acta sint, reprehendere audeant. Profectò

eorum orationem suspectam habere conuenit, qui ad uoluntatem aliorum omnia, nihil ad ueritatem loqui didicerunt: qui neq; dicto, neq; re molesti esse nouerunt: sed uel omnia, etiam magna uituperatione digna tum dicta tum facta potentum approbant, laudant, admirantur: uel si quædam laudant, quædam uituperant, tamen utuntur oratione non satis rebus cōgruenti, sed in bonis metas excedūt laudando, in malis deficiunt uituperando. Omnino enim magis ueritas in dicendo, quàm artificium spectandum: & is optimè dicere putandus est, qui orationem rebus parem & congruam addat. Præclarè Agesilaus, Laconum rex, illorum sibi consuetudinem optandam dicebat, qui iucundi & suaues essent: sed ijdē pro re & tempore, tum contristare amicū, tum eidem resistere scirent: ab illis deniq; suas se laudes libenter audire solitum, qui ipsi ijdem re postulante uituperare non dubitarent. Fugienda est igitur omni quidem homini, sed maximè uiro Principi, consuetudo adulatorum: qui ipsi magno impedimento sunt, ne homo cognoscat seipsum. Omnibus certè hominibus hoc uitium innatum esse uidetur, ut adulatoribus delectentur. Cùm enim quisq; amet seipsum, sibiq; & tribuat ipse, & ab alijs tribui uelit, plus quàm æquum sit: fit etiam, ut adulatorē tanquam suarum uirtutum testem admittat, eiq; libenter aures patefaciat. Ex ignorantia igitur nostri, & morum leuitate, uitium hoc proficiscitur. Nemo illi facilè resistat, nisi cognitione sui, & amore ueritatis. Qui enim nihil in sermone atque oratione, nihil in moribus ficti, fucati atq; fallacis amabit: is certè nec alijs adulabitur, & aliorum adulationes facilè contemnet. Quòd si homines priuati, qui adulatoribus delectentur, uituperandi: quanto magis uiri principes? quorū animi falsis opinionibus imbuti, in probrosa facilè delabantur, monitores non ferant, peccati eos non pœniteat, ueritate offendantur, uanitate orationis gaudeant. Sed mores deprauati effecerunt, ut hoc uitium non alibi magis, atque in aulis principum regnet: adeò ut nemo bonus aulicus habeatur, nisi qui adulari, ad uoluptatem aliorum loqui, multa pro loco & tempore fingere sciat. Ita, quæ domus exempla uirtutum præbere deberet plurima, ea labem hanc nefandā infert, & perniciosam ueritati. Quocirca uitium hoc fugiendum est, ueritas & prudentia amanda: qua qui destituūtur, rerum potiti, miscent & perturbant omnia: ipsi'que tandem cadunt maximo rerum humanarum malo. Etenim fieri nō potest, ut sine prudentia Respublicæ bene regantur. Ea enim dux est & gubernatrix actionum honestarum, ac uirtutum omnium. Quarum uirtutum quatuor præcipuæ numerantur, temperantia, iusticia, liberalitas & fortitudo. Quæ omnes quidem omnibus ad beatè uiuendum maximè necessariæ sunt: sed regibus, qui populis imperant multis, multo magis. Nemo enim rectè alijs imperat, qui affectionibus

bus suis modum imponere non queat: qui iniustus, qui animo fra-
cto & imbecillo sit, qui idoneis hominibus indigentibus non liben-
ter de suo impertiatur. Dicamus igitur de singulis. Primùm de 2
temperantia seu moderatione, quæ animi perturbationes sedat, po
testatis habenas regit, rebus modum constituit. Verissimè apud
Sallustium C. Cæsar, qui de rebus dubijs consultent, eos odio, ami-
citia, ira atque misericordia uacuos esse debere, censet. Quòd si ani-
mos priuatorum decet consultando ac agendo ab ira, alijsque moti-
bus alienos esse, quanto magis principum? quorum & ira in crude
litatem facilè migret, aliæ quoque animi perturbationes paruo nego-
tio ad effectus suos perducantur. Omnino qui ipse sibi non domi-
netur, quique affectionibus suis seruiat, Domini appellatione est in-
dignus. Sibi enim quisque prius imperare debet, quàm alijs. Græci
uocant eiusmodi perturbationes πάθη, quasi passiones. patiuntur
enim animi, illarum quasi percussione: ac ne uerum cognoscant, im
pediuntur. Hinc principes illi in tragœdijs ira cæci, liuore furẽtes:
& cõmunis hominum uita testatur, quas rixas, pugnas, seditiones
excitare soleant, qui imperio eiusmodi perturbationum obtempe-
rent. Quo magis principes, & omnes qui sunt in magistratu, decet
ut ab illis caueant: animum ad ueram agendi rationem assuefaciãt,
ut fræna imperij rectè moderari, ac in actionibus cum laude uersari
queant, simulque à uoluptatibus corporis sibi temperandũ statuant.
hebetant enim illæ animi uires: hominem, qui se illis dedidit, de gra
du dignitatis deijciunt, atque à claris & honestis laboribus eũ abdu-
cunt, nec sui possessorẽ se diu frui permittũt. Testis est uita hominũ
& libri sapientum docent, rem ita se habere. Nos igitur hoc omisso
loco, ad iusticiam trãseamus. Cuius fruendæ causa, ut Herodotus, 3
Cicerone interprete, ait, olim bene morati reges constituti sunt. E-
ius proprium munus est, cuique quod suum est tribuere. & id quidẽ
duabus in rebus potissimùm cernitur: in præmijs & pœnis. Hodie
pœnarum ratio habetur aliqua, præmiorum modica. nisi fortè per-
sonæ aliunde commendatio accessit, quàm ex sola uirtute. Nam ho-
minibus tenui fortuna, uel si in omni uirtute excellant, nulla, aut cer
tè perexigua præmia proposita sunt tum ad opes, tum ad gratiam,
tum ad dignitatem. Quid est, alteram partem Reip. rectè gubernã-
dæ curare, alteram negligere, si hoc non est? Si omnes debitis pœ-
nis plectuntur ob delictũ, cur non omnibus æqua præmia soluun-
tur ob uirtutem? Solon enim ille in legibus Atheniensium scripsit,
non minus præmijs quàm pœnis Resp. contineri. Nisi enim boni
præmijs, mali pœnis afficiantur, Resp. diu stare non potest. Pœnæ
legibus apud nos comprehensæ sunt: præmia in honoribus distri-
buẽdis cernuntur. de utrisque, suis locis à nobis dicetur. Nunc illud,
quod in regibus in primis necessarium est, dicamus: ut maximè cha

ram

ram habeant Rempub. necq; ullam eius partem negligant, necq; tam suę ipsorum utilitati quàm publicę suorum populorum inseruiant. Apud ueteres quidem, quoties aliquis regis titulo honoratur, toties custodem populorum, pastorem'ue se uocari audit. quibus uerbis admonetur, ut quos regere uelit, eosdem quocq; pascere meminerit. At pastoris est, non tam sibi quàm gregi consulere. quod oraculis Dei proditum esse, Ezechiel diuinus uates refert his uerbis:
» Vę pastoribus, qui pascunt semetipsos. nonne greges à pastoribus
» pasci debent? & cætera, quæ uates copiosè commemorat. Quemadmodum igitur pastoris est, magis gregi quàm sibi consulere: ita regis, hoc est hominum præsidis ac custodis, est, non ad suas ipsius, quod est tyrãni, sed ad eorum quos regit commoditates omnia referre. Qui enim in Repub. plus suis commodis consulunt, ĳ personam uiri principis pro dignitate tueri non possunt: ad iniuriam faciendam sæpe aggredientur, potestas ipsa præbebit eis occasionem ad nocendum. Illud uerò quis non uidet minimè decere, ut cui totum corpus commissum est, is aliqua membra curet, alia deserat: ab aliquibus iniuriam arceat, ab alĳs minimè: plus nonnullis ciuium iuris tribuat quàm alĳs, maiorem in Senatu quibusdam præ cęteris authoritatem concedat. Quod quidem ut necessarium est, si cuius authoritas fundamentis prudentiæ, fidei & uirtutis est constituta: ita prorsus indignum, nullo rerum illarum respectu. Sequuntur enim illud partium studium, cùm incommoda multa & uaria, tum confusio & perturbatio officiorum: sæpeq; fit, ut qui negliguntur, uel negligant etiam ipsam Rempub. uel odio habeant: qui autem præter meritum dignitate aut commodis ultra alios aucti sunt, ĳ sint inepti muneribus Reip. aut non ita merentur de illa ut deberẽt. deinde inter ipsas partes fiunt iniuriæ, & uerbera, & cædes, & alia mala infinita. Cùm autem Respublica ex inopibus & locupletibus, ex nobilibus & plebeĳs, & ex alĳs ordinibus constet: efficiendum est regi, ut si concordiam ciuium uelit esse firmam, constituat inter eos, quoad eius fieri possit, æqualitatem, non quidem res omnes inter eos communes faciendo, aut diuitibus quod inopibus daret detrahendo, aut plebeĳs nobilium prærogatiuas concedendo, aut ordines confundendo: sed demendo de animis omnium arrogantiam, insolentiam, superbiam, & id genus pestes, societatem humanam turbantes. Videmus homines huiusmodi uitiorum pestibus infectos, odiosam quandam, tumidã, & Reip. maximè nocentem inæqualitatem palàm uenditare: splendida ueste, ministrorum comitatu, imaginum uetustate, ferro, bombardis, & gladiorum fulgore superiores se cæteris hominibus facere: hinc honores deposcere, magistratus ambire, imbecillioribus pauorem ac terrorẽ incutere: uirtutem ac dignitatem ĳs qui inferiores sint genere, potentia,

tia,opibus,magna ex parte detrahere. Hinc enim illæ uoces,& scripta mordaci felle tincta: plebeium sanguinem nec fauere, nec amicum posse esse unquã nobili sanguini.His uocibus, hisq; pestibus regnantibus,nulla æqualitas,hoc est humanitas,beneuolentia,misericordia,iusticia nulla esse potest in Republica. Contrà, detracta de hominum locupletũ diuitijs existimatione, de nobilium genere insolentia,de animis eorum qui potentiores sunt superbia,coæquabũtur superiores cùm inferioribus, ac in rerum uarietate animorũ paritas elucebit ordinum omnium. Non pœnitebit pauperes suæ paupertatis,nec plebeios sui generis:nec eos qui sunt alijs subiecti, suæ humilitatis. Omnino uirtus omnis,nisi in animis hominũ radices fixerit,in rebus externis fragilis & caduca apparebit. Adeò nec iusticia nec còncordia uera & stabilis est futura inter ciues,sine illa animorum æqualitate.Hanc in animis hominum efficere,planè regium est. Sunt qui regere,& regem dici, idem esse putent:quemadmodum pueris equo insidere idem est,quod regere equum:& dicere ius, idem quod in loco iudicis sedere: & agere præsidem, idem quod insignibus præsidis ornari. Verùm enimuerò uehementer pueros errare, & Phaeton ostendit,qui importunitate à patre obtinuit,ut currum regeret, suo quidem & rerum humanarum magno malo: & Cyrus puer,qui tunicis,inter quos non oportuit,commutatis,iniquum exercuit iudiciũ: & multi homines mali ac stulti, qui ornamentis & reditibus magistratuum gaudent, rem gerere nec sciunt,nec uolunt. Quid est igitur regem esse? Omnino, si uerum quærimus,non aliud est, quàm regere populos ditioni ipsius subiectos.Quomodo autem regendi sunt,nisi sapientia,& uirtute duce? illa ostendit rationes bene regendi, hæc uoluntatem addit efficiendi optimi regiminis.Cedò igitur,quomodo constabit ratio optimi regiminis, nisi paritas erit inter ciues constituta: quæ cùm esse non possit nec opum,nec generis, nec ordinum, necesse est eam constitui uitijs illis ex animis hominum depulsis, arrogantiæ, insolentiæ, superbiæ: ut quasi in membrorum corporis unius disparitate, mixtura appareat grata,& toti corpori conueniens.Quo autem magis per regẽ uitia illa ex Republica fuerint abacta,hoc putabimus eum non tantum corpora hominũ, ac res extrà positas, sed magis etiam animos regere & gubernare. Quod regiminis genus quanto difficilius, tanto præclarius existimandum est. Et certè hoc est homines uerè regere, animis eorũ imperare, pectora mulcere, ac fluctus perturbationũ sedare & tranquillare.Hoc fit partim sermonè prudenti,increpatione leni,exhortatione seria,quorũ rationes opportunius à nobis alio in loco exponentur: partim ijs nutibus ac gestibus,quibus homines moderati & humani regis beneuolentiã agnoscant:inhumani, tumidi & superbi indignationẽ experiantur. Igitur

tur rex ſuperbè aliorum dictis aures ne accōmodet, inſolenter factis ne arrideat, arrogantium hominū conſuetudine ne delectetur. Contrà, quo quenque modeſtiorem uiderit, & in dictis, & in factis, & in omni uita, hoc eum magis comprehendat. Petulantia uerò illa dicta, quæ inter ſanguinem plebeium & nobilem, hoc eſt, inter Reipub. quaſi corporis unius membra, diſcordiam, odiū & hoſtilitatem inducant, ex ſua Repub. omnino abigat. Non iam dico, ut ea puniat: nō enim de legibus nunc tracto: ſed dico, ut ne eiuſmodi ueſanas uoces nec apud ſe iactari, nec in uulgus ſpargi permittat, quia uanę ſunt, quia contumelioſę, quia in Deum & in homines impiæ, quia multorum malorum ſeminarijs refertæ. Certè etiam authorum ſuorum cogitationes infeſtas produnt. ferè enim fit, ut quo quiſq; ſit animo in alium, eo illum in ſe eſſe putet. Inde enim ſuſpiciones iſtæ oriuntur, & ſermones odioſi: quibus uigētibus, ſocietas uitæ conſtans & firma eſſe non poteſt. Neq; ſperandum eſt, ut iſti Rempub. in ſummis diſcriminibus unà defendant, qui ſic hoſtiliter de ſeſe mutuò & ſentiant, & loquantur. Ergo efficiendum eſt regi, ut uirtuti, ſaluti, & dignitati omnium ciuium ex æquo faueat, & conſulat: ut quemadmodum eſt communis populorum ſuorum dominus, ita communis ſit eorundem pater. Domini eſt, coercere ac punire inobedientes ſeruos: patris eſt, beneficum eſſe & indulgentem in filios. Vt igitur omnes qui regi ſubiecti ſunt, & timeant regem, quod eſt ſeruorum, & eundem ament, quod eſt filiorum, omnes ab eo coercendi ſunt qui deliquiſſent: qui autem in officio permanſiſſent, paternę beneuolentię ac benignitatis ſenſu complectendi. Et delectum quidem perſonarum ex uirtute facere, neceſſarium eſt gubernatori Reipublicę. cæterùm utilitatem, quam ex aliquo percipias, uirtuti præferre, prorſus indignū. Polybius, uir doctus, &, ut ſcripta eius indicant, multùm uerſatus in aula, ſcribit, reges neminem nec amicum nec inimicū natura habere, ſed utilitate amicitias & inimicitias metiri. Sed Polybius ſcripſit, quod in moribus regum deprehēdit, nō quod exiſtimaret fieri oportere. Quòd ſi priuati homines utilitate amicitias probantes, digni ſunt reprehenſione: quanto digniores ſunt ij, qui perſonas publicas gerunt? Nullus quidem poteſt eſſe reſpectus iuſti & honeſti, ubi omnia ad utilitatem conferuntur. Optimus igitur mos erit, ſi gubernatores eos ſibi & Reip. amicos eſſe putabunt, quos uiderint uirtutis ſtudioſos: inimicos, quos uirtutis hoſtes. quales ſunt homicidæ, libidinoſi, raptores alienorum, & alijs flagitijs inquinati: quorum conſuetudo & familiaritas notam principi aliquam inureret, maieſtate eius indignam. Quòd ſi rex totam Remp. charam habebit, nullamq; eius partem patietur deſertam: certè & illud faciet, ut omnia municipia, quę hodie Palatinatus uocamus, in orbem circumeat, ac

ſtatis

statis temporibus in eis commoretur. In hoc enim singulis municipijs additi sunt singuli magistratus, & singuli qui obeant ministeria regis, ut ne rex alijs locis neglectis, uno aliquo oblectet se: sed singulis se per uices ostendat regem esse cum potestate, in singulis certis temporibus regni solennia capessat, uota & querelas audiat, iudicia exerceat, ac omnia officij sui munera exequatur. Cognosceret hac occasione municipiorum omnium situm, locorum & arcium muniriones, & quàm sint rebus necessarijs instructæ ad aliquam uim hostium sustinendam: deniq; agrorum cultum, quid ferant, quid'ue recusent: hominum item studia ac mores, quos uel emendaret, uel tanquam censor notaret, ac in iudicium uocaret. Ociosos, ignauos, rei familiaris & cultus agrorũ desertores castigaret, ac ad officium reuocaret: in scelerate & flagitiose uiuentes animaduerteret. Iret hoc modo rex obuiam ocio, improbitati, & petulantię multorum: neq; eos libertate illa immodica, ac potius licentia diffluere pateretur. Multa rex uideret ac ageret ipse, multa uiris probatæ fidei committeret. Intolerabilis est illa præfectorum quorundam municipalium licentia, in plebe spolianda, in accessu ad regem denegando. qui quidem accessus etiamsi non prohibeatur: plus tamen præfecti uerbis fidei haberi solet, quantumuis noxij, quàm popularium multorum iustissimis querelis. Sed rex præsens in municipio, facilè omnia expiscaretur, nec sibi à præfecto imponi sineret, si eum causam seriò dicere, ac sine ullo personæ respectu eo loco esse iuberet, quo alij quorumuis criminum rei esse debent. Aurea secula è coelo, regnaq;, ut inquit Virgilius, Saturnia nobis redire uiderentur, REX, si morem hunc, desitum quidem, & longo seculorum interuallo intermissum, sed & sanctissimum, & Reipub. summè necessarium, renouares. In delationibus nominis alicuius, decet cùm omnem hominem, tum regem maximè, morem sequi Alexandri Macedonis: qui nemini delatorum utranq;, sed unam tantùm aurem pandebat: alteram delato integram seruabat: inde tandem, quasi inter duas aures medius, sententiam ferebat. Ergo si quispiam ad te secretò delatus est, uide ut delatum, per te aut quemuis alium, semotis arbitris admoneas: eiusq; uel confessionem uel excusationem audias, delatore tamen occultato. Singulari cautione opus est, ne delatoribus uel fides mox habeatur, uel uia deferendi prorsus pręcludatur. Et quemadmodum nimiæ credulitatis est, omnia quæ audisses pro certis accipere, qua insidiatores abuti possint malũ alicui machinãdo: ita omnibus aures claudere, imprudentiæ est. Multa enim sæpe per multos indicantur, ad cauendum tibi ac Reipub. pernecessaria. Itaq; principis est, nec delectari criminibus audiẽdis, nec fidem delationibus prius habere, quàm omnibus cognitis quæ contrà dici possint. Qui malicia aut studio nocendi deferre aliquem certis ar-

d gumentis

gumentis compertus fuerit, ne sit ei impune. Sed tamen *ita in eum* animaduertatur,ne cæteri à deferendo deterreantur:qui non alicuius priuato odio,sed Reipub.cui commodare uellent, amore, sæpe
8 de rebus multis principem commonefaciant. Illud etiam minimè est regium,sed prorsus tyrannicum,quod quidam potentiæ suæ stabiliendæ causa faciunt, ut uel causas inimicitiarum inter optimates serant,quo facilius quod optant,illis dissidentibus efficiant: uel animos eorum aliquibus iniurijs frangant, quòd qui animo sunt deiecto,non facilè obstent libidini aliorum:uel eorum potentes esse nullos uelint.id quod in Hungaria annis superioribus Turcam molitũ esse aiunt:dum & colonorum obedientia,& armis interdictis,nobilitatem in ordinem redactã uoluit. Similia sunt, aut etiam crudeliora, quæ memoria superiore Callimachum Experientem suasisse ferunt,Ioanni Alberto regi:quæ quidem omnia uel ad excidium, uel ad imminuendam ordinum dignitatem pertinebant. sed Rex optimus perniciosa consilia, & ad tyrannidem spectantia repudiauit: Remq́ publicam eodem statu, quo à maioribus acceperat, & ipse
9 conseruauit, & suæ posteritati prodidit. Omnino princeps Reip. author & custos debet esse pacis ac concordiæ inter ciues, controuersiarum uerò & discordiarum sedulus compositor. nec secus debet dolere dissensionibus suorum ciuium,quàm uel pater filiorum, uel caput reliquorum membrorum: cùm quidem ipse caput sit Reipub.suæ,paterq́ patriæ appelletur.Non potest esse corpus sanum, nec bene constitutum,in pugna cutis cum ossibus, pituitæ cum sanguine, genuũ cum cruribus,cordis cum epate. Nõ est uerus pater, qui filiorum discordias uel excitet ac alat,uel non curet tolli & extingui. Non est dignus principis regis'ue nomine, qui iniurijs afficit suos populos,odijsq́ eorũ inter ipsos & delectatur, & seruit rebus suis: quemadmodum pastor indignus est appellatione sua,cum oues dispellit,opimis pascuis abigit,ac ouilia miserrimis cædibus re-
10 plet. Est & illud iusticiæ munus, fidem omnib. seruare in rebus honestis.Nec enim aliter Respub.conseruari posset,nisi fide nõ modò ciuibus & amicis,sed etiam hostibus seruanda. Quamobrē Romani Annibalem perfidum,Pœnos fœdifragos uocabant:qui & fidem negligere,& fœdera frangere consueuissent.Memorandũ est, & ad recordationem triste exemplar Vuladislai regis Hungarorũ, tui patrui,Rex: qui cùm fœdus pacis, quod cũ Amurate rege Turcarum pepigerat, hortatu Eugenij papæ quarti rupisset, magnam sibi & regno suo cladem attulit. Cùm enim antea prælijs secundis cum Turcis semper dimicasset,pœnas tandem dedit fœderis uiolati. Nam & exercitus eius maximus & fortissimus, & semper antea uincere solitus,uictus est:& ipse interijt,Deo illo fœderum prȩside hanc ab illo pœnam expetente. Quanto melius Attilius Regulus, homo

homo gentilis, qui ne fidem pœnis datam uiolaret, rediit Carthagi-
nem: melius id & Reipub. utilius fore ratus, quàm si, fide neglecta,
mortē, quā sibi impendere sciebat, declinasset. Et hæc in pręsenti de
iusticia: de qua erit nobis secūdo libro amplior dicendi locus. Ad- 4
iungitur iusticiæ liberalitas, uirtus tam popularis, quàm quæ maximè:
& ipsa uiro principi in primis necessaria. Est autem liberalitatis, da
re cum dandum est, cui dandum, quantum, & propter quid dandū.
Itaque non abs re fuerit, de omni sumptu consilia cum delectis com-
municare: ac quicquid fuerit muneribus expensum, de eo, quem-
admodum de aliis sumptibus necessariis, ad præfectos ærarii ratio
nes referre. Nisi talis diligentia adhiberetur, annui reditus facilè
exhaurirentur: ueniretur'que tandem ad alienandos oppigneran-
dos'que reditus arcium, municipiorum'que: aut certè bello, aliaque
Reipublicæ necessitate imminente, Rex se turpiter daret. quod
non sine maxima & regiæ dignitatis imminutione, & Reipublicæ
iactura ac discrimine accideret. Et autem illud uerissimum: Pro-
digalitate opes minui, parsimonia augeri. Hæc de liberalitate. Ma-
ximè autem uiri principis est, rebus secundis non efferri, aduersis
non succumbere. In pace etiam, saluti & dignitati tum suæ, tum
suorum populorum ad perpetuitatem consulere. Fœlix ciuitas,
inquit ille,

Tempore quæ pacis bella futura timet.

Ergo regi curanda sunt omnia quæ ad bellum pertineant: arma
paranda, loca hostium incursionibus exposita frequentanda. Li-
bentius milites in ea loca confluent, in quibus scient regem suum
sæpe uersari: diligentiores erunt in officio: hostibus etiam erunt
formidabiliores. Denique pax constantior erit, & diuturnior ter
ræ, cuius principem uigilantem, ac omni tempore ad bellum para-
tum, exteris cognitum fuerit. Sed de bellis Tertio libro dicemus.
Et hęc de uirtutibus dicta sint iis quidē, in quibus reges, præter cæ- 5
teros, singulares & maximè excellentes esse debent. nam & omnib.
prudentiorem eum esse conuenit, qui consulere debet ac prospice-
re omnibus: & moderatiorem, qui omnes moderatur. Verè enim
illud dicitur: Quo maior quisque est, quoque pluribus imperat, hoc mi
nus ei, quod libeat, licere debere: scilicet ne summa rerum uirium'que
potestas, amplam ei suppeditet ac porrigat occasionem quoduis
perpetrandi. Est & hoc fortunæ regiæ munus propriū, uirtutem
liberaliter exornare: iusticiam inter ciues administrare: hostem uin
cere. Sine his, societas hominum inter ipsos diuturna esse non pos-
set: cuius quidem societatis cōseruandæ causa, potestas unius à mul
titudine expetita esse uidetur. Quamobrem sciant reges, se populi
causa, nō populū propter ipsos esse constitutū. O quanta uis est hu
ius orationis, si in intimos animi sensus ab eo qui imperet recipia-
tur.

tur. Qui enim princeps sua causa putat esse populi multitudinem, hic fieri non potest quin abutatur & populo ipso, & rebus eius omnibus. Facile est hoc uidere in multis, qui soliciti nihil sunt de rebus hominum sibi subiectorum: qui ut cupiditates expleant suas, & populum expilare, & grauibus oneribus premere, & commoda eorum auferre, & ea quæ ex fundis in quibus uiuant corrogarũt, alias in terras transferre, & quæcunque sibi libent ea perpetrare non dubitent. At princeps qui cum animo suo constitutum habet, se populo ipsius causa pręesse, hic nihil suum, omnia Reipub. esse putabit: eaque quę omnium sint, ex dignitate & utilitate Reipub. procurabit. Hic ob sua emolumenta cupidius nihil aget. hic bonum suum à bono populi nũquam segregabit. hic gloriam, honorem & fœlicitatẽ suam omnem in populi beata uita collocabit. Quod sic à M. Cicerone est scriptum perquàm luculentè: Ut gubernatori cursus secundus, medico salus, imperatori uictoria, sic moderatori Reip. beata ciuium uita proposita esse debet: ut gloria ampla, copijs locuples, uirtute honesta esse posit. huius enim operis maximi inter homines atque pulcherrimi, illum esse perfectorem uolo. Est igitur hoc munus uirorum principum, ciuium negotia omnia cognoscere: curas, labores, molestias, dissidia, contentiones, simultates, egestates, pericula belli, rerum denique omnium pondus sustinere: ac in his omnibus saluti & commodis Reip. prorsus incumbere: commoditates proprias nunquam ita procurare, quin eas publicis adnumerẽt. semper enim in bono communi reperient & suum. Quòd si hoc ab illo segregare contendant, næ illi Reip. prædones erunt, non custodes: euersores, non rectores. Certum est hoc. Hoc uita, hoc actiones testantur istorum omnium seu regum, seu regulorum, seu quorumuis præsidum, qui non se propter subditos, sed subditos sua ipsorũ causa factos, creatos, & in hanc lucem editos arbitrantur. Tantum ualet ignorantia ueri: pręsertim in ijs, quorum uoluntas impunitate processit ad summam licentiam.

Scipionis uerba apud Cic. in lib. 5. de Repu. Quæ refert ipse Cic. ad Atti. lib. 8. epist. 11.

IIII Quoniam autem nõ tam edictis & decretis homines obtemperant, quàm exẽplo ad res pręclaras excitantur: ideo principis est, se talem, regenda uita sua, præstare, quales populos sibi subiectos uelit habere. Mirabiles fortitudinis aculeos in animis militum suorum relinquit Imperator, cùm ita dicit: Eia milites, quod me uideritis priorem facientẽ, hoc quoque ipsi pergite facere. Contrà ignauum imperatorem, & delicijs luxuriantem, nullus militum quantumuis magnificè loquentem, libenter audiet. Paulus apostolus tanti facit disciplinam domesticã, ut ex hac magnum sumat argumentum futuri Ecclesiæ episcopi. Quomodo enim, inquit ille, ecclesiam Dei gubernabit, qui proprię domui præesse non nouit? Præstet ergo se princeps in omni uita talem, quales uelit esse populos suos. Nam, ut inquit ille,

— Componitur orbis
Regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus
Humanos edicta ualent, quàm uita regentis.

Magnam profectò necessitatem parendi imponit princeps populo suo, cùm non tantùm uerbis præcipit, sed exemplo præit omnibus, quasi manum porrigẽdo sequuturis. Hęc necessitas non ui quidẽ corporali, nec ferro (quod legum est ac iudiciorum officiũ) perficitur: sed pudore omnibus iniecto, ni faciant ea quæ principẽ suum uiderint facientem. Hac ratione princeps & aulam suam docebit, & magistratibus uirtutes gerendi res omnes commendabit, & presbyteros ad munus suum excitabit, & iuuentuti uiam monstrabit ad artes optimas perdiscẽdas, & subditos sibi homines prudentiores ac ad omne genus officij diligentiores efficiet. Parebunt ei omnes non inuiti, in rebus duris eum non deserent, & læta & aduersa communia sibi cum illo ducent: pro uiuo dimicabunt, cum mortuo cupient mori. Atq; in his omnibus uiro principi cogitandum est, omnia de quibus diximus, & quæ in eo requirantur, non tam esse humanarum uirium præstare, quàm diuini beneficij. Itaq; à Deo suppliciter petendum esse, ut in tanta rerum administratione aspiret auram benignitatis suæ. Neq; uerò in eo illc est acquiescendum, quòd sit legitimè nactus principatum. Nisi enim legitimè eo usus fuerit, nisi consilia & actiones suas ad Rempub. rectè regendam, ad iusticiam omnibus ex æquo administrandam, ad religionem summi Dei tutãdam conuerterit, nisi per uias mandatorũ Dei ambulauerit, nõ alio loco reputabitur quàm Saul ille rex Israelitarum: qui in illa gente erat & optimus omnium, & pulcherrimus, qui iussu Dei in regem est electus, qui prophetauit, qui cum omnibus populi Dei hostibus circumcirca fortiter bella gessit, ac multas uictorias reportauit. uerùm quia uiam præceptorum Dei deserebat, ideo & à Deo abiectus, & regnum Israelis ab eo scissum, alteri delatum: & à spiritu Dei desertus, spiritui maligno traditus est, & in prælio filios suos omnes uidit interfectos: ipse quoque uulneratus, sua ipsius manu est tandem trucidatus. Sed hæc omnia de Saule, notissima sunt ex historia sacra. Illud etiam de Ludouico Hungarorum rege, notius est quàm ut multis uerbis referendum sit: qui & ipse legitimè electus erat: sed quia iusticiæ parum diligens custos erat, choreis magis quàm serijs negotijs studebat, oppressorum iniurias nõ uindicabat, aliaq; regia munera negligentius obibat, ideo talem uitæ exitum habuit, qualem orbis Christianus semper mœrebit.

V

Lib. 1. Regum, capitibus diuersis.

CAPVT X.

1. *Senatus & Equestris ordinis legati, cur in consultando de Rep. adduntur regibus? 2. Regi cur summa potestas data in Repub. 3. Et hic de officio Senatus breuiter:*

uitur: 4. & de consiliarijs regis, qui illi adsint perpetuò: 5. & de secretarijs singulorum districtuum. 6. Regis est, ut consilio senatorum ipse adsit. 7. Concluditur definitio Senatus, sumpta ab officijs.



1 VM igitur uariæ propositæ sint pœnę regibus nō bene fungentibus officio suo, nullusq́; regum fuit qui solus omnia munera sustinere posset: est hoc ferè ubiq; moribus usitatum, ut ipsis regibus Senatus & multi magistratus addantur, qui cum eo Remp. administrent. Quod & Moses princeps populi Dei fecit, qui consilio Iethronis Madianitæ affinis sui, elegit multos uiros principes, cum quibus potestatem suam communicaret. Fecit & Darius Medorum rex, qui & ipse satrapas principesq́; multos constituit, in quibus Danielem Hebręum esse uoluit: qui cum eo res omnes administrarent ac regerent. Apud Polonos, ultra Regem & Senatum, plurimum ualet Equester ordo: à quo mitti solent ex singulis municipijs certi legati, qui etsi ius dicendæ sententiæ non habēt, tamen de multis rebus necessarijs referunt ad Senatum. Decreta etiam omnia examinant: ut si quod Reip. noxiū esse uideatur, huic intercedant. Itaque nullæ leges apud nos, nisi legatis municipiorum subscribentibus, ratæ habentur. Videntur esse eo loco, quo apud Romanos erant Tribuni plebis. Cum enim in uulgo desideretur semper prudentia, grauitas, constantia: dabatur negotium delectis uiris, hoc est Tribunis, sententijs Senatus intercedendi, atq; prouidendi ne quid Resp. detrimenti acciperet. Vidimus ipsi multa præclara esse cōstituta apud nos, ordine Equestri approbante: multa noxia reiecta, eo improbante. Quod utinam perpetuum esset. Sed aliquando uisi sunt plus nimium ordinis sui amantes: nec tam Remp. curare, quàm libertates suas tueri, quod in iniquissima lege homicidiaria apparuit. Itaq; uideant legati, ne per eos Respub. maximum aliquando detrimentum capiat, cum ordinis sui & dedecore, & summa calamitate. Sed hoc omen Deus obruat: in hancq́; mentem uniuersum Equestrem ordinem impellat, ut illi sui amore posthabito, uniuersam Rempub. hoc est omnes homines in hac uitæ societate nobiscum uiuentes, complectantur: omnium curam suscipiant: omnium uitas, commoda, dignitates tueantur. Quod cùm erit factum, tunc iustissima causa apparebit, quamobrem ut Senatorius, ita Equestris ordo additus sit Regiæ potestati. Sic enim habendum est, neminem unum esse, qui uel consilio, uel operis suis totā Rempub. sustinere possit. Et quemadmodum unusquisq; plus duobus oculis cernit, melius duabus auribus audit, duabusq́; manibus & duobus pedibus plus negotiorū conficit, quàm si uteretur uno oculo, una aure, uno pede, & una manu: ita omnibus, quibus multi populi & infinita negotia cōmissa sunt,

Exo. 18.

Daniel. 6.

Similitudo, Arist. Polit. 3.

necesse

necesse est, multorum oculis & auribus, & pedibus & consilijs uti, ad res rectè & ordine gerendas. Quæ causa mihi fuisse uidetur, quamobrem regibus ac principibus iure gentium summa potestas data sit in Rep. quos nimirum in summo dignitatis gradu constitutos, ac omnibus suis populis consulentes, non unius aut paucorum consilijs in rebus agendis uti oporteret, sed multorum hominum: eorundemq́ & optimorum, & prudentissimorũ, quorum illis maior quàm cuiquam alij copia esse posset. Etenim si rectè iudices, minimè hoc ferendũ esset, ut uni alicui homini, qui & ignorantia multarum rerum laboraret, & humanis affectionibus obnoxius esset, summa Reipub. committeretur. Sed cùm regia potestas multorũ præstanti uirtute & prudentia niti debeat, æquum uisum est ut ea unus fungeretur, qui ipse omnes regeret. Facilius enim unius imperio paretur, quàm plurium: facilius unius impetus & refrænantur, & quò nõ oportet ruentes retrahuntur, quàm multorum. Æquum itaq; uisum est, ut unus quasi caput alijs mẽbris, quod factu commodissimum iustissimumq́ esset, præscriberet: decreta de rebus agẽdis faceret, & exequeretur: dubia & incerta explicaret: quẽque ciuium in officio contineret, ac meliorem, quoad posset, efficeret: deniq; pacis cum honestate tum domi colendæ, tum foris ab hoste tuendæ, dux & author esset. Si enim plures in eadem Repub. cũ hac potestate essent, inextricabiles persæpe existerent difficultates: dum quisq; quod sibi rectum uideretur, id ad effectum perduci uellet. Nec uerò à talibus res in ordinem deduci possent, nisi primùm inter se consentientes ac unanimes essent. Adeò nec popularis nec optimatum administratio munus suum tueri potest, nisi quasi imagnem monarchiæ primùm induat: aut certè rerum summa (quod Romæ & in alijs Rebusp. temporibus periculosissimis usitatum erat) ad unum aliquẽ deferatur, quem quidem Romani Dictatorem appellabant. qui, excepto quòd ad tempus imperitabat, quid aliud quàm rex erat? Roma etiam, quæ post Tarquinij tempora regiam potestatem tanquam aliquam pestem exhorrebat, experta sæpius quàm grauis esset & exitialis dominatus, plurium quorum bellis intestinis diu uexata esset, summa uoluntate ad Augustum imperium detulit: edocta nimirum multis argumentis, melius esse ut unus supremã gerat potestatem, q̃ plures pari gaudeant, qui inter se dissentientes, factiones excitarent, nec alicuius imperio coerceri possent. Hinc illa uox per Valerium Messalam, senatus & populi Romani mandato ad eum missa: Quod bonum, inquit, faustumq́ sit tibi, domuiq; tuæ Cæsar Auguste, senatus te cum populo Romano consalutat patriæ patrem. Cui lacrimans respondit Augustus his uerbis: Compos factus uotorum meorum, Patres conscripti, quid habeo ad Deos immortales precari, quàm ut hunc consensum ue-

Suet. in Octav. c. 58.

3 ſtrum ad ultimum uitæ finem mihi perferre liceat? In primis aũt curandum eſt, ut Senatorius ordo ſit quàm optimè cõſtitutus, qui ſecundũ regem ſummus eſt in omni Republica. Conſtat apud nos ex omni ferè genere magiſtratuũ,& ordinis ſacri & profani. Quã obrem ſumma diligentia regi adhibenda eſt magiſtratib. legendis, ex quibus receptum eſt cooptari Senatum: hoc eſt, ſummum Reipublicæ conſilium, publicæ ſalutis & dignitatis cuſtodem, regis ac principis ad pulchra & honeſta excitatorem, à turpibus ac inhoneſtis dehortatorem, prauarum eius affectionum moderatorem. Sine cuius quidem Senatus conſilio, ſententia, authoritate, nihil publicè
4 nec domi nec foris agi fas eſt. Præter Senatum ordinarium, qui de ſumma Reip. conſultet, qui'q; non niſi de grauibus rebus, id'q; ferè in conuentibus uniuerſorum, cogi ſoleat, conuenit regem habere familiares aliquos, qui nunquam ab eius latere diſcedant: cum quibus de rebus omnibus deliberet, & omnia cõmunicet quæ ſint factu neceſſaria: imò, cùm etiam cogendus eſt frequẽs ſenatus, cum quibus de præſenti negotio diſputet in utranq; partem, priuſquam referat ad Senatum. Fert hoc rerum natura, mos populorum, & inſtituta, ut quiſq; hominum habeat, quibus cum familiariter utatur: quibus cum de rebus ſuis prius conſilia communicet, quàm ea proferat. Quanto magis principem decet habere, quibus ſe & ſuas deliberationes prius aperiat, ac uiciſsim illorũ ſententias audiat: quid' ue fieri poſsit, quid minus, de illis exploret? Hoc modo & de aliorũ ſententijs rectius poſtea iudicabit: & diſsidente Senatu, quod ei melius & Reip. utilius uiſum fuerit, facilius deliget. Sint autem familiares regis, qui ad ſecreta admittantur colloquia, fide & taciturnitate præditi. Multa enim eueniunt incommoda ex conſilijs prin
5 cipum, temerè & ante tempus euulgatis. Sunt monarchæ, qui rebus ac negotijs tum extraneis tum domeſticis prouinciarum ſuarum, dent ſingulos conſiliarios ac ſecretarios, qui negotia ſibi demandata curent & cõficiant. Laudabilis mos, & uiris principibus, qui prouincijs ampliſsimis præſunt, & qui cum nationibus diuerſis cauſas communes habent, percommodus. Etenim cùm unus aliquis cauſas ſuſtinet omnes, tum & ipſe ferundo oneri parum ſufficit, & res tardius eunt: & quorũ cauſa agitur, ſumptus maiores facere, plus'q; temporis perdere coguntur. Cum uerò quiſq; curat quod ſit ſui muneris, negotia citius melius'q; expediuntur: nec unus infinito cauſarum labore obruitur: homines etiam & municipales, & externi, minore cùm ſumptuum tum temporis iactura domum reuertuntur. Vacante loco alicuius eiuſmodi ſecretariorum, ſeu morte, ſeu alia cauſa, non id ſibi monarchę ſumunt, ut ſuo arbitratu alium ſufficiant: ſolent enim impediri multorum petitionibus, ut non quem uelint, quamuis idoneum, deligant, ſed qui eis obtrudatur.

tur. Itaq; tota potestas eius rei est cęterorum consiliariorum, ut ipsi deligant, & in locum uacantem reponant, quem putauerint maximè idoneum. Par autem fuerit, Regem adesse præsentem consultationibus Senatorum de Republica. nam præterquam quod melius ingenium suorum, sententijs quas dicant audiendis, perspiciet, & cui quisq; rei sit magis aptus cognoscet: causam etiam ipsam, qua de agatur, planius & uberius intelliget, decretumq; quod magis sit è Rep. longè commodius faciet. Quid uerò in contrarijs Senatorũ sententijs regi faciendum, & numerandæ, an uerò proderandæ sint sententiæ, infrà, cum de Senatusconsultis ferendis agetur, ostendemus. 6

Nunc de munere Senatus pergamus dicere: sine quo, uti diximus, nihil fas est agere regi in Republica. Eius enim arbitrio leges conduntur, iudicia exercentur, bella administrantur. Magnum est hoc munus atq; onus, & haud scio an omnium longè maximũ, se Reip. custodem, tutorem & defensorem profiteri, ac prę se ferre. Nemo existimet se cum dignitate in eo uersari posse sine magno ingenio, usu maiore, prudentia longè maxima, sine sententiæ pondere, sine consiliorum multa & exquisita ratione. 7

CAPUT XI.

Quid deceat Senatum, atq; adeò omnes cõsiliarios. ut 1. dicendis sententijs omnia circumspiciant: 2. extemporalitatem uitent: 3. perturbationibus animi non obtẽperent: 4. primam rationem honestatis semper habeant: 5. aliorum rectis sententijs candide assentiantur: 6. quod rectum esse sentiant, id loqui audeant: 7. plus ponderare sententias quàm numerare studeant. 8. Sequitur epilogus.



1 RECTE igitur uiris principibus, qui tantam rerum sustinent molem, præcipitur, ut animis intentissimis, diu multumq; & simul omnia considerent, in omnes Reip. partes penitus introspiciant, negotium de quo futura sit consultatio cognoscant: tempora, loca, personas, rerum præsentium statum perpendant: semper aduocent in consilium rationem: res superiores cum præsentibus conferant, atq; ex illarum similitudine rebus futuris consulant, inq; ijs meditãdis multum temporis collocent. Ideo Homerus indignũ esse putat uiro primario, totam domire noctẽ: cuius tutelæ populi commissi sunt, & in cuius cura pendẽt momenta rerum maxima. Atq; hanc sententiã tanti facit uir ille, ut eam non alicui Græcorum accommodet: sed Deum opt. max. introducat, qui eam proferat. Quod quidem præceptum cùm ad omnes pertinet rectam uirtutis uiam ingressos, tum in primis ad summum hoc Reip. consilium: ut quod tempus uulgus profanum dat comessationibus & lusionibus, hoc illi partim quieti dent, partim consilijs inquirendis Reip. rectè gubernandę. Qui enim totam noctem uel stertentes, uel epulis & potationibus inseruientes, ueniunt impræmeditati in publicum cõsilium,

lium, hi profectò culpa uacare non possunt. Ergo necessariũ fuerit consiliario, Reip. uitia quibus laboret, atque ea de quibus sit futura consultatio, prænosse, ut ad consultandum dicendum'que sit probè
2 instructus. Omnino enim extemporalitas illa dicendi de rebus maximis, fugienda est. Etenim à consiliarijs nõ tam celeritas exigitur, quàm sententiæ pondus: quod certè iustum esse non potest, nisi præuisis & circumspectis pluribus rebus, ut ex ijs eligatur id quod sit maximè necessariũ. Iam extemporalitas illa si studiosè captetur, ab ostentatione magis quàm à recto iudicio uidetur proficisci, neq; uanitate uacua esse potest. Fit enim ferè, ut quæ semel ab aliquo sine præmeditatione dicta sint, ea cum temeritate defendantur. Quod cùm in omnibus reprehensione dignum sit, tum magis in uiris principibus, qui de rebus maximis dicant sententias: eas'que non tantum ratione, sed authoritate etiam ualere uelint. Rectè igitur Alexander Seuerus, imperator Romanus, in consultando, ne quis imparatus responderet, spacium ad cogitandũ dabat. Quamobrẽ qui de rebus grauibus data opera ex tẽpore & loquantur ipsi, & alios loqui uelint, ostentatores sunt iudicandi: qui autem negotijs non rectè prius expensis, ueniant in Senatum, hoc est in templum & sacrarium Reip. hi sciant, se Deo meritas daturos pœnas malè gestæ
3 Reipublicæ. Quid uerò de illis sentiendum est, qui in hoc sacrarium ueniunt animis gladiatorijs: ita ad iniustè nocendum alicui parati, ut id uel suo periculo tentare non dubitent? Non potest animus ira, odio, uel aliqua perturbatione incitatus, nec ratione regi, nec ueritati assentiri. Non potest nec rectè iudicare, nec uerum consilium liberè dare, qui ipse sui iuris non est, prauis seruiens affectibus. Nam quę obsecro crudelior dominatio esse potest, quæ tyrannis acerbior, quàm iræ, odij, doloris, effrænatarum cupiditatũ, libidinum, & illegitimorum appetituũ: qui lucẽ animi obfuscent, libertatem uoluntati eripiant, hominem'q; qui se illorum permisit imperio, huc atque illuc rapiant? Ergo & commotiones animi prauæ, uiris principibus comprimendæ sunt, ac tanquam in gyrum rationis ducendæ: & dissensiones uitandæ, quæ ex ira, odio, & alijs perturbationibus exultantibus & turbulentis existere solent. Multa exempla nostrorum superiorum'que temporum docere nos possunt, graues calamitates & rebus publicis & priuatorum ex seditionibus procerum importatas esse. multos enim sectatores habent, qui se illis adiungant: cum quibus, ueluti coadunatis copijs, & in foro, & in Senatu, & ubi possunt, odia inter se intantùm exercent, ut alij in aliorum perniciem uideantur incumbere. Nec uerisimile est, ut reditus illorum in gratiam, quamuis frequentes & illustres, fiant bona fide, qui minimo momento maximas turbas excitant, & tanquam crabrones in sese mutuò irritantur. Nec fieri potest,

test,ut qui inter se sunt discordes & parũ amici,concordiam & tranquillitatem uel in Repub.uel inter priuatos efficere queant. Prę- 4
standum est etiam Senatori, ut re, de qua futura sit consultatio, cognita, ac quàm fieri potest diligentisśimè perspecta, consilia omnia sua ad honestatem dirigat: à qua utilitatis alicuius causa discedere, turpe semper existimatum est. Et quamuis sæpe animis hominum offunduntur multa, ut haud facile, quod honestum sit, cognosci posśit: tamen in rebus manifestis,ab honestate uiro bono discedere non licet. Multa autem sunt, quæ nobis honestatem declarent: ut ratio ipsa, quæ est tanquam oculus lucem à tenebris discernens, praua ab obliquis, uitia à uirtutibus: deinde officia & munera uirtutum:tum leges ipsæ & populorum,& diuinæ. Sit igitur,exempli gratia,consultatio in Senatu de homicidio:an pœna pecuniaria, an uerò capitali sit uindicandum? Sunt enim quæ & in hanc & in illam partem dici posśint: quæ cognoscenda sunt, & inter se comparanda ab eo,qui rectam sententiam & è Repub.dicere uelit. Ac pro pœna quidem pecuniaria facit uetus huius patriæ consuetudo,quę ipsa in leges relata est: deinde utilitates & commoda, quæ ad amicos cæsi redundent. quorum nihil caperent, si homicida occideretur. Iam & Reipub. pœna talionis inutilis esset puniendis homicidis, quæ semper amisso uno ciue cogeretur alterum amittere. itaq; commodius esse, ut pecuniâ multetur homicida, cuius aliqua utilitas extare deinceps posśit in Rep. Adhæc etiam faciunt merita hominum Equestris ordinis in hanc Rempub.quæ hanc præmij loco legem eis fixerit, ut capita eorũ non nisi capite à plebeijs, capita uerò plebeiorũ tantùm decem marcis pecuniæ nostræ ab Equitibus soluantur. Equites enim ipsi inter se centum marcis cædes amicorum æstimant. Et hæc ferè sunt, quæ pœnam pecuniariam confirment,infirment capitalem. Sunt è contraria parte ea cognoscenda, quibus pœna pecuniaria refellatur, capitalis comprobetur. Primùm quidem, legibus & diuinis & populorũ ferè omnium, nobis exceptis, homicidæ capite plectuntur: deinde ratio ipsa, quæ est quasi lux quædam, lumenq; uitæ, iudicat & turpe esse quæstum facere ex cædibus hominũ, nec alia re pensari posse homicidũ quàm interfecto homicida. Quòd si pœna debet esse par culpæ, ubi tandem illa paritas magis extare debet,quàm homicidijs capite uindicandis? Nullæ enim res tam charæ nobis esse debent,atq; uitæ hominum. Cùm autem legibus nostris uita adimatur ijs qui res furto abstulerunt,cur nõ his quoq; adimitur qui uitam eripuerũt? Nam illud quidẽ quod prętexitur numationi retinendę, ne si capite plectantur homicidę,cogatur semper Respub.amisso uno ciue mox alium amittere, nõ est uerum. Quis enim est qui ignoret, maximam multitudinem hominum legibus perire propter furtum? quòd si

furibus

furibus puniendis nō mouemur hoc damno pereuntium hominū, cur mouemur in homicidis? Quasi uerò pluris æstimandæ sint res hominum, quàm uitæ ipsæ: aut quasi maius damnū accipiat Resp. homicida interfecto, quàm fure. Quod autem de meritis affertur ordinis Equestris, propter quæ hæc pœnarum uarietas effecta est, ualde ineptum est: atq; haud scio an capitibus plebeiorū unquam talis ludere uoluerint, qui ea denis marcis æstimarunt: cum quidem equitum cædes à plebeijs patratas capite sanxissent. Tot absurditates insunt in hac pœnarum inæqualitate, ut mirum sit, alicui hominum potuisse eam in mentem uenire: quibus quidem absurditatibus & ratio hominis offenditur, & populorū iudicia contemnuntur, & lumen iusticiæ uirtutum clarissimæ offuscatur, & Dei iussum pessundatur. Et hæc quidem exempli causa à nobis eò dicta sunt, ut ostendamus, opus esse cōsiliarijs, omnia in utranq; partem perpendere: & deinde contentionem omnium facere, priusquam sententiam dicant, quæ ad Remp. pertineat. Neq; uerò pro Rep. putandus est sententiam dicere, qui uel cōmoda priuata sequatur, uel amore odióue ordinis alicuius ducatur: quemadmodum nō est obscurum plerosque tueri numationem, odio plebeiorum, & amore Equitū. Non potest animus amore odio'ue alicuius flagrans, ueritatem cognoscere. Non potest contemptor Dei & hominum nec honestatem, nec ueram Reip. utilitatē uidere. Quid autem faciunt, qui præfractè tuentur numationem? Risum mouent exteris nationibus: iocantur in capitibus plebeiorum: immanitatem exercent in eos ex quibus maximos percipiunt fructus: ueritatem Dei in iniusticia (ut dicit Paulus) opprimunt: atq; etiam Deo ueritatem suam
" suggerenti audacter respondant, SCIENTIAM VIARVM TVA-
" RVM nolumus. Sed hæc à nobis in ijs Orationibus, quas de pœna homicidij edidimus, copiosè tractata sunt: hic uerò exempli causa adducta, ut in re planissima rationem consultandi utcunq; exponeremus. Boni etiam est consiliarij, sententijs aliorum honestis assentiri: nec odio hominum ea quæ ab illis bene dicta sunt, cauillari ac repudiare. Non enim ignotum est, sæpe de Repub. ab aliquibus sententias dici præclaras, quæ si communibus aliorū suffragijs comprobarentur, non malè consuleretur Reipublicæ. Verùm quia fortè authores illarum odio sunt nonnullis, ideo nec honor illis tribuitur, & ipsorum sententiæ contemptui habentur. Non uident contemptores isti, grauiter se & in Deum & in homines peccare. Nam ueritas à quocunq; dicitur, à Spiritu sancto est: ut spiritui sancto cōtrarij sint omnes, quicunq; ueritati agnitæ aduersentur. Hoc uerò peccatum non est leue existimandū: atq; haud scio an sit illud, quod Christus dicit neq; in hoc neq; in futuro seculo remittendum esse. Sunt etiam, qui non odio quidem hominum sententias repudient:
sed

ſed tamen cùm id quod dicturi erant, uideant ab ijs qui priores dixerunt, quaſi præoccupatum, pudeat'que eos uel idem repetere, uel palàm in ſententiam priorum ire, cauillos excogitent, correctiunculas addant, & nodum (quod aiunt) in ſcirpo quærant. Fit itaq;, ut cùm plus ſapere uideri uelint, inſipientes appareant, oratioq; eorum nec caput nec pedes habeat: ab ipſo qui dicit parum intelligatur, multo minus ab ijs qui audiũt. Erat in more Senatui Romano, ut poſteaquã primi rogati dixiſſent, ac res ab illis adeò explicata eſſet, ut pluribus non egeret uerbis: reliqui à dicendo abſtinerent, pedibus'que in priorum ſententias diſcederent. Memorantur autem uerba illa ſolennia, quæ à Conſule uel alio magiſtratu, ſeu quouis alio miniſtro publico ea in re fiebãt, cùm ita diceret: Qui hęc ſentitis, ite in hanc partem: qui alia omnia, in illam. Senatus etiam conſulta quæ hoc modo fiebant, per diſceſsionem fieri dicebantur. Cur igitur pudendum ſit, aſſentiri palàm ſententiæ ei quæ tibi probetur, non uideo. Nam illi quidem, qui, re non neceſſaria, dicendo tempus extrahunt, magis ſophiſtæ & oſtentatores, quàm eloquentes, aut ueritatis ſtudioſi iudicandi ſunt. Homines certè honeſti & Reipub. amantes grauiſsimè offenduntur & ab iſtis cauillatoribus, & ab illis contemptoribus ueritatis perſpectæ. Et hoc igitur uitium fugiendum eſt: & ueritati, à quocunque fuerit monſtrata, candidè aſſentiendum. Magnam ſanè generi mortalium iniuriam facis, ſi te plus omnibus alijs uidere & cognoſcere exiſtimes. Magno te crimine obſtringis, ſi tuę laudi conſulens, ſi tuo odio indulgens, uel cauilleris, uel reijcias ea quæ ab alijs præclarè & ſimpliciter dicta ſunt. Neq; eſt ſignum maius modeſti ingenij, & Reipublicæ magis quàm ſibi & ſuæ exiſtimationi ſeruientis, quàm ſua non bona reiecta, aliorum rectis ſententijs ingenuè ſubſcribere. de quo copioſius in Oratione de Legatis diſſerui. Perneceſſarium eſt etiam in dicendis ſententijs, ut quod ſentias, id loqui audeas. Omnino enim indigni ſunt Senatorio ordine, qui fidem & uirtutem ſuam celent, principum populi'ue metu. quemadmodum munere eccleſiaſtæ indigni ſunt, qui propter ſummam populi in peccando conſenſionem, uitijs arguendis abſtineãt: cùm quidem cõcionatoris ſit, uel capitis periculo in eccleſia clamare, peccata exprobrare, arguere: quantumuis uideat populum ſuperbum, moroſum, intractabilem. Niſi fortè Senatori reſpiciendum eſt, quid in Repub. effici poſsit, non quid fieri debeat. Etſi autem temporibus cedere, prudentis eſſe exiſtimatur: tamen qui in ſummo dignitatis gradu in Republica locati, prætermittant ſententiam dicere, quam loco ſenatorio dici neceſſe ſit: ij parum conſulunt dignitati ſuæ, authoritati ſuæ deſunt, ueritatem pro qua mori deberent deſerunt, ac pro nihilo habent. Tu in ordinem Reip. ſummum allectus es, in cuſtodem ac de-

Sext. Pomp. in dictione Ques.

censorē Reip. delectus, beneficijs Reip. auctus: an te non decet gratitudinē & animo & reipsa testari, ueritate profitenda & defendenda, despectu odio'que impiorum fortiter perferendo? Si homines non metuis propter ueritatem desertam: time Deum, memorem fandi & nefandi, mali uindicem, boni remuneratorem. Non est nouum hoc, nec inauditum, ueritatem odiosam & amaram esse, semperq́ fuisse ijs qui uirtutis sint expertes. Sed tu non potes aliter ostendere te uerae uirtutis cultorē esse, quàm odio pro illa & acerbi-
7 tate perferenda. In Senatusconsultis ferendis optimū fuerit, sententias non tam numerare quàm ponderare. Ille enim mos numerandi sententias, etsi ferè receptus est: tamen quàm sæpe sit perniciosus, facilè ostendi potest. Et quāuis hoc sine offensione eorū uix fieri possit, qui suam pluriū sententiam repudiari animaduertant: tamē rex, seu qui præest concilio, ratione, cur in pauciorum sententiam concedendum esse putet, explicata, facilè euitabit offensionem. Caueat modò rex, ne alicuius unius uel quorundam paucorum authoritatem tanti faciat, ut alios quantumuis multos præ illis negligere uideatur. hinc enim & partes in Senatu, & seditiones in populo solent existere. Ergo si æquior, & Reipub. commodior sententia paucorū uisa fuerit, aut etiā si ipsimet præsidi aliquid cōmodius in mentem uenerit, causas declaret, quamobrē diuersum à multorū sententia sit decernendum, & faciendum. Faciat autē id modestè, & sine ullius reprehensione. Quòd si res maiorem deliberationem requirat, differat in alium diem explicationē suæ sententiæ, ac decreti lationē. Quàm uerò perniciosum sit numerari sententias, non etiam ponderari, audiamus. Habuerunt quōdam inter se membra corporis humani sermonē de sole, lucidus'ne sit, an uerò tenebricosus: cumq́ omnia ex ordine sententias dicerent, tenebricosum esse, soli oculi lucidum esse pronunciarūt. Ratio hominis, multitudine sententiarū ab alijs membris dictarum reiecta, solis oculis subscripsit, ac secundum illos pronunciauit. Perirata sunt alia membra, quòd sua multorum sententia, oculorum duorum sententiæ posthaberetur. Verùm cùm rogata, discrimen facere inter lucem & tenebras, nisi oculis ducibus, non possent: cesserunt sententiæ oculorum, & rationis iudicium approbarunt. Imitatum est, hunc conuentum membrorum, Nicenum concilium: quod decretum tulit secundum Paphnutium, omnium patrum aliorum, qui numero trecenti decem & octo fuisse memorantur, sententijs reiectis. Atq́ ideo Panormitano iurisconsulto uisum est, maiorem alicui uni, pro se rationes & scripturarum testimonia afferenti, fidem habendam esse: quàm ingenti multitudini, huiusmodi testimonijs & rationibus defectæ. Et hic quidem mos ponderandi sententias, facilè obtinet in conuentibus hominum ratione uti uolentium. Nam quorsum quæso multitudo

Apologus de membris humani corporis inter se discrepantibus

titudo ſine ratione? An nõ ſimilis eſt talorum iactibus, qui hoc po
tiores habentur, quo plures oculi in eis ſupernè appareant? Quòd
ſi numerus in Senatu ualere deberet, maximè profectò curandum
eſſet, ut quàm optimi & quàm prudentiſsimi legerentur in Senatũ,
ne mali & imprudentes eſſent uice talorum ad uincendũ. Omnino,
niſi ratio & numinis reſpectus apud concilium Nicenum ualuiſſet,
haud dubiè contempta iacuiſſet Paphnutij unius ſententia, prę tan
ta multitudine aliorum. Fregiſſent & membra illa ſolem tenebrico-
ſum dicentia, duorum oculorum ſententias, ni ratio authoritatem
ſuam interpoſuiſſet, ac quod res eſt pronunciaſſet. Sed inquies,
obſcurum eſſe perſæpe id quod controuertitur, adeò ut incertũ ſit
utra pars plus ponderis habeat, neceſſarioq; in plurium ſententiam
pedibus ſit eundũ. Fac uerò, in rebus obſcuris multitudinẽ ſequen-
dam eſſe: at in planis & perſpectis, an non magis bonitatem cauſæ
ſequemur, quàm pluralitatem dicẽtium? Hoc enim ratio hominis,
præclarum Dei donum, hoc boni mores ſuadent: hoc profeſsio no
ſtra, ueritatem nobis unicè commendans, falſitatem damnans: hoc
author omnium Chriſtus Deus præcipit, qui ſermonem ſuum ue-
ritatem, diaboli, mendacium dicit eſſe. Sit igitur quantalibet mul-
titudo, mendacium ſciens uolensq; aſſeuerans: an nõ ea patris illius
mendacij, in quo ueritas nõ eſt, ſoboles iudicanda eſt? Quod ſi eſt,
an non dignum eſſet ut populus Chriſtianus deſereret talem multi
tudinem, quantumuis numero, pompa, ſplendore, diuitijs, maie-
ſtate præſtantẽ? Omnino ſi Chriſti uerè eſſemus, deſereremus fal-
ſitatis conſultores & tutores, tanquam hoſtes Domini & magiſtri
noſtri. Non abſq; tædio & meo & aliorum, uerſor in pœna homi-
cidij uſitata improbanda: ſed tamen faciendum eſſe uideo, ad omnẽ
occaſionem. Quid numatio habet pro ſe, præter uetuſtatem, &
multitudinem clamantium? At à pœna capitali ſtant, recta ratio,
populorum iudicia, ueritas cum Deo ipſo. Et tamen ſic ſumus ho-
mines, ut contra apertam ueritatem, mendacium tot ſecula regnare
patiamur, tyrannidi obtemperemus, æquitatem & iuſticiam repu-
diemus. At dices, id per eos ſtare, qui ſunt cum poteſtate. Eſto.
Qui igitur ſunt urſi, qui pardi, qui beſtiæ horrendæ, quas prophe-
tæ diuino ſpiritu afflati regnis terrę adiungunt, ſi conſultores & tu-
tores tantæ tyrannidis non ſunt? Quæ eſt Caimi proles alia, quę ſer
pentis illius antiqui, qui (ut CHRISTVS teſtatur) homicida eſt ab
initio: ſi ij non ſunt, qui tot cauſas præbent homicidiorum? Sed fi-
nis ſit: nam hęc à nobis alibi copioſius ſunt tractata. Qui igitur be- 8
nè meditatus ad dicendum acceſſerit, honeſtatis præcipuam ratio-
nem duxerit, peruerſis animi affectionibus non obtemperauerit, a-
liorum rectas ſententias candidè approbauerit, quod rectum exi-
ſtimet liberè dixerit, ac in faciendis decretis plus pondere quàm

numero sententias examinauerit: eum nec temerè propter ignauiam, nec peruersè propter animi impotentiam, sed & grauiter & fideliter & fortiter dicere: nihil gloriæ suæ aut partium causa, omnia studio Reipublicæ agere: ac boni senatoris munus abunde explere putabimus.

CAPUT XII.

De iudicibus, imperatoribus, arcium & oppidorum præfectis.



EGVM igitur & Senatorum moribus breuiter expositis, dicamus aliquid de reliquis magistratibus, quorum alijs alia officij munera addita esse cōstat. Et illi quidem in uarijs Rebuspublicis uarij sunt. Sunt tamen præcipui quidam, sine quibus nulla Respub. stare potest: ut imperatorū & iudicum. illorum munus in patria ab hoste foris defendenda uertitur: horū in iure dicundo, & iusticia unicuiq; administranda. de utrisq;, à nobis suis locis dicetur. Sunt etiam alij, qui nec ius dicant, nec suis sententijs quicquam statuant: sed quod ab alijs statutum est, exequantur & perficiant: ut ferè sunt præsides arcium & oppidorum, à rege uel populo constituti. Tametsi hi quoq; habent definita causarum genera, quæ cognoscant: sed munus eorum præcipuum est, pacem domi inter homines constituere, incursiones subitas hostium propulsare, fines prouinciæ suæ tueri, ac iussa regum & iudicum exequi. Frustra enim reges iuberent, frustra iudices iudicia exercerent, nisi essent qui imperata illorum exequerentur. Factum est in urbe quadā populosa, ut satelles quidam, homo plebeius, uulneraretur ab equite, quem ego honoris causa non nominabo. ac uulneratus quidem ille, ad chirurgum mox, uulneris obligandi causa, prófugit. Sed postea ex ædibus chirurgi seu extractus, seu sponte discedens, in platea occisus est. Et ille quidem eques re ita fortiter gesta, in ciuitate, quādiu uoluit, impunè uersatus est. discessit postea illinc luce media, quando uoluit. Sed quid narro, à nobili plebeium occisum, cuius cædē paucula pecunia redimi ius fasq; est? Accidit in eadem urbe, in conuentu uariorum populorum maximo, ut nobilem, cuius cædes multo pluris æstimatur, nobilis occideret: idq; in ipso meridie, in foro publico, multis inspectantibus. & quemadmodum id fecit impunè, ita impunè inde abijt. Et hæ quidem publicæ uictimæ: audite iam penetrales. Quispiam fugiens eos à quibus iam uulneratus esset, fortè ad ædes cuiusdā ciuis delatus est, in quibus multi homines, ut fit horis pomeridianis, genio indulgebant. eorum opem, ut seruarent miserum, & à ui insequētium tuerentur, implorabat. Verùm qui insequebantur, in ædes illas impetum fecere: omnibus'que qui obsistere conabantur propulsatis, irruêre in miserum illum: ac tot tantis'que uulneribus affecere, ut pauco

pòst

pòst tempore animam in illis posuerit. Concurritur interea à domesticis & uicinis omnibus: uulneratus ille, iacens & moribundus spectatur. Occisores uerò abierunt quò uoluerunt, quando uoluerunt, nemine impediente. Sed hoc fortasse quòd in priuatis ædibus factum est, latêre potuit magistratum. Quid autem de illis homicidijs, publicis in locis factis? Ego quidem præsidum seu arcis, seu ciuitatis, uel alicuius alius magistratus puto fuisse, ut eos homicidas uel subitò comprehenderent, uel fugientes insequerentur ac caperent, pœnamq; de eis uel ipsi sumerent, uel sumi iuberent. Sed factum est, ut narraui, non secus quàm in sylua, uel in deserto: ubi nulli homines, nulli præfecti essent. Quid igitur tunc, ô præfecti, faciebatis? Profectò spectabiles, clarissimi & magnifici domini, ignauissimi estis: idq; publico malo: itaq; pœna grauissima digni. Tuum est igitur Rex, tales magistratus ac præsides arcibus, ciuitatibus ac prouincijs cõstituere, qui pacem domesticam maximè tueantur. Sin hoc non curas, fac potius ut dissipentur ciuitates, & omnes hominum cœtus, ut quisq; uitam degat ubi possit: quandoquidem ad tuendam uitam nihil prosit, in frequentia hominum sub talibus præsidibus uiuere. O' extremam miseriam: has ædes, urbes, regiones, coli & inhabitari, in tanta insolentia, crudelitate, & impunitate. Sed querelarum satis: pergamus ad alia.

CAPVT XIII.

De censoribus morum.



EST etiam ille, mea sententia, magistratus Reipub. necessarius, qui moribus præsit. In ueteribus quidem & Græcorum & aliarum nationum Rebusp. nonnulli magistratus puerorum, alij mulierũ, quidam populi moribus præfecti erant: atq; ex reipsa nomina habebãt, ut alij pædonomi, alij gynęconomi, quidam nomophylaces censoresúe dicerentur: qui non solùm scripta legum, sed mores etiam hominum obseruabant, & ad honestatem reuocabant. Hos magistratus, homines à Christo alieni suis Rebusp. necessarios putabant: quorũ metu non licebat adolescenti ocioso esse, nec in ganeis desidere, nec quibusuis lusionibus operam dare: non licebat mulieri, nec ornatu nec rebus gerendis, septa (ut aiunt) transilire: cogebatur Senator, eques, & cuncta plebs in officio esse. Nos in Christianis Rebusp. his magistratibus caremus, itaque & uetus illa disciplina, & morum seueritas, magna ex parte interijt. Quòd si quis est, qui hunc magistratum putet parum necessarium esse, is mihi uelim in mores multorũ corruptissimos, oculos intendat. Est in Senatu, qui iusticia neglecta sententiam dicat uel sui, uel alicuius alius commodi causa. Si ab eo rationẽ petas sententiæ dictæ, respondet, sibi uel sui uel suorum rationem habendam es-

se. Hic an non dignus est, ut Senatu moueatur, qui potiorem ducat utilitatẽ suam quàm iustitiam? Est qui à maioribus habeat amplas possessiones: hic populis suis nullo pudore superbissimè imperat, & quæcunque libeant licentiosissimè perpetrat. Neque enim subdito resistere domino, neque in ius eum uocare licet. An uerò sic exercens in subditos imperiũ, nõ est dignus nota cẽsoria? Sunt inter præsides ciuitatum, municipiorum, arciumq; tam regiorũ quàm aliorum principum, homines, qui undiq; captent occasiones populi deglubẽdi. imò inter ipsos beneficiarios reperiuntur, qui seruitiorum (ut ipsi dictitant) causa, beneficijs perpetuis aucti, & hominibus & pecudibus & agris & pratis abutantur. De quibus nec rex unquam audit, nec populus queri audet. An uerò istis impune erit, talia perpetrasse? Sunt item multi, qui suis rebus turpiter abutantur, qui dies noctesq; perpotent, qui res & patrimonia lauta dissipent: qui tamen moribus nostris in ius minimè uocentur. Quod si est è Repub. ut quisque rebus suis bene utatur, ut si usus fuerit, possit opitulari Reipub. certè decoctores digni sunt censorum animaduersione. Est non nemo, qui præter opinionẽ nobilitatis, unde cõmendari possit nihil habet: homo sine re, sine nomine: cui nihil seritur, nihil metitur, nihil penditur. Hic ministros non paucos unà cum equis alit: eius domuncula nihil habet præter lanceas, galeas, bombardas, ferrum, arma: quibus terrori est uicinis omnibus: minatur uulnera, denunciat cędes quibus uult. Huic nemo uicinorum resistere potest: nam agris addictis arma tractare non uacat. Nemo illi ad iudicem diem dicere, nemo eius nomen ad præsidem deferre audet, nisi qui se cædi expositum uellet. Veniunt ad eum supplices multi: ueniam ab eo deprecantur erratorum, quę nunquam admiserunt, sed quę ille confinxit. Ipse uerò indies fit insolentior. Tale monstrum non subiacebit censuræ? Memorantur illa à scriptoribus rerum Romanarum exempla censuræ seuerissimè acta. Cor. Ruffinus, duobus consulatibus & dictatura speciosissimè functus, quòd decem pondo uasa argentea comparasset, perinde ac malo exemplo luxuriosus, numero Senatorum exemptus est. Duronius, quòd legem de coercendis conuiuiorum sumptibus latam abrogauerat, etiam Senatu motus est. Liuius Salinator, Cl. Neronem collegam censoria animaduersione persequutus est, quòd non syncera fide secum in gratiam redijsset. Constituendi autem essent censores bini in omnibus mãcipijs, qui de moribus omnium statis temporib. inquirerẽt, quam quisq; exerceat artem: & unde uictum sibi paret uiderent. Ociosos, nulli honestę rei studentes, uirtuti infestos, uel ipsi punirent: uel ad regem iudicesúe ordinarios deferrent. id quod inter homines ecclesiasticos adhuc obseruatur, quorũ Archidiaconi moribus presbyterorum præfecti sunt.

CAP.

CAPVT XIIII.

De censoribus matrimoniorum.



T haec de cēsoribus generatim. Quorum singulares uidentur esse cōstituendi matrimoniorū. nam si in ciuitatibus singula artificia habent suos praesides, quanto magis matrimonia habere debent, arctissima societatis humanae uincula, & fontes bonorum ciuium sanctissimi? Multis solent incōmoditatibus uiri afficere uxores suas: quę de illis minimè queri audent, timore maiorum incommodorum. Mulieres quoq;, pręsertim quę opum & amicorum potentia sunt fultae, se insolentius aduersus maritos gerere solent, quàm deberent. Curent igitur coniuges, ne cum impudicis personis, uel quouis modo cōiugibus suis suspectis, consuetudinem ullam habeant: ne conuiuia, compotationes, aut inhonesta & nefaria contubernia accedant, altero coniugū uel ignorante, uel nolente: ne sine iusta aut probabili causa foris pernoctent: ne alter alterius uitae quouis modo insidietur: ne alter alterum uerberibus afficiant: ut, quemadmodum unà uiuunt, ita res omnes inter se cum beneuolentia communicent, unamq; carnem efficiant, hoc est, hominem unum, cordis & uoluntatis unius: ut uxor uirum colat & reuereatur tanquam caput suum, eiq; se adiutricem praebeat & ad Dei cultum, & ad uitam hanc commodè & beatè degendam. uicissim ut uir diligat uxorem tanquam carnem propriā: imò sicut Christus diligit ecclesiam, pro cuius salute se tradiderit. Deniq; meminerint ambo, se parentes suos & amicos omnes reliquisse coniunctionis coniugalis causa, ut hanc praeferendam putent omni coniunctioni, omniq; charitati humanae. His modis amor cōiugalis retinetur, conseruatur, crescit: contrarijs minuitur, rumpitur & dissoluitur. Quamobrem censorum est, uitam & mores coniugum, si qui fortè uel de se mutuò querantur, uel uulgò malè audiant, inspicere: explorare num amorem, officia & adiutoria uitae coniugalis sibi mutuò pręstent: cessantes ad munus debitum adhortari: delinquentes, aut uerbis, aut ratione seueriore castigare: duros & obstinatos ad magistratum deferre, qui iusta animaduersione eos ad officium compellat. Nihil sancti potest esse in ciuitate, nisi hoc uitae genus sanctissimè fuerit initum, seruatum, custoditum. Non tantum coniugibus ipsis, & eorum liberis, uarias & infinitas maculas affert, eius parum diligens obseruatio: sed & Ecclesiam & Rempub. contaminat, abominandamq; facit tum ciuibus ipsis, tum exteris. Diuortia uerò ipsa, an non mortis instar habere uidentur? Quo magis matrimonia custodienda sunt, ut non tantum à uitijs, sed & à uitiorum suspicione sint quàm remotissima.

CAPUT XV.

De rerum uenalium & numorum curatoribus.



NEMO est etiam, opinor, qui dubitet, magistratum pernecessarium esse, qui in foro, hoc est in rebus cōtrahendis sit occupatus: qui omnia & domi nata factaq;, & aliunde aduecta cognoscat, preciumq; eis pro tempore imponat. Videat etiam, num cōducat Reipub. ut frumentum & liquores ad mensurā uenduntur: ita carnes, caseos, butyrum, & id genus alia ad pensum uendi. In primis autem, res omnes & quæ importentur, & quæ exportentur, obseruet: earum bonitatem exploret, modum & preciū constituat. Sępe uidimus tantum frugum numerum à nobis asportatū, ut maximā ubertatem difficultas annonæ domi sit subsequuta: neq; uerò annonæ tantum, sed & carnium & caseorū, & rerum aliarum. Ferè enim fit, ut frugum caritas efficiat caritatem rerum aliarū. Ergo magistratus ad id destinatus, prouentu frugum considerato, & quanto Respublica frumento tam pro se quàm pro aduenis egeat animaduerso, modum exportationi constituat, ne nostri agri aliis sint fertiles, nobis uerò steriles. Statuāt & domi precia, ne qui abundant, pluris uendendo quàm æquum sit, & pauperū facultates exhauriant, & rerum aliarum precia augeant. Difficile est enim (ut dixi) cauere, quin cum precio frugum preciū rerum aliarum crescat. Laudandus est mos ille quarundam Rerumpub. in quibus frugum maxima uis (quo quidem anni tempore quàm minimo prostent) à magistratu coemitur, ac in publica promptuaria reconditur: ut seu periculum sit ab hoste, seu res spectet ad annonæ difficultatē, prospectum fiat uitæ hominum. Seruant enim multi negotiatorum fruges in longum tempus, ut pluris uendāt temporibus suis. Sed huic rei occurri potest prudentia magistratus, si fruges quàm minimo emptas, tum ex promptuariis efferri iubeat, ac aliquanto pluris q̄ sint emptæ uendat. Nam & omne lucrum cedet Reipub. & negotiatores frumentarii cogentur minoris uendere in copia rerum, q̄ uenderēt in inopia. Itaq; & de hoc constituendū esset, & illę exportationes nimiæ moderādæ: quibus tanquam cibus ex ore tenuibus hominibus eripitur, aut certè caritas magna efficitur. Intoleranda est illa pistorum coctorumq; peruersitas, qui eodem precio & panes & ceruisiam in annonæ facilitate uendant, quo in magna caritate. Intolerabilior eorum, qui aduenæ pluris uendant quàm ciui.
» Aduenam (inquit Deus ad Israelitas) non contristabis, neq; affli-
» ges. fuistis enim & uos aduenæ in terra Ægypti. Sed illa maximè omnium intolerabilis, quòd per dies comitiales, ac in iis locis in quibus Rex cum Senatu ac populi frequentia uersatur, multo carius omnia uencant, quàm aliis in locis. Cùm enim conuentus eiusmodi

Reip.causa agitari consueuerint, certè uix ferendum est, ut tum uel mercatores maiores faciant quæstus, uel illi plus pro rebus necessarijs numerent, qui consultant pro Republica. Quod de frugibus dictũ est, id em de cera,seuo,corio,equis,bobus,rebusq; alijs intelligatur. Multi exportatione earum & ditescũt ipsi,& ubertatem copiamq; ad exteros populos transferunt: interea apud nos fames in uulgus,ob penuriam & rerum caritatem. Caupones magna licentia utuntur uinis & adulterandis,& magno æstimandis. Itaque magistratus, rationibus sumptuum qui ab eis fiant animaduersis, ac etiam lucro quod æquum sit permisso, & precia cõstituat,& in adulterantes animaduertat. In uenditionibus & emptionibus quarumlibet rerum,si quid uitij de industria ab altero contrahentium commissum sit, ne impunè fiat Plato quidem in Legibus iubet, ut tam uenditor quàm emptor,decem dies post res hincinde commutatas in urbe maneat: ut si quod uitium deprehendatur uel in re uendita, uel in numis,præstet damnum ille qui dedit. Reticentias etiam omnes quæ ab alterutro contrahentium de industria,nocendi causa,fiant, puniendas censet. De his igitur, & rebus alijs contrahendis, magistratus est prouidere: rerum aliunde aduectarum bonitatem cognoscere,precia constituere,opificum omnium operas æstimare: monopolia etiam grauibus pœnis interdicere,quibus enormia precia rebus imponantur,pauci quidam plus nimium ditẽtur, multiq; ad inopiam redigantur. Versatur autem uel ob hoc in magna turpitudine monopolarum nundinatio, quòd merces emant, ut eas lucri causa uendant: easdem prorsus, & nihilo meliores factas. Isti uel uenditorem defraudant, siquidem minoris quàm æquum sit ab illo emant: uel emptorem,si pluris illi uendant: uel utrunq;. Quòd si nihil horum accidat, tamẽ animus ille, mercem emendi non usus, sed lucri causa,crimine uacuus esse nõ potest. Ex auaritia enim existit,quæ multorum flagitiorum est mater. Laborant hoc uitio cùm plerique alij, tum propolæ decumarum: & ij quidem maximè, qui mercatorum nomen & rationes supra modum detestantur: qui sola lucri auiditate adducti, mesßis tempore decumas coemunt: quas nec meliores factas,nec in alia loca,ubi annonæ penuria esset, translatas,sed ijsdem in locis ubi emerunt,plerunq; deteriores, aut certè accisas,diuendunt,magnumq; inde quæstum faciunt. Quid igitur aliud mercatorem agere est,si hoc non est? Non ulna,qua quis metiatur pannos,ut uulgò putant: sed quæstus & lucri studium, quo ad emendum uendendumq; duceris, mercatorem facit. Quod an abest in decumarum ista quæstuosissima ac turpißima mercatura? Non rarò accidit,ut decuma eadem quaternas aut quinas manus ementium & uendentiũ percurrat, priusquam ad manus perueniat eorum qui sint usuri. Qua in re illud est indignißimum, quòd qui

non

non laborant, illi prætextu dominij in res colonorum suorum, sudores eorum redimunt: quas uel illis ipsis, nonnunquam inuitis, mox pleris uendant: uel cui uelint. Coloni uerò, qui diei onus & æstum pertulerūt, de harpyiarum illarum manibus omnia expectare coguntur. Quid igitur miri, si & ipsi coloni malignè uiuant: & grandia rerum omnium precia crescant? Tales mercatores illi sunt, quos diuus Chrysostomus de tēplo Dei censet esse eijciendos: quos leges Imperiales à militia arcent: quos bonis spoliari, & exilio perpetuo damnari iubent. Atq; idem Chrysostomus, non eos mercatores damnat, qui merces aliunde inferāt, uitæ humanæ & Reipub. necessarias: nec eorum negotiationem improbat, qui rem emant, quam labore & industria sua meliorem factam uendāt: sed eorum, qui rem comparēt, quam carius uendant, nullo labore, nihiloq; meliorem. Ego quidem istos, prædones potius quàm mercatores, prædamq;, quam faciunt, uerius quàm mercaturam appellauerim. Hi enim sunt, qui & uendentes & ementes malis afficiunt: qui pauperes impediunt, quo minus res uitæ necessarias iusto precio emāt: qui caritatem annonæ & rerum aliarum inferunt: digni qui ex republica exterminētur, per quos Respub. tot damnis affligitur. Sint igitur mercatores, qui merces importēt non ad luxum & pompam excogitatas: sed honestis, sobrijs, salutaribus Reipub. usibus necessarias: quarum precium iustum constitui è Repub. fuerit. Hæc de mercatoribus & monopolis. In re monetaria consideranda uidentur & materia, & pondus, & forma publica. Priora duo uulgò non satis agnoscuntur, ac ne obseruantur quidem in numis paruis: tertium conspectu facilè noscitur. Verùm quia nonnulli externi populi figuram nostrorum numorum imitati sunt, atq; hac ratione suos ad nos inuexerunt, uidendum est, num sit è Repub. formam nostrę mutari. aliter enim externa uix exigi potest. Qui falsam & adulterinam olim cudebant, ad bestias condemnabantur, si liberi erant: si serui, ultimo supplicio afficiebantur. Rationem etiam inuenire, ne pecunia extra fines exportetur, perutile fuerit: quod uix aliter fieri posset, quàm si pluris, quàm æquum sit, æstimaretur: quod tamen nescio an conduceret Reipublicę. Qui uel Romæ uel in alijs prouincijs res agunt, magnam uim auri à nobis efferunt. Hoc si in totum interdici non potest: tamen modum his rebus constitui, optimum fuerit. Tanta licentia apud nos grassatur numis peregrinis tum aureis tum argenteis æstimandis, ut nusquam maior. Singulis quadrantibus anni precium eorum crescit, cùm bonitati eorū nihil interim accrescat. Causas eius rei multi afferunt multas. Sed nos si non mouet uel publicæ uel priuatę cuiusque rei iactura, quæ hanc numorum iactationem sequitur: quid aliud mouere nos magis possit ad licentiam illam coercendam, & certam æstimandi rationem

ss d. eijciens. C. nego. ne mili tent. lib. 12. C. de monopolijs. l. unica.

tionem ineundam, haud sanè dictu est facile. Et hoc igitur, si placet, forensi magistratui mandetur.

CAPUT XVI.

De ædilibus.



VRA ædium & publicarum & priuatarum moribus nostris est penes magistratus, qui muneribus aliis destinati sunt. Olim in magnis hominum cœtibus magistratus erat singularis, qui Aediles appellabantur, ab ædibus quas curabant, ut & integræ & mundæ essent: modum ædificandi præscribebant: fossis & uallis non tantum ciuitates, sed agros etiam circumducebant: hocq; modo aduersum impetum hostilem, regionē muniebant. Aquæ item ductibus, pontibus, & stratis uiarum præerant, quas ædificijs & arboribus exornabant: cloacas purgari iubebant: salubritati hominum consulebant, pestilentiam, quantum humana industria fas esset, auertebant: aut si fortè, ut fit, irrepsisset, ne totam ciuitatem occuparet, aduigilabant: itaq; & ædes infectas cōcludi, & homines ipsos uel in ijsdem ædibus se cōtinere, uel ex ciuitate migrare iubebant: satius id rati, quàm ut contagione sua totam ciuitatem inficerent. Horum etiam fuerat prouidere, ne incendia ædium uel exorirentur, uel exorta latè ac licenter uagarentur: uigilibus etiam præesse qui noctu excubias agerent, ne quid uel à furibus, uel ab hominibus flagitiosis detrimēti fieret: in primis autem, ne uel per fraudē alicuius, uel casu aliquo, ignis inijceretur, ac grassari inciperet. In exteris nationibus grauissimis pœnis mulctantur, qui ędibus flagrantibus non mox adsint cum urnis, & aliis instrumentis igni extinguendo necessarijs. Apud nos maximus hominum numerus aut ad ignem spectatum tantùm ueniunt: aut uicini ædibus posthabitis, res suas exportant. Itaq; fit, ut rarissimę in tota Polonia ædes sint, quæ interuallo triginta annorum durent. omnes ferè uici & oppida in orbem exuruntur: ac inde noua ædificia curantur. Atqui tanta negligentia ignis extinguendi, tolerabilior esset in ijs prouincijs, ubi uel ex lapide ædificaretur, uel homines ebrietati non studerent. Apud nos uerò, ubi & ex ea materia quæ pręcipuum est ignis fomentum, ferè omnia extruantur, & pau cissimi ament sobrietatem, cur tantam incuriam ignis compescendi ferant magistratus, permirum est. Frequentes exustiones non immeritò ædiles incitare deberent, ad rationem ineundam, ædium ex lateribus ædificandarum. Quod quidem factu facile fieret, si opificum copia esset, qui materiam, cuius magna est ubiq; copia, appararent, & omnia ad ædificandū necessaria in promptu haberent. Consuleretur hoc modo & præsentibus hominibus, & posteritati. Certè si res moribus esset usitata, maiore quidem precio ex lapide ædificaretur;

ficaretur: sed utilitas ipsa multis nominib. recompensaret sumptuũ magnitudinem. Cum quidem, si rationem subducas eorum quæ in noua ædificia, exustis prioribus, expenduntur, longè pluris constent, quàm ędificium latericium, in perpetuum duraturum, constaret. Loquor autem de ædificio, quod & parietes & tegulas ex latere haberet. Ignis enim prouolans, non facilè tectum latericiũ occupat. Si quid incõmodi ab igne est, id tantùm ijs ædibus accidere potest, in quibus ignis ortus est. Et hæc de ædilibus, & eorum munere.

CAPUT XVII.

De magistratu, qui paci domesticæ consulat, ociosos ex ciuitate expellendo, in ebrios ac maleferiatos animaduertendo.


TANTA est omnibus in locis ociosorum, ebriosorum, & maleferiatorum turba, ut si rectè uolumus consultum Reipub. magistratum singularem constitui necesse sit, qui cum stipatoribus & interdiu plateas circumeat, & noctu urbem lustret: & quas uidebitur ędes inspiciat, ac disciplinam tueatur. Inuerecundè in incessu ac in gestu se gerentes, noctu cum omnes cubant discurrentes, uociferationes edentes, personis indutos, ac domus alienas irrumpentes, taxillorum lusores comprehendat, & in carcerem conijciat. Nec illud quidem est ferendum, ut conuiuia & comessationes uel immoderatius agantur, uel ultra legitimum tempus producantur. Ociosi quoque & ebrij omnes seuerè puniendi sunt. 1. Omnino ex neglectione modestiæ in incessu, ex gesticulationibus ineptis, quales edi solent in choreis, existit & confirmatur impudentia, bonis moribus inimica. 2. Nocturnæ discursationes & uociferationes, præterquam quòd honestum ciuium ocium & quietem interturbant, solent etiam abire in tumultus, tranquillitati urbis infestos. Sæpe etiam ægrotis & puerperis terrores incutiunt. 3. Iam quid sibi uolunt personati illi, qui cum se agnosci nolint, per plateas cursitant, & compita: in ædes alienas inuadunt: & uel prædæ aliquid uenantur murmure, muto'ue tesserarum ludo: uel saltant, uel ludunt, uel loquũtur obscœnè & impudicè. Nullus tunc habetur respectus sexus, ætatis, existimationis. Miscentur & exæquantur omnia. Et quod alicui dicere facere'ue turpe esset, si nosceretur, hoc illi laruæ obiectu licet. Larua enim laxat omnibus, sine discrimine, frena ad omnem impudicitiam. Quid quod persona huiusmodi facultatem dat hominibus peruersis, machinandi aliquid mali, & ex insidijs occultè aliquid agendi? 4. Ludi omnes quibus pecunię uel perduntur inaniter, uel acquiruntur iniustè, tollendi sunt è Rep. ut sunt ludi chartarum, aleæ, taxillorum, & id genus cæteri. Ideo puniendi omnes, & qui eiusmodi ludis rebus alienis insidiantur: nam concupiscunt, rapiuntq́ alienũ. & qui perdunt

rem

rem suam, quæ in usus necessarios cōuertenda erat. 5. Etsi autem congressus & conuiuia honesta prohibenda non sunt: tamen in eis modestia lucere debet, & modus seruari. Itaq; profusæ epulæ interdicendæ sunt, quibus opes priuatorum exhauriuntur: non tantùm ipsis, sed & Reip. necessariæ. Non immeritò enim parsimonia dicitur esse uectigal magnum. Est autem hoc ubiq; receptum, ut ad sacra nuptialia multi inuitentur: quibus & epulæ dantur, & choreæ conceduntur. In quibus cogitandum est de beneficio Dei, qui coniugium instituerit ad generis humani propagationem. Itaq; & Deo gratiæ agendæ sunt maximæ: & precationes addendæ, ut nouis coniugibus fortunet hoc uitæ genus sanctißimum: & conuiuia modestè ac sobriè agitanda: & sermones cum reuerentia ferendi: & à choreis immodestia omnis excludenda. Nec ferendus est mos ille, puellas in gyros circumagendi: quibus & partes corporis uelandæ denudātur, & gestus cōponuntur ad turpitudinem & salacitatem. Et hoc igitur magistratus animaduersioni subiacet. 6. Tabernæ uinariæ & ceruisiariæ uel tollendæ sunt, uel ciuibus interdicendæ. Homines maleferiati totos dies in eis delitescunt, perpotant ac uiuunt cum scortis intemperantißimè: puellas & matronas chorearū uel aliorum ludorum prætextu ad se inuitant: pudicitiam earum oppugnant. Vbi autem frequentius iurgia, plagæ, uulnera, mutilationes, cædes committuntur, quàm in tabernis? Quin potius incolarū quisq; ac indigenarum iubet domum suam tantum uini aut ceruisiæ adferri, quantum sibi & familiæ satis sit? domi cum familia uiuat? rei familiari det operam? contineat omnes in officio? In tabernis autem, aduenis & peregrinis tantùm liceat uiuere, & ad tempus habitare. Vnde & diuersoria dicuntur, quò ex itinere solemus diuertere. Peregrinis itaq; in eis commorari liceat, nō incolis ac indigenis. Multi opificum magistri rarißimi sunt in suis officinis: alunt discipulos multos, qui absente magistro segniter, negligenter & contumaciter ferè laborant omnia. Si magister præsens semper esset, plus operum perficeret cum duobus, quàm absens cum decem perficit. Et hi igitur ad officium compellendi: ne turba ociosorum Respub. prematur. 7. Neq; illa militibus, quos Drabones uocamus, licentia danda est, uulgò mendicandi. multi enim obambulāt ociosi, nulli honestæ rei operam dant: sed ebrietati, mendicitati, & prædis occultis. 8. Et hęc quidem ad homines seruili ingenio prędítos, qui non nisi metu & pœnis continentur in officio. Naturæ autem generosæ ita ab ocio ad laborem excitabuntur, si diligenter secum reputauerint, Deum ita in mundi exordijs constituisse, ut omnes uescantur pane cum sudore uultus sui: donec in terram redeant, ex qua orti sint. Quod quidem prę mulcta generi humano, ob peccatum, datum uideri potest. Sed & ante peccatum homo, ubi creatus est, ita

in Paradiso constitutus erat, ut illum coleret, & tueretur. Hæc enim uarietas membrorum corporis humani non ad ocium data est: sed, quemadmodum auibus alæ ad uolandum, ita homini membra pro instrumentis sunt ad laborandum. Et animi & corpora nostra alun tur opere, & roborãtur: ocio & desidia dissoluũtur, & marcescunt. Adeò autem ad agendũ nati sumus, ut si honesto labori non incum bamus, ad flagitiosa & probrosa prolabamur. Laboribus igitur ho nestis assuescendum est: & id operandum, quod ad usus uitę necessa
1.Thess.3. rios conferri possit. Itaq; & Paulus Thessalonicensium ecclesiæ edi
Psal.128. xit, si quis operari nollet, eum ne comedere quidem debere. Et Da-
» uid rex beatũ illum pronunciat, beneq; illi fore, qui labore manuũ
» suarum uescatur: non obscurè significans, illos miseros esse, nec in beatis numerãdos, qui alantur cibo labore manuum alienarũ quæ- sito. Quàm autem latus sit campus laborum humanorum, facilè ui- debit, qui necessitates tum uitæ huius, tũm futurę animaduerterit. Et animo operandum est, & corpore, ad uitam beatam contenden- tibus. Vtroq; labore homines non inertes se exercent: & altero ho- rum fessi, ad alterum declinant, ut uicissitudine & alleuationem sen
Xenoph. de Rep. Laced. tiant, & alacriores redeant eò unde declinarunt. Lacedæmonij ne- minem ignauiter ac uitiose uiuentem contubernio, neminem com- muni corporis exercitatione, neminem collusione, nedum alia uitæ grauiore communicatione dignabantur. Hoc enim remedio ciues ad uirtutis studium excitabãt, in eoq; conseruabant. Ad summam, cum ociũ multa uitia doceat homines, languorem'q; eis afferat, om- nes ociosi aut pellendi sunt ex Rep. aut pœnis afficiẽdi. Haud scio an in ullo uitæ genere sit maior ociandi potestas, atq; in aulis Princi pum: nimirum in tanta ministrorum frequentia, quorum multo ma ior pars nihil ferij habent quod agant. Sectãtur tantum Principem suum: euntem ducunt & reducunt: publicè sedenti astant arriden- do, abblandiendo, dicta & facta Principis omnia approbando & admirando. In conclaue abeunti, aut negotijs priuatis occupato, o- cio languent. Quod eis occasionem dat ludorum turpium, ebrieta- tum, & aliorum operum hominibus indignorum. Aulicorum i- gitur uita emẽdanda ad modum quem suprà descripsimus: certus'q; unicuiq; Principi, pro conditione numerus præscribendus, ultra quem illi non liceat plures alere ministros.

CAPUT XVIII.

De pauperum curatoribus.



ED quemadmodum homines laboribus apti à men- dicando repellendi: ita illis qui uerè pauperes sunt, hoc est, qui & uiribus corporis, & rebus quibus se su stineant, destituuntur, consulendum est, ut & ædes eis publicè constituantur, & ad uictum omnia neces-

saria

ſaria ſuppeditentur. Sunt autem pauperũ alij, qui in ptochodochijs uiuunt, aluntur, curantur: alij, publicè obambulando mendicant: tertij, qui intra parietes ſuos ſe continendo, ſuas & ſuorum neceſsitates, ut poſſunt, ſuſtentāt. Hi omnes à magiſtratu inſpiciendi ſunt, ut ne cui imponant uel morbi ſimulatione, uel paupertatis. Qui autem uidebũtur laboribus apti, ij laborare cogantur. Si recuſent, ex ciuitatibus expellantur. Quod de alienis mendicis intelligendũ, ut & illi in ſuas ciuitates remittantur. Decet enim cœtum unũquenq; curam eorũ habere, qui in eo uel nati ſint, uel diu uixerint: ne uictus aut rerum aliarũ inopia moriantur. Ratio enim paupertatis uniuſcuiuſq; cognoſcenda eſt. Nam qui uitio ſuo decoxerũt, ferendi quidem inter pauperes, ac ne fame pereant conſulendum. uerùm & uictus parcior illis præbendus eſt, & laborũ moleſtia exercendi ſunt: ut & exemplo alijs ſint: & ipſi caueant, ne in peiora uitia relabantur. Qui morbo aut quauis alia calamitate in egeſtatem inciderunt, eorum ratio habenda eſt maior. Et his quidem qui domi ſuæ neceſsitatibus ſuis & ſuorum domeſticorũ conſulũt, uel agri mercede non ita magna locandi ſunt; uel eæ res ad quas idonei ſint, cōmittendæ: uel occaſiones aliæ lucri præbendæ. Puellæ etiam tenues dotandæ, & maritandæ ſunt, ne inopia adactę pudorē proſtituant. Circumforanei mendici haud ſcio an ferēdi ſint; nam ſolent mēdicitatis prætextu multa mala admittere, & furtis & homicidijs & alijs facinoribus perpetrandis. Potius in ptochodochia omnes, ſi tamen tales ſunt ut laborare nequeāt, cogerentur. Sunt aũt in ſingulis ferè ciuitatib. certi prouentus annui, aſsignati pauperibus; qui quidem prouentus ſi tenuiores ſint q̃ ut alendis omnibus ſufficiant, augendi ſunt his modis. Primùm, ſi unuſquiſq; detrahat aliquid ſumptib. ſuis, tum neceſſarijs, tum maximè ijs qui ad luxum, ſuperbiam, ambitionem faciāt. Certè uult Chriſtus, ut amicos nobis paremus ex mãmona iniquo, qui nos recipiant in ſua tabernacula. Impertiendũ eſt igitur de rebus temporarijs, ijs qui nos in æternas domos ſint recepturi. Quod quidē eos maximè decet facere, qui ex hac uita migrāt in illas domos: ut & ipſi portionem aliquā relinquant ſubſtātiæ ſuę, iſtis amicis ſuis. Sunt qui in funeris pompam magnũ iubent ſumptũ fieri. uerùm qui in extremo uitæ articulo ſunt, ijs laus & gloria à Deo expectanda eſt, non ab hominibus. Superſtites etiã decet, ut illorum migrationem proſequãtur, non opum ac ſuperbię ſignificatione, ſed operibus ex charitate proficiſcentibus: quibus peruenitur ad regnũ cœleſte. Deinde & epiſcoporũ bona ita ueteres partiti ſunt, ut partem quartã dent egenis. Admoneat igitur magiſtratus illos officij. Certè qui non dant, nec faciũt quod debent, Deum habebunt uindicem. Solent uel in templis, uel in locis oppidi frequentioribus, arculæ poni in uſum pauperũ. In eas igitur inijceret

Luc.16.

quisque, quantum pietas suaserit. Multiplicabit Deus eiusmodi ele emosynas & dantibus, ut semper eis suppetat unde largiātur: & accipientibus, siquidem modestè petant, piè accipiant, sobriè utantur. Dei sunt hæc beneficia: quo manum aperiente, impletur omne animal benedictione. Illud autem à nobis poscit, ut qui dant, hilarè id faciant: qui accipiūt, Dei beneficia agnoscant, gratias agentes, ac sedulò precantes tum pro se, tum pro benefactoribus. Sit autem pauperum uictus neque delicatus, unde facilè assuescerent malefacere: neque ita parcus, ut uix depellat dimidiam famem. Augentur enim morbi tum corporis, tum animi, cibi inopia. Prouidendum est, ne ocio prorsus contabescant pauperes: sed quod & quantum quisque posit, id laboret: occupetur aliquo honesto opere: fructum'que laboris sui cum alijs communicet. Vires autem & corpus qui recuperauit, is ad opera mittatur: ne tanquam fucus, alieno sudore fruatur. Cæterùm qui uiribus uel animi uel corporis destituti sunt, ut sibi consulere non queant: his à magistratu consulendum est. Omnes fratres sumus, unius patris cœlestis filij. Nemo casibus humanis exemptus est. Quòd si humanum est, periclitanti de uita succurrere, ut uel ab igne, uel ab aqua, uel ab hoste, uel alia calamitate eripiatur: omnino esurientibus, sitientibus, nudis, algentibus opitulari æquissimum fuerit, ne penuria rerum necessariarum moriantur. Igitur uel contribuendū est publicè eorum necessitatibus, uel alia ratione prouidendum: cuius rei facultas est maxima in regibus, episcopis, principibus uiris, collegijs sacerdotum, ciuitatibus, & ijs qui opibus abundant. Est'que hæc uera & germana liberalitas, in eos beneficum esse, qui nullam referendæ gratiæ habeant potestatem. Neque tamen frustratur nos mercede benignissimus pater cœlestis: qui uel poculum aquæ frigidæ suo nomine datum, remuneraturum se promisit. Hortatur Paulus apostolus Romanos, ut de facultatibus suis impertirent pauperibus ijs qui Hierosolymis essent. Quanto magis decet nos pia collatione ijs succurrere, qui nobiscum sunt: qui inter nos senio, morbo, alia'ue ruina confecti, ac omni spe destituti sunt? Sit igitur magistratus, qui curam habeat pauperum: ea'que commodè dispenset, quæ usibus eorum sunt consignata. Et hæc quidem de ijs magistratibus hoc in loco dicenda mihi uisa sunt, qui rebus hominum consulerent: qui peruersos mores castigarent, bonos reducerent: quiq; non tam de iure, quàm de facto & sceleribus perpetratis cognoscerent. Nam de ijs qui de iure cognoscant, alius nobis dicendi locus erit. His itaque explicatis, superest ut de toto genere honorum dicamus.

CAPUT XIX.

1. Honoribus mandandis quid in primis spectandum? 2. an eos petere? 3. an emere?

re: 4. an perpetuos esse: 5. an uni plures gerere liceat? 6. Quæ uirtutes quibus honoribus honestandæ? 7. An eos liceat gerere, ei qui per se muneribus fungi non possit? 8. De nominibus eorum publicè proponendis, qui honores ambiant.



MNINO Reipub. interest, ut uirtus & præclarè 1 facta maximè spectentur honoribus mandandis. Cùm enim ipsa uirtus summum bonum sit: opes & aliæ res non aliter censeantur bona, nisi quòd instrumenta sint uirtutum: certè uirtus ipsa maximè honore afficienda est. Friget enim, cum se debitis honoribus priuari: cũ uerò homines secordes & ignauos sibi præferri uidet, tum aut studijs debilitatur ac languet, aut ad res nouandas impellitur. Itaq; quidam uiri principes, multis rebus gestis illustres, cum homines parum idoneos uiderent sibi quadam fortunæ cæcitate aut æquari, aut præferri, multa animaduersi sunt agitare noua in pectore suo: homines etiam inferiorum ordinum, iniquissimo animo dominationem illorum ferre. Ipsi uerò qui in magistratus leguntur, nulla singulari uirtute præditi, nullis rebus gestis clari, quo modo se in suo munere tractare soleant, non est obscurum. Atq; utinam isti animum inducere possent, ueram uirtutis rationem cognoscere: fortasse minus cupidè appeterent honorem, quo minus dignos se esse scirent. Magnam etenim (quod etsi iam dictum, tamen sæpius dicendum erit) magnam inquam bonis moribus calamitatem ignorantia importauit. Quantus numerus est eorum, quos impotens ambitio, honorum' que contentio mirabiliter exercet? Quotusquisque autem horum est, qui sciat quid sit uerus honor, aut cur sit appetendus? Sunt quibus perpulchrum uideatur, sibi & assurgi ab alijs, & de uia cedi: se & uulgò admirationi esse, & cum honoris præfatione appellari: se & deduci, & reduci: denique & basilicæ spacijs, & quocunque loco sedeatur, se digniore sede honestari. Sed & hæc officia non tam animi inductione, aut uoluntate, quàm adulatione metu'ue sæpe præstantur: & certè qui se illis uenditant, nequaquam sunt in uiris magnis habendi. quemadmodum Parasitus inquit,

Est genus hominum qui esse primos se omnium rerum uolunt,
Nec sunt tamen: hos consector. —

Profectò magni & primarij uiri habendi sunt, qui multis uirtutibus ornati, mereri student tum de Repub. tum de religione: deniq; & de suis ciuibus, & de omni genere hominum. Honor autem uerus est, præclara hominũ existimatio de uirtutibus eiusmodi, deq; optimis factis. Qui fit igitur, ut qui nihil certaminis posuerint in uirtute, de honore certare ausint? Quis enim prudens & intelligens existimabit bene de uirtute eorum, quos uidet illius esse expertes?

pertes? Loquor enim de uirtute, quæ sudore & laboribus maximis comparatur: quę nostris rebus scienter & moderatè uti, quę ab alienis abstinere, quæ inopes ab iniurijs defendere, quę pro re iusta potentum odia & inimicitias suscipere, quæ patriæ laboráti subuenire, religioni periclitanti opitulari, ac pro ea & calamitates ferre & mortem ipsam oppetere iubet. Addamus & uirtutes cęteras, leniores quidem illas, ut uidentur: sed nihilo tamen minus quàm quæ dictæ sunt, uiro honorato necessarias: tum libidinum intemperantiæ coercendæ, tum iracundiæ cohibendæ, tum luxui ac insolentiæ comprimendæ, tum cupiditatibus importunissimis superandis, alijsq; uitiorum monstris debellandis ac conficiendis. Quibus quidem uitijs qui sint mancipati, ij praeferocium dominorum imperijs seruire, iussaq; eorum dies noctesq; exequi coguntur: usq; eò quidem, ut uix unquã quicquã laude ac libero homine dignum facere posint, seruitute improbisima uincti & oppresi. Qui uerò regnũ eorum excusserunt, ac uirus ex suis uisceribus euellere student, ipsaque uirtute duce ad honorem aspirare contendunt, eos uerisimum & iustisimum honorem consequi posse, magnos'que homines fore, & eorum qui nunc sunt hominum & qui futuri sunt iudicijs putabimus. Nam illa quidem capitis denudatio, poplitum inflexio, de uia cesio, nequaquam sunt ueri honoris nomine appellãda: sed sunt potius signa quædam honorũ, sæpe quidem ab hominibus uel coactis uel adulatoribus data: neque secus honoris nomine digna, quàm homo pictus hominis nomine dignus habetur. Age nunc, sit ita in aliqua Repub. cuncti populo, nemine quidẽ excepto, persuasum (ut certè persuasum debet esse omnibus) uerum honorem, ut prius dixi, existimationem esse hominum rectam de alicuius uirtute, in multis & præclaris actionibus uersante. Sit in eadem illa Repub. Thersites, aut si quis est Thersite ignauior, cui & hoc de honore, quod cuncto populo, persuasum sit. An Thersites animum adijcere poterit ad honorem & munus imperatorium? Certè si sapit, non faciet: cùm quidem ipse rerum suarum sibi probè conscius, sciat quàm ad munus illud sit ineptus: neque ignoret, pesimam de se existimationem esse cunctæ multitudinis. Sed fortè Thersites existimationem de se hominum tacitam contemnet: contentus erit uulgaribus honorum insignibus, titulis & reditibus. Quid igitur, ô noster Thersites, si illa iudicia de te hominum foràs eminerent, oculis'que & tuis & omnium aliorum cernerentur: quibus iudicijs te ignauisimum, stupidisimum, omnis prudentiæ expertem, omnes iudicarent: an non potius & titulos & insignia honorum, & reditus contemneres, potius'que inter priuatos ignobilis & sine inuidia uiuere, quàm in luce hominum, publico honore auctus, in summo odio uersari uelles? Quòd si uitam tibi acerbam

putares

putares in tantis populorũ odijs, cur igitur & nũc non magis eligis ingloriam uitam? cùm quidem non minore in odio es apud omnes conscios ignauię tuę, qui te tacitis cogitationibus condemnent: qui non amore, sed metu, tuo imperio sint subiecti: qui aduersum te capitale odium propter honorem, quem fœditate tua dehonestas, gerant. Nec debes putare, odium hoc obscurum & ieiunum perpetuò fore. illustrabitur aliquando: & quod nunc rebus secundis tuis obscuratur, id si quid aduersi tibi acciderit, tandem se efferet. Etenim ut in nobis multa malè affectorum membrorum uitia latent, corpore firmo & ualido, quæ eadem grauitate ualetudinis crudescunt, & dolores concitant: seu quid luxatum sit, seu conuulsum, seu ruptum: sic eorum qui sunt in summis honorum gradibus collocati, tantisper deformitates occultãtur & dissimulantur, dum rebus secundis utuntur. Quòd si fortuna illis aduersa fuerit, & infesta, tum quidem uitia & prauitates eorum proferunt sese, & erumpunt: nec solum hominum sermonibus celebrantur, sed fœditate sua tetros & graues undique odores diffundunt. Ne igitur dubita, ô Thersites, quin & tua dedecora, quibus honorẽ quo fungeris maculasti, aliquando erumpant. Primùm uocibus maledictis'que multorum in uulgus spargentur. & quemadmodum Midæ auriculæ à ministro, ex initimis uno, proditæ, & in arundinem (ut est in fabulis) in auras surgentem quasi impressæ sunt: ita tui, qui te nunc metuũt, populi, prodent tandem stultitiam tuam orbi, tuam ignauiam apud cunctos decantabunt. Quid te deinceps maneat, tu uideris: noti enim sunt exitus tyrannorum. Sed Thersiten missum faciamus: de ratione mandandi honores pergamus dicere. Video apud nos summos honores, quibus publica salus continetur, moribus ac institutis patrijs, soli nobilitati deferri. Rectè hoc quidem, ut apparet. Soli enim propemodum nobiles apud nos habent fixas possessiones, & opes bene fundatas: neque in artibus sordidis uersantur, nec quæstus faciunt qui in odia hominum incurrant. Habent rationem cum terra, in qua colenda artes suas exercent: ex cuius fructibus faciunt quæstum. Ac Reipub. quidem conducit tales habere præfectos, quibus sit res familiaris bene constituta: ne si homines uel prorsus egentes, uel fluxas possessiones habentes, maximarum rerum curam sustinerent, inopia uel necessitate aliqua, Rem ipsam publicam quæstui, ut fit, habere cogerentur. Decet & illam nobilitatis rationẽ in primis haberi, quòd ab ijs orti sunt, qui pro Repub. multa fortiter gesserunt, mortemque pro eadem multi occumbere non dubitarunt. Etenim ita ferè fit, ut & filij similes esse uelint parentum ac maiorum suorũ: & Respublica speret se eosdẽ uirtutis fructus, quos à maioribus accepit, à posteritate quoq; percepturam. Verumenimuero omnes nobiles

Demosthenica similitudo, Olynth. 2.

cogitare decet, non tam generi suo honores à Republica decerni, quàm generis sui uirtuti: à qua qui degenerent, eos quidem maioribus suis indignos prorsus esse & uideri. Sit igitur & hoc in moribus positum, ut in honore mādando maximus habeatur respectus uirtutis. Non patiatur sibi Rex, uel cuius interest ea curare, fumosis tantùm maiorum imaginibus imponi: perspiciat ingenium naturamq́ eius quem honestandū decreuit: audiatur eius uox uel in Senatu, uel in iudicijs: fiat periculum eius consiliorum: cognoscantur eius facta aut militiæ, aut domi. Etenim qui ab omni re eiusmodi imparatus sit & ingenij & doctrinæ, qui laboris honesti sit ignarus & impatiens, qui maximam temporis partem ludendo, conuiuia exercendo, traducere consueuit, haud scio quid tandem præclari in magistratu efficiet. Quòd si quis inertiam auxerit nequitia, an non illi magistratus daret occasionem, licentia uti pro legibus, contumelia pro iusta animaduersione? Quomodo uerò talis homines retineret in officio? quomodo bonum malum'que discerneret, nisi libidine? Hi sunt, qui bonos uiros, fortes & prudentes, habent inuisos: quos uel tacentes, de se malè sentire putent: eos'que pluris ab hominibus fieri uideant, digniores'que iudicari magistratu, quàm seipsos. Igitur studia & actiones sunt cognoscendæ eius, cui magistratus est deferendus. Extent merita eius uel in Rempub. uel in religionem: denique habeantur uirtutis & industriæ eius singularia documenta. Hoc enim modo non tam stemmata à proauis demissa, quàm uirtutes maximæ illis consociatæ, honoribus meritis honestabuntur. Sed quoniam multi nobilitatem generis prius inspiciendam putant honoribus deferendis, quàm uirtutem, coarguendus est hic error: atque ita statuendum, ueram nobilitatem non tam in maiorum claritate, aut stemmatum uetustate positam esse, quàm in uirtute. Quis enim non uidet, neminem esse eundem quod maiores suos? & ut possesiones, ita parentes extra nos esse, non in nobis? Sicut ergo opes meæ meliores sunt tuis, siquidem ego ditior sum te: ita parentes mei meliores sunt tuis, siquidem mei plus sunt de Repub. meriti quàm tui. At ut diuitiæ me bonum non reddunt, ita nec maiorum nobilitas nobilem. Quemadmodum Vlysses, ille ducum Græciæ clarissimus, in ea contentione quam cum Aiace, exercitu Græcorum spectante, de armis Achillis habuit, inquit:

Nam genus, & proauos, & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra uoco. —

Tam igitur sanguis nobilium maiorum tuorum reddit te nobilem, q̄ sanguis patrū fabrorū efficit filios fabros, & athletarum athletas, & medicorum medicos. Quòd si nec medici ex medicis, nec fabri ex fabris, nec ex athletis athletæ nascuntur: fas sit quæso rebus simi-

libus

libus similia tribuere, nosq; sine ullo metu ita concludere, ut dicamus, ex nobilibus quoq; nobiles nasci nō oportere. Sæpe enim dissimiles sunt filij parentū. Nam & ex bonis mali, & ex malis nonnunquam boni nascuntur: ut non immeritò scripserit Satyricus,

Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Aeacidæ similis, Vulcaniaq; arma capessas,
Quàm te Thersitæ similem producat Achilles.

Et P. Scipio (Romanis enim exemplis utimur libenter) qui ex uirtute primus Africanus appellatus est: & Q. Maximus ille, qui cunctando restituit rem: & M. Cicero, qui ob conseruatam Rempub. pater patriæ nominatus est, patribus & maioribus suis maximo ornamēto fuere. At horū filij, quàm altæ uirtutis patrū degeneres? q; multis turpitudinum maculis deformes? Quis nostrûm non nouit Constātinum illum Iuani filium, ducem clarissimum, in armis & uictorijs illustrissimum? Quo mortuo, successerat Elias filius in nomen & opes paternas: at non item in uirtutem illam bellicam, qua pater suus toti orbi maximè erat conspicuus. Quis est igitur qui putet, nobilitatē maiorum ad posteros sanguinis cōmunione deriuari oportere? Nam de stemmatis quod iactant, omnino & illa sunt ueluti testes uirtutis maiorum nostrorū, rerumq; ab illis gestarū. Victoriæ quoq; & triumphi domestici nostri, exempla sunt ac incitamenta, ad præclara maiorum facinora nos stimulantia. Ea uerò talia sunt, ut in rerum quas cum alijs communes habemus paritate nihil per se nobis precij addant. Nisi fortè scyphis duobus ligneis, hoc est materiæ & formæ eiusdem in medio positis, accedit uni eorum plus pōderis ex inscriptione aut imagine aliqua singulari, quæ alteri scypho adiecta non sit. Quod ut apud idiotas locum habere possit, certè apud eos qui res penitus nouerunt, non habebit. Quid igitur istis ipsis stemmatis efficitur, quàm necessitas nobis imponitur imitandæ nobilitatis maiorum nostrorum: uirtutibus, quibus illi insignes titulos, claraq; familiæ cognomina, fecere colendis & exercendis? Nisi enim hoc à nobis factum fuerit, tantum abest ut parentum nostrorum similes simus, ut & filij degeneres iudicemur: & omnibus ijs qui domesticis eiusmodi exemplis tāquam calcaribus carent, peiores & ignobiliores. Profectò uirtus ipsa talis est, ut neque propagatione naturæ, neq; ulla trāsmissione, ad hæredes peruenire queat. Nam cùm parentes de bonis ferè omnibus testamento cauere possint, uirtutem tamē ipsam posteris aliter prodere non possunt, nisi illi actionibus & sudore eam sibi comparauerint. Quibus enim magis placet ocium & mollicies, qui rebus alienis dignitate uirtutis student, qui se, parentes & amicos dedecorant flagitijs suis: ij quidem sciant, se à nobilitate maiorum degenerasse, nihil eis prodesse imagines uetustas, nihil auorum & proauorum præclarè

facta:

facta: neq; alio loco habendas esse, quàm monstrosos partus: qui uel si ab ingenuis editi sint, tamen minimè censentur liberi. Non enim magis tibi prodest generis claritas, nominisq; antiquitas, nisi comitem habuerit uirtutem & preclarè facta, quàm cæco lumen solis, surdo soni quamuis dulces, in mari nauigāti aratrū, in terra ambulanti clauus. Sed nostra nobilitas magnā partem peruersis opinionibus infecta est. uident enim maiorem familiæ & imaginum in Repub. quàm rerum aliarum rationem haberi. ideo permulti eorum parum soliciti sunt, ut se moribus, doctrina, rebus præclarè gestis nobilitent: laboris sunt impatiētes, iactibus talorum & Baccho longas consumūt noctes: nec quicquam magis student, quàm ut gemmis, argento & auro niteant, uestitu splendeant, ministrorum cateruis cincti incedant. Itaque quod olim ab Aristotele philosophorum acutissimo de nobilibus dictum est, id nostra etate uerissimè usurpari posse uidetur. is enim, cum ueterē nobilitatem in uirtute ac copijs rerum positā esse affirmasset, subdidit: nobiles bonosq; uiros nusquam centum reperiri, locupletum autem ubique magnum numerum esse. De quibus quidem locupletibus, qui copijs rerum subnixi ad honores contendant, quid dicam? cum constet, Respub. olim (ut in historijs Romanis proditum est) à uiris tenui cum re, præclarè gestas: ut Valerio Publicola, Menenio Agrippa, Attilio Regulo, Qu. Aelio, Cn. Scipione, & compluribus alijs ciuibus Romanis. Quorum, aliorum filiæ ob parentum paupertatem ex ærario dotatę & elocatæ sunt: aliorum uxoribus & liberis, cùm ipsi rebus externis occupati essent, alimenta à ciuitate prębita, nonnullorum mors sepulturæ honore caruisset, nisi pecunia publica collata fuisset. At, qui illi, & quanti uiri? quantarum rerum gloria clari? Omnino per illos Respub. aucta & cōseruata est: quæ postea opibus Pōpeij & Cæsaris collapsa erat, & corruit. Iam de potentia ipsa idem dicendum esse uidetur. Nam ea, seu diuitias seu generis nobilitatē concomitetur, uirtute remota, quid est aliud quàm gladius in manu furentis? Vtinam non tam essent multa exempla eius rei. sed omnes Respub. omniaq; ętatum omnium tempora, experta sunt mala infinita, ab hominibus potentia sine uirtute prædi tis. Quid igitur superest, quàm ut industria, uirtute, & præclaris actionibus, qui se alijs præferri cupiant, hoc sibi uindicent? Illi enim maximè bonis moribus nocent, qui in petitione honorum nulla re magis quàm stemmatum antiquitate, ministrorum comitatu, uestium splendore, epularum profusione, & alijs operibus tum generis tum diuitiarum sese uenditant. Præstigię sunt istæ & captiones, non causę honore dignę. Laudatur Scipio Africanus, qui cum omnibus & corporis & fortunæ bonis esset cumulatus: tamen non offundebat oculis ciuium nebulas istas natalium, opum, potētiæ: quibus

ff. de statu hom. l. non sunt liberi.

Politic. 5.

Valer. lib. 4. de paupertate.

bus multi ſtudent illuſtres fieri, & magnifici. Nulla re petendis honoribus niti uolebat, præter ſolam uirtutem. Sed hoc Scipioni factu facile erat, qui uirtutibus maximis ornatus fuerit: alijs nō item, qui uirtuti ſuæ deſperantes, præſidia quærant alia honorum adipiſcendorum. Atq; haud ſcio an honores petere ius faſq; ſit. Neq; 2
enim ſi id Romæ licebat, ubi magiſtratus erant annui: propterea apud nos licet, ubi ſunt perpetui. Cogebantur enim qui Romæ gubernabant Remp. anno exacto & magiſtratu abire, & rationem geſti magiſtratus reddere: nam & repetundarum accuſabantur, & in exilium agebantur, & modis alijs puniebantur. Itaq; dabatur unicuiq; ciuium poteſtas magiſtratus petendi: quòd unumquenq; in magiſtratu cogitare oportuerit, tales alios qui annis uertentibus, alius poſt alium ſucceſſuri eſſent, in eum fore, qualem ſe ipſe in illos geſsiſſet. Apud nos autē, ubi permulti magiſtratus & ſacri & profani non niſi uita hominis finiuntur, uix puto aliquem ambitioſis locum relinquendum eſſe: hoc eſt, ijs qui inferant ſe ipſi ad honores, & quaſi intrudant uel petendo, uel aliquos pro ſe precatores ſubornando. Videntur enim tales non Reipublicæ, ſed ſui commodi cauſa petere. quod abſq; nefanda & pernicioſa labe ciuitatis exiſtere nequit: præſertim cùm qui adminiſtrant, metu omni & exiſtimationis hominum, & inquiſitionis accuſatorum, uacui ſint. Facilimè profectò tales ad omnem animi libidinem impellūtur. Miſerrima eſt (ut Plato dicit, & Cicero refert) ambitio, honorumq́; cōtentio: & rectè quidem. non enim nautarum eſt, ac gubernatorum, eos qui uehendi ſint, petere ut ſe uehi ſinant: ſed contrà potius, qui nauigatione uolunt mare trāſmittere, ij fidem et operam nautarum implorant & expoſcunt. Et quamuis Paulus CHRISTI apoſtolus dicat, bonum opus ab eo appeti qui epiſcopatū appetat: quod de epiſcopatu dictum, ad functiones alias transferri poteſt: uerùm non eſt idem appetere, & ſeſe ingerere. Debet quidē uir bonus, & doctus, & ad res gerendas multis uirtutibus inſtructus, appetere ut quàm maximè proſit mortalium generi: ut qui ſciat, nō ſe ſibi natum eſſe, ſed amicis, patriæ, & religioni. Nihil etiam impedit, quo minus idē declaret ijs qui tenent Rempub. ſe cupere ipſi Reipublicæ ſeruire: hancq; uoluntatem ſuam aperiat, ſi fortè magiſtratū aliquem ei demandare uelint. Non eſt hoc ambitioſi: ſed eius qui uelit rectè conſultum Reipublicæ. Certè multorum uirtutes ignorantur, qui toti ſe contulerunt ad ocium & ſolitudinem: multorū uoluntates ſunt obſcuræ, qui in lucem ac oculos hominum nunquam prodierunt. Qui utcunq; boni ſunt, ac uirtute & doctrina ornati: tamen quia à negotijs ſe remouerunt, fit ut hominū indignorum imperia cogantur ferre: hancq́ue iuſtam perſoluant pœnam Reipub. quam relinquant ac deſerant. Qui igitur dignus reputabitur honore, is ad

Rempub.

Rempub. accedere debet. Si id recuset, crimine non carebit: nisi forte infirmitatis conscientia id renuit. Nam qui uel pigritia, uel laboris uitandi causa, uel propter priuata studia, ad Rempub. etiam uocatus, non accedet: is tam erit in uitio, quàm patriæ, salutisque communis desertor. Cùm enim omnes omnium charitates patria una complectatur, omnia præ illa posthabenda sunt, omnesque labores, animo magno & elato pro illa suscipiendi. Idque usque eò, ut si Reipublicæ necessitas urgeat, non sit indignum bono & prudente uiro, ultrò sese ingerere ad eam administrandam, atque ad pericula pro ea appetenda. Cato iunior, amicis hortantibus uti tribunatum peteret: respondit, id se parum decere, tempore Reipub. non necessario. Postea cum Metellum, hominem turbulentum, petentem uideret, ipse quoque candidatus in campum descendit, ut suo tribunatu Metelli insolentiæ obsisteret. Idem ut Crassi & Pompeii designatorum consulum potentiam frangeret, præturam urbanã sibi mandari acriter contendit. Et si autem nihil insolenter, nihil prætermores factum fuisset, si spontè se ambitioni dedisset: tamẽ cum magnitudine quadam animi despiceret, quos mirantur alij, honores, non aliter se ad petendum adduci passus est, quàm Reipub. necessitate coactus. Petijt igitur & tribunatum, & præturam; hoc est, petijt sibi occasionem uirtutis exercendæ dari, ad furores turbulentorum compescendos, ad libidinem potentium comprimendam. Et Cato igitur rectè fecit: & qui simili studio uel petierint, uel uoluntatem suam principi declarauerint, non minus rectè facient. Cæterùm cum honestare, qui uel opum augendarum, uel potestatis adipiscendæ, uel splendoris ostentandi gratia magistratum sitiat atque petat: aut solis petitoribus ad honores aditum aperire, nõ est rectum, nec commodum Reipublicæ. Sed quomodo cognoscendum, quo quis animo petat? Ego uerò uideo id, nisi coniecturis, cognosci nõ posse: quas & ipsas sæpe falsas existere, non ignoro. Sed tamen cautionis est, ad omnia animum aduertere, quæ nos dirigant ad ueritatem: ambitioni uerò apertæ, ac petitioni improbæ annuere, iniusticię. Semper enim nescio quo modo ad famam sordida existimata est eiusmodi petitio. neque uerò id tantùm petitori: sed ei etiam, qui honorum potestatẽ habens, petitoribus eiusmodi subscribat. Non enim petitores isti uacant suspicione corrumpendi pecunia, & eos quorũ utantur opera petẽdo, & eos quorum in manibus res est. Sed Rex, & penes quos honorum est potestas, facilè petitorum improbitatem coercebunt, si in uulgus fuerit cognitum, in nullam dignationem eum peruenturum, qui ad honores petitionibus obrepere uelit. Pulcherrimus autem mos fuerit, si Rex, & ij in quorum uoluntate res posita est, sponte sua ad honores euocent homines dignos, qui multa habeant adiumenta rerum gerendarum.

Sic

Sic enim natura comparatum est, ut qua re, quóue homine opus habeamus, eum libenter ipsi quæramus. Neque est ferè quisquam, qui quærat eos quibus sit ipse necessarius, nisi id facit utilitatis suæ causa. Quòd si unusquisque rebus ad uitam necessariis acquirendis, non eas emit quæ à uenditore cõmendentur, sed quas ipse iudicauit bonas & sibi commodas esse: certè etiam quorum dominatu Respublica tenetur, honoribus mandandis diligenter uidebunt, cui'nam rectè Resp. committi possit. Sic autem & iurè dignitas illa appellabitur, quæ digno uiro, multisque dotibus rerum gerendarum ornato tribuetur: & homines ipsi legitimè uocati uidebũtur, cùm quidem ad quem modum hodie, suo uel amicorum rogatu, consequuntur honores, non tam ad illos uocantur, quàm obtruduntur. Quòd 3
si uitiosus est magistratus, cùm precibus impetratur: an non multo uitiosior est, cum pecunia contenditur? Fieri enim non potest, ut qui per largitionem adepti sunt honores, nõ uelint ex eis quæstum facere. Neque uerò tantùm hoc suo peccato nocent Reip. sed etiam imitationem perniciosi exempli aliis hominibus produnt. Nemo enim libenter studet uirtuti, cùm diuitias maiore in precio & honore, quàm illam ipsam uirtutem, fieri uidet: nimiaque illa admiratio diuitiarum, ad multa scelera homines impellit. Neque sperandum est, ut cuius rei exordia malè instituta sunt, ex ea aliquid boni unquam proueniat. Quod si quis fortè ueteri Romano more magistratus 4
ambiri licere existimet, is & illud à ueterib. Romanis in nostrũ morem perduci op'tet necesse est: ut magistratus nullus perpetuus sit, sed uel annuus, uel ad aliud certum & definitum tempus durans. quod quidem plerisque iustè fieri debere uisum est. Nihil enim indignius libera Rep. uidetur, quàm ut aliquis unus ad mortem usque liberè dominetur, ac iugum ceruicibus æqualium suorum imponat: ipse inquisitionis omnis in se suumque magistratum securus. Multa tales solent agere auarè, iniquè, negligẽter: nimirum metu omni uacui succedendi sibi ab aliquo, quamdiu uixerint. Quid si hi boni essent, ac Reip. studiosi? an non facilè hoc honore cederent iis, cum quibus illis communis esse debeat: contenti ipsi se eo perfunctos esse? Sin mali, ac suæ magis quàm publicæ rei amantes, an non digni essent, qui uel inuiti in ordinem redigerentur, ratioque gesti magistratus ab eis reposceretur? Nemo tam sanctis & integris est moribus, quin in perpetuitate honoris peccet uel odio, uel amore, uel alia affectione: præsertim quum sit cum multis coniunctus uel affinitate, uel amicitia, in quorum gratiam multa eum facere oporteat: cum aliis etiam simultatem uel inimicitias exerceat, quibus eum inuidere, ac malè uelle uerisimile est. Quanto igitur in hac morum inconstantia ac infirmitate tutius est, magistratus esse temporarios, ac certo aliquo tempore definitos: quo exacto noui succedant, priores

5 uerò rationem reddãt geſtæ Reip. Quamuis autē hoc uulgò laudi
ducatur, cum unus aliquis gerit plures magiſtratus: tamē multis ui-
detur hoc ipſum dignũ reprehenſione. Vnus enim uni muneri uix
ſufficere poteſt: diuerſis munerib. prorſus non poteſt. Itaq; etiã qui
plures magiſtratus adepti ſunt, ij cùm officia illorum exequi non
poſsint, plures pro ſe ſubſtituũt uicarios. Quid igitur impedit, quo
minus illis pluribus deferantur ſinguli magiſtratus, quos nemo u-
nus ſine uicarijs pro dignitate gerere poſsit? Quòd ſi parum decet,
unum plures gerere magiſtratus: multo minus decebit, ut aliquis
cæteris neglectis, ſupra modum augeatur imperij dignitate. Inſolen
tiores enim redduntur, qui ultra cæteros fortunam ſibi ſentiunt be
nigniorem. id quod ætas noſtra uidit in nouo quodã homine. Ipſi
quidem certè qui ambiunt plures honores, non tam id Reip. quàm
commodi ſui cauſa facere uidentur. Et quemadmodum qui cibis ua
rijs, potionibusq; ſeſe onerant, magis debilitant quàm confirmant
ſtomachi uires: ita qui honoribus ſe complent multis & uarijs, uel
eis utuntur tanquam crudis, minimeq; concoctis, ſi officium ſuum
negligant: uel frangunt uires ſuas, ſi muneri & officio nuſquam de-
6 eſſe uelint. Rectè mandari honores, qui uirtuti mandentur, oſten-
ſum eſt: ſed quia uirtutes ſunt uariæ, itaq; uidendum eſt, quæ uirtu
tes cui honori reſpondeãt. Vt enim in exemplo à cibis ſumpto per-
ſiſtamus, non ijdem cibi omni corpori competunt: & qui uni cor-
pori ſalubres ſunt, illi ijdem alteri ſunt noxij. deinde, non omni cor-
pori ueſtes æquales adduntur: ſed unicuique pro quantitate. ita a-
criter uidendum, quæ uirtutes cui muneri aptæ eſſe poſsint. Plus
Thomicij & Choienij uirtus ad munera urbana ualebat: Euſta-
chius & Lancicorunius in armis clari erant: Conſtãtinus & Laſcius
7 & conſilijs dandis, & armis tractandis fœlices erant. Itaque hęc mo
narchis uidenda ſunt: eiſque honores mandandi, qui per ſe fun-
gi muneribus, qui ipſi uidere & res tractare poſsint: non qui tan
quam cæci, aut manibus carentes, alienis ſemper oculis credere, a-
lienisque manibus omnia agere cogantur. Odioſum eſt profectò
hoc genus hominum, qui cùm ab omni re ingenij, doctrinæ & fa-
cultatis imparati ſint, tamen cęco quodã mentis impetu honoribus
inhiant: quos magnificis titulis, amplis reditibus, ac alijs inſigni-
bus metiuntur: putantque ſe hac ratione eis dignos, quòd habeant
quoſdam, quorum opera utantur ad res gerendas. & addunt ſimi-
litudinē, ſe illis uti quemadmodũ fabri utuntur malleo & inſtrumē-
tis alijs, ne manus eorum incommoda ignis ſentiant. O ſimilitudi-
nem diſsimilimam. Quis enim ignorat, fabrum uti inſtrumētis ſuis
pro arbitrio: ita quidem, ut niſi agat faber, conquieſcant prorſus in-
ſtrumenta? contrà autem, qui ipſi rerum omnium imperiti ſunt, an
non potius inſtrumenta ſunt eorum à quibus reguntur? Mihi
quidem

quidem non dissimiliter facere uidentur, atque si pedes uidere in a-
nimum inducerent, munerétque oculorum fungi: sed cùm id non pos-
sint, oculorum quidem opera uidendo uti uellent: ipsi uerò hono-
re uidendi, & res omnes aspectu cernendi gaudere, ipsúmque oculo-
rum locum occupare. Atqui honestius est uos, ô nostri pedes, ue-
stro ambulandi officio contentos, oculis & locum, & suum uidendi
opus, & eius operis gloriam relinquere. Etenim si uidere uultis, si
audire, si olfacere, si omnium membrorum partes explere, corporis
distinctio & harmonia pereat necesse est, totum'que corpus nihil a-
liud quàm pedes erunt: sin membrorum aliorum gloriam tantùm
uobis tribui, cùm ipsi nihil præterquàm ambulare possitis, sanè quę
ridendos uos membris alijs prębetis. Præclarè Cicero: Ad rem, in «
quit, gerendam qui accedit, caueat ne id modò consideret quàm res «
illa honesta sit, sed etiam ut habeat efficiendi facultatem. Præclarè «
& Paulus uarietate donorum, quibus membra corporis unius prę
dita sunt, commēdata, atque ea ad corpus uel Reipub. uel ecclesiæ ac
commodata, præcipit, ut quisque cogitet quantum sibi à Deo datum
sit: mensuram sui doni expendat, ut ipsum rectè excolat & exornet:
nec muneribus sibi natura negatis inuadendis, confusionem & tur-
bationem in rebus humanis efficere contendat. Qui rationes ueri
honoris rectè considerauerit, haud facilè rapietur ad studium ho-
norum, quibus curas & solicitudines uarias adiunctas esse nō igno
rauerit. Verùm multi uident quid expetant: causas ueras, quam- 8
obrem id faciant, parum animaduertunt. non abs re fuerit, ut ne id
impunè illis fiat, publicè nomina eorum proponi: potestatémque fie-
ri cuiuis exponendi, quid in eo, qui sit honestandus, uel qui de ho-
nore contendat, desideret. Hunc morem in Rep. Veneta obserua-
ri, Caspar Contarenus testatur, de Ducis electione sic inter cætera
inquiens: Si quis existimauerit eum ciuem, qui eligendus sit, minus «
idoneum, qui tam magnam dignitatem sustineat, aut ob quāpiam «
aliam causam non fore è Rep. eum Ducem esse, consurgit: ac primò «
modestè præfatus, ingenuè profert, quid de eo ciue sentiat: & quā- «
obrem putet non esse in rem patriæ, eum ducem fieri. Cum is finem «
fecerit, Senatus renunciatū adhibet: ac statim à seniore ei omnia re «
petuntur, quæ ei obiecta fuerint, authore tamen suppresso. nam sa- «
cramento antea omnes perpetuo se obstrinxerunt silentio. Refellit «
ille obiecta, ut libuerit. Deinde recedit è curia. Quod si prior, aut a- «
lius quispiam, nouis rationibus adhuc arguere, & accusare hominē «
uelit, potestatem habet. Nouis criminationibus rursus accersitus il- «
le, respondet. Sicque uicissim res tractatur, donec accusatoribus nihil «
amplius relictum sit. Tum demum in suffragia itur. Hæc Contare «
nus, in Ducis Venetiarū electione obseruari ait. quæ de alijs quoque
magistratibus, perpetuis præsertim, quæ cum uita hominis termi-

Caspar Côtar. de Venetorum Repub. lib. 1.

Aelius Lamprid. in uita Alexan. Seueri.

nentur, intelligi possunt. Similem morem ab Alexādro Seuero imperatore Romano obseruatum esse, Aelius Lampridius prodidit his uerbis: Vbi aliquos uoluisset uel rectores prouinciæ dare, uel præpositos facere, uel procuratores, id est rationales ordinare, no„ mina eorum proponebat: hortans populum, ut si quis quid habe„ ret criminis, probaret manifestis rebus: si non probaret, subiret pœ„ nam capitis. Dicebatq́ graue esse, cum id Christiani & Iudæi face„ rent in prædicandis sacerdotibus qui ordinandi sunt, non fieri in „ prouinciarum rectoribus, quibus & fortunę hominum committe„ rentur, & capita. Ex quibus uerbis historici obseruari licet, ueterem Christianorum morem in electionibus ministrorum Ecclesiæ fuisse, ut qui eligendus esset, eius nomen publicè proponeretur, si quid forte esset in eo, quod eum Ecclesiæ ministerio indignum facere: illum'que morem Alexandrum Seuerum ad electiones magistratuum ciuilium transtulisse. Ex his igitur quę dicta sunt, perspicuum est, maximam esse Reipub. pestem, si inter bonos et malos fiat discrimen nullum: multo etiam maiorem, si mutato rerum ordine boni negligantur, mali in precio habeantur. & quemadmodum Cato inquit, si pisciculi quàm boues pluris æstimentur. Planum est & illud, hoc minorem in Repub. uirtutis ac bonorum rationem haberi, quo maior est admiratio generis ac diuitiarum. Nihil igitur salutarius est Rebuspub. (ut Socrates apud Platonem inquit) quàm potestatis sapientiæq́ coniunctio: nihilq́ rectè & ordine ab eo fieri potest, qui cum potestate existens, non omne suum studium, curam, diligentiam, cogitationem in doctrina & sapientia posuerit. Et hæc quidem hactenus.

CAPUT XX.

1. De honoribus, in quos parentibus filij uel alij hæredes legitimè succedant: uel qui testamento ad aliquem perueniant. 2. Et hic de educatione filiorum uirorum heroum: 3. Et de humanitate subditis præstanda: 4. Et de eo, num liceat domino, ut aliquid adimat subdito suo.



ED pręter eos honores, qui uel à Repub. uel à Regibus, uel ab alijs qui sedent ad gubernacula deferuntur, sunt alij quidam, in quos filij succedunt parentibus mortuis: quorū cùm illi hæredes sint, imperant ijs populis qui subiecti erant parentibus. quod quidem imperium perseuerum est: cùm non liceat apud nos colono, quantumuis iniuria affecto, queri de domino suo. Sunt autem quidam domini adeò immanes, ut non aliter utantur colonis quàm pecudibus. Ideo & illud in mores inducendū esset, ut statis temporibus seu censores, seu quiuis alij magistratus inquirerēt in eiusmodi dominos omnes: imò & in alios præfectos, quemadmodū se gerant suis hominibus imperando. Certè illis non debet

debet esse impune, si quid crudeliter, auarè, uel contra quàm deceat gesserint. Quòd si interest Reipub. ne quis malè utatur re uel sua, uel aliena: quanto magis, ne abutatur hominibus? quibus certè nemo præesse deberet, nisi se Reipublicæ probaret: nisi se alijs bene paruisse, ac magistratus dicto audientem fuisse, ostenderet. Nemo admittitur ad artem aliquam publicè exercendam, nisi & à magistris primùm eam didicisset, & specimen eius dedisset: quanto minus admittendi sunt ad imperium, qui documenta nulla dederunt, se aliquando bene paruisse? Verissimè enim illud dicitur, Qui bene imperaturus est, bene paruerit aliquando necesse est. Negat Aelius Spartianus, quẽquam magnorum uirorum bonum 2
& utilem filium reliquisse Reipublicę, quòd aut sine liberis interierint, aut tales habuerint, ut melius fuerit humanis rebus sine liberis decedere. Nihil Romulum, nihil Numam Pompilium, quod Reipub. utile esse posset: nihil Camillum, Scipiones, Catones, qui magni fuerunt: nihil Homerum, Demosthenem, Virgiliũ, Salustium, Terentium, Plautum. Quid Cæsarem, quid Tulliũ, quibus melius fuerat liberos non habere? Quid Augustum, qui ne adoptiuũ quidem bonũ filium habuit: cùm illi eligẽdi potestas esset ex omnibus? Verè hæc quidẽ Spartianus: quemadmodũ & Homerus dicit, paucos filios parentum esse similes, plures peiores, paucissimos meliores. Ergo & id cogitent uiri magni, qui populis multis imperant, curẽt filios suos rectè educari & institui, ne pestes post se relinquãt rebus humanis: assuefaciant eos & agere quæ necesse sit, & tolerare quæ oporteat, & malos fugere, & bonos amare, & seniores honorare: æqualibus humanos, iunioribus placabiles se reddere: magistratui obtemperare: ijsq́ artibus eos imbuant, quibus tum ad humanitatem informẽtur, tum ad rectè imperandũ sint instructi: atq; etiam illud sæpissimè eis inculcent, inter patrẽ & bonum principẽ nihil interesse debere. Referebat aliquando super mensam, for- 3
tissimus & illustrissimus heros IOANNES TARNOVIVS, exercituum Polonorũ imperator, se, cùm in Italiam iter faceret per Bauariam, ad ædes uiri cuiusdam nobilis, ut ibi de uia fessus (nox enim appetebat) quiesceret, diuertere uoluisse. qui quidem nobilis cum uxorem tum haberet parturientem, ac domum mulieribus, quæ illi (ut fit) opem ferebant, refertam, rogauit imperatorem ut in ædes coloni cuiusdam sui diuerteret: se enim ibi ea quæ in penu suo essent, illi suppeditaturum. & imperatore quidem annuẽte, accedit nobilis ille colonum suum: ac pileo honoris causa deposito, rogat imperatori diuersorium. aderant tum nobiles quidam Poloni, imperatoris familiares, qui ut commoditates diuersorij uiderẽt, Bauarum comitabantur. At illi irasci & fremere, rem'que indignã dicere, ut colonus à domino uel honoraretur, uel rogaretur: qui

cerdotibus, & singulis tribubus, singulas terræ portiones certis terminis circumscribi & definiri mãdat. Qua quidem re significat, non tantùm alios omnes, sed & principem, suis portionibus contentos esse debere: suos agros exercere & arare, alienos non inuadere & occupare. Cur enim illi qui agros distributos quisq; pro sua parte colunt, non iure optimo dicere possint, agrum cultum propriũ esse & suum? non minus certè quàm ille, qui uel consensu omnium electus est dux & dominus, uel alios sibi adiunxit ad ratas terrę portiones colẽdas, dicit, suum proprium esse quod illi obtigit. Neque enim ille uel à multitudine accipere, uel sibi sumere in uniuersos potuit quicquam aliud, quàm imperium & principatum. Prædia quidem ea sola domini esse, quæ illi propria tradita essent, uel quæ illi obtigissent, illud argumento est, quòd in mercando, uendendo, aut tradẽdo, dominium tantùm à se transferre, non alicuius subditi res proprias auferre queat. Et qui dominatum ab eo acquirit, non res emat populorum, sed & prædia quæ possidebat is qui prius imperabat, & ipsum dominatum: cuius ratione nihil à populis exigere iure possit aliud, quàm uel tributa, uel operas debitas. Quid quòd ipsi etiã uictores, eadem prorsus æquitate uictis imperitasse leguntur? quos & uita donabãt, & possessionibus omnibus gaudere uolebant. quemadmodũ Cyrus ad Assyrios uictos, & in fidẽ receptos loquitur: Bene, inquiens, facitis uiri, quòd mihi parueritis: nihil enim mali deinceps patiemini, nisi quòd non idem qui prius, uobis imperabit. easdem, quas prius, ædes inhabitabitis: eandẽ regionem coletis: earundem uxorũ utemini contubernio: uestrisq; filijs, sicuti nunc, imperabitis. Si quis uobis iniuriam inferet, nos pro uobis pugnabimus. Humanissimè hæc quidem Cyrus. Quo igitur iure faciunt, qui nec ui, nec armis, sed uel hæreditate, uel donatione, uel ex empto bonis acquisitis abutũtur? qui malis artib. homines mulctant: possessiones subditorũ uel depascunt, uel eripiunt: colonos pellunt, prędiaq; illorum occupant? Hoc non fecit Cyrus Persa Assyrijs, quanto minus decet facere Christianum dominum Christianis subditis? Apud Germanos quidem, & Christianos ferè omnes, serui nulli uisuntur. Leges etiam Mahometanæ uetant, quempiam religionis eiusdem, seruorum in numero haberi. Christiani, quorũ religionem execrantur, illis seruiunt. Nos uerò, qui ueram in Deũ religionẽ amplexi sumus, nihil pudet, nostræ religionis seruos habere. Non dico, quin aliquis iusta causa in seruitutem damnari possit: quemadmodũ Noa Chanaam filium seruituti addixit, ob peccatum. Sed dico de hac seruitute usitata, qua in subditos domini utũtur, nullo illorum delicto: fundos & possessiones eis dum libet eripiendo: eosq; etiam, quod in nonnullis fit prouincijs, tanquam bestias uendendo. Et habet quidem ea res, prę ter alia, illam iniqui-

Xenoph. de pædia Cyri lib. 4.

tatem: uolunt enim domini sibi liberum esse, quando libeat, agros auferre colono: non uolunt autem liberum esse colono, agrum relinquere quando uelit. imò cum de colono retinendo agitur, adeò illum uendicare student, ac proprium facere, & mancipio, & usu ac fructu, ut ne liberis quidem eius faciant potestatem abeundi. Deus conditor orbis, tanta benignitate est, ut uictum ad satietatem omnibus suppeditet, non tantùm locupletibus, sed & tenuibus. Verùm diuites isti, ut abdomini & libidini suæ satisfaciant, omnia sibi usurpare audent: clamant se dominos orbis, omnia hominum sibi subiectorum bona arbitrio suo stare, caderéq; : inutilium uerò subditorum, uel inuitorum, facultates dato precio, in suum se usum cõuertere posse. cum enim inutilem subditum interpretantur, cuius bona in usus suos meliores conuertere queãt. O' suauem interpretationem. Quomodo ergo tu ipse, ô bone uir, utilis es Reipub. qui tantulum terræ ciui tuo eripiendo, ex ore illi cibum rapias? ad egestatem eum redigas? ac ferè illi sanguinem emũgas? Ex hac uerò tenuium oppresione & afflictione, si nihil putas ad Rempub. incommodi peruenire, uehementer erras. Velim autem, qui eiusmodi agros ereptũ eunt, secum considerent pœnam quam Achab rex dependit, propterea quòd uineã uel emere à Nabotho, subiecto sibi, uel commutare uellet. Quod etsi non iniquum uideri posset (est enim & emptio & cõmutatio moribus & legibus permissa) uerùm quia inuito Nabo:ho fiebat, ideo & Rex miserè interijt: & uxor, & liberi, & cõsiliarij eius omnes sunt interẽpti. Id quod & in sacra Regum historia est proditũ, & à nobis in Philalethe copiose tractatũ.

CAPUT XXI.

Ne mulieres publicis se muneribus immisceant.



ILLVD etiam efficiẽdum, ne mulieres ad Rempub. admittantur: quas Deus potestati uirorum subiecit, Paulus etiã in cœtibus docere prohibuit. Quãtum enim mulieres incõmodare posint rebus humanis, & Eua illa pulcherrima & prudentisima omnium satis declarauit, cuius consilium exitium humano generi attulit: & Pilati Iudæorum præsidis uxor, quę & ipsa consilio suo salutem orbis uoluit impedire. Et quidem illæ erãt summo loco, & spectatisimæ fœminæ: sed tamen fœminæ erant, hoc est animalia imbecilla, & quæ errori ac transgresioni (ut Paulus testatur) magis sunt obnoxia. Pudeat igitur eos, qui cum se publicis honorib. dignos esse iudicẽt, nihil unquam agant nisi ex præscripto mulierũ. Quasi uerò aliquid intersit, mulieres'ne magistratus gerant: an magistratus gerentes, à mulieribus gubernẽtur: cùm idem utrunque consequatur. Certè mulieres ad colum natæ sunt: & qui Venerem finxit testudinem calcantem, rerum domesticarum

rum curam, non Reipublicæ, illis committendam esse significauit. Institutis etiam Romanis interdictum est mulieribus, omni publica administratione. De mulieribus satis. De honoribus etiam, & magistratibus, quantum potuimus, diximus.

CAPUT XXII.

De subditorum officio.



VONIAM autem Reipublicæ interest, non tantùm rectores esse in officio, sed & eos qui regun-tur: ideo hi quoq; diligenter & bona fide exequan-tur munus suum. Multi sunt quos uitia magistra-tuum offendunt, ut non pro eo ac debent, eos ob-seruent, eorumq; mandatis obtemperent. Verùm omnibus generatim & uniuersè ab Apostolis Christi præcipitur, ut potestatibus supereminẽtibus subditi sint. eas enim à Deo ordinatas esse: & qui eis resistat, cum diuinæ ordinationi resistere. Et obseruantiam quidem præfectis debitã ita ornant, ut & preces publicas pro eis fieri iubeant: & nõ tantùm bonis & humanis dominis, sed & dyscolis, hoc est asperis & difficilibus, obtemperare præcipiant: & id quidẽ non tantùm propter iram, sed & propter conscientiam oportere fieri, docent. Quibus elogijs hoc munus ornari magis potuit? Videntur nobis potestatem inquirendi in uitia magistratus adimere, qui iubent obedire etiam dyscolo præfecto: præcipereq;, ut uitia eorum æquis animis toleremus, & ad Dei iudicium rejciamus, cui placet peccata populi sui castigare principũ asperitate. Ac nihil quidem rebus humanis optabilius esset, quàm si principes essent uera pietate, prudentia, & uirtute imperandi præditi. Tales enim principes essent illi ipsi philosophi, quibus imperantibus beatas fore Resp. prędixit Plato. Verũtamen ferendi sunt, & uenerandi, qualescunq; tandẽ sint, Dei ipsius causa: qui & hypocritas facit regnare propter peccata populi, & in furore suo dat reges, ut testantur Oseas propheta, & Elius in eo sermone quem ad Iobum traditur habuisse. Si quid iniquius in nos agãt, Deo permittendum est. Deus enim ille, qui mundi huius compages quatit cum uult, puniet & regum & præsidum iniquitatem, tempore suo. Subditorum uerò est, iussa eorum capessere: in omnibus ijs quibus dignitas Reipub. ac religionis nõ uioletur, obtemperare: contra omnes & hostes externos, & ciues seditiosos, eis adhærere. Neq; enim harmonia hæc, & quasi compositio Reipub. diu cõsisteret, nisi subditi in officio essent, uociq; & uoluntati præsidum obsecundarent. Et id quidem de ijs dictum est, qui in Repub. nullum interueniendi ius habeant. Nam de consiliarijs, & ijs ordinibus qui ius illud habent, dictum est suprà: qui prodere Rempub. uiderentur, si pro officio non resisterent principis uoluntati, aliquid quod non deceat molienti:

1. Pet. 2.

Osee 13.

Iob. 34.

molienti: sicq; in cõmune non prouiderẽt, ne quid Resp. detrimenti accipiat. Hæc de personis tam eorũ qui præsunt, q̃ qui ditioni illorum sunt subiecti. Nunc de moribus alijs emendandis dicamus.

CAPUT XXIII.

De luxu. 1. in uestibus: 2. cibis ac potionibus: 3. re uenerea. & hic de compotationibus & choreis.



QVONIAM autem, qui ambitione laborant, plericq; in nimium luxum effusi uiuunt, hac'cq; ratione magnificos se fieri uolunt: intelligendũ est, maximam ex ea re labem moribus illatã esse. Et in uestiũ quidem mollicie ac uarietate quãta uanitas insit, nulla oratione satis exprimi potest. Cùm enim illę necessitatis causa, ut uel frigus atcq; æstũ arceãt, uel tegant partes corporis pudendas, inuẽtæ sint: homines uani & ambitiosi uel pro facultatũ, uel pro generis ac honorũ ratione, cùm ad fauorẽ hominũ cõciliandum, tum ad decus & honestatem eas conuertũt, & ex earum splendore se magnos uideri optant, non quidem sine magna iudicij prauitate. Honorem enim soli uirtuti debitum, ad lanam transferre, indumenta'cq; sua magis quàm seipsos ornare student. Necq; id dico, quòd neglectum & immundiciem in uestitu nõ improbem. Modicus enim & honestus ornatus, animi probi indiciũ esse uidetur: uestes'cq; à sordibus & squallore mundæ, formam cõmendabilem reddunt. Nimium uerò ornatus studium & luxus omnis, uiris cordatis nunquam probatus est. nam & sumptu maximo constat: & uanitatem animi diuitias ostentantis, arguit. Quemadmodum ille inquit: Vestitu nimio indulges, nimis ineptus es. Homines quidem genere & diuitijs clari fastidiunt uulgares uestes. Dandum id aiunt nobilitati, & opibus suis, ut splendidius plebe & hominib. tenuibus uestiantur. Verùm & hæc uox est animi fastuosi: & illa inurbani, cum aliquis in uestitum & ad luxum omnis generis effusus, leges uult scribi parcitatis in alios homines. Tu petis, ut ne quis plebeiorũ quantũuis grauis, aut quauis uirtute præditus, sed quia plebeius est, contendis ut ne utatur torque, ne uestiatur panno pelle'ue delicatiore. Si id faceres Reip. causa, scilicet ne sumptus in res non necessarias ab aliquo fierent, qui seruandi essent ad necessarias: certè tu tibi primùm hanc imponeres legem, qui te amatorẽ, custodem, defensorẽ Reip. profitearis. Nunc quàm est hæc effræna licentia, cum tu, cuius rei tibi modum præscribi uelis nullum, eiusdem leges alijs præscribas? cum trabem in tuo oculo nõ cernas, festucam ex oculo fratris eijci uelis? O licentiam extremam. In quo alium emendas, in eo tibi conniues ipse mirabiliter. Quam enim tu legem, quod statutum prætexere potes, quo tibi potestas sit facta utendi torque, serico, holoserico, aureo integumento? Si nullam, cur uteris sine lege?

Cur

Cur alij per contumeliam uis adimi, quod tute tibi ducis honori? Cur ob usum modicum, in alium infers pœnariam actionem, odij tui hostilis indicem: tibi ob intemperatissimā ac planè barbaricam opum ostentationem honores uis decerni singulares? O' iudicium corruptissimum, ô animi singularem prauitatem. Omnino uerò nobilitas rebus gerendis declaranda est: opes uerò, liberalitate exercenda potius, quàm auri ostentatione aut uestitu precioso ad alios fastidiendos inuento. Vestes enim exquisitæ, & torques collum circundans, non tantum huic discrimini nobilium à plebejs (quod solum uulgò prætexitur) seruiunt: sed uitia multa secum trahunt: non quidem ex se ac suapte natura, sed per ea tanquam instrumenta, intrat ille suggestor uitiorum: hominemq́ istis laqueis irretitum iubet frænos laxare arrogantię, superbiæ, insolētiæ extremæ: simulq́ opinionem ei instillat, ut decus ponēdum putet in isto externo ornatu. Ego uerò lubens audierim, quod nam illud est decus? An tu lautiorem & accuratiorem indutus uestem, prudentior es? an iustior? an melior? an aliqua uirtute auctior & ornatior? Decus enim uerum uirtute quærendum est: extra eam, ne cogitandum quidem. Prætexamus licet, quod uelimus: si uerum fatendū est, uestes delicatæ, fastuosæ, & nimis exquisitæ, superbiæ sunt instrumenta, ostentationis & insolentiæ fomenta. Et qui se illis onerant, eos uidemus multa uanitate, uixq́ ulla sobria cogitatione præditos esse. Varietas tum formarū tum colorum in uestitu, quid aliud quàm morum uarietatem prodit, & morum inconstantiam? Neque uerò monstrositate caret, dum in una domo ac familia alij uestiūt se Germanicè, alij Italicè, alij Turcicè: non secus quàm si in diuersissimis partibus mundi nati essent. Illud etiam magis mōstrosum, dum qui manè Italico usus est cucullo, idem uesperi incedit Turcicam indutus uestem, pileum acuminatum, calceos rubros & niueos cum soleis ferratis. Quinq́ aut sex anni sunt, cum homines nostri curtioribus quàm exteri uestibus supernis uti cœperunt: adeò quidem, ut tegendas corporis partes ostentare non dubitent. Cum autem natura ita nostrū corpus finxerit, ut partes quasdam uelit abditas esse, & ab oculis hominum remotas: omnino uestitus longior, uel ad genua protēsus, probandus est, tanquā pudoris & modestiæ signum. Non enim fœminæ tantum, sed & uiri, ueste decenti abiecta, pudorem abiecisse putandi sunt. Quàm autem hoc turpe esset, si mulieres uestibus supernis paulo infrà uerenda demissis incederēt, quis non uidet? Veteri prouerbio frons perijsse dicitur illis, in quibus pudor extinctus est. Qualem uerò hominem putares, qui sine fronte esset? Pudori igitur seruiendum est: existimationi consulendum: oculi & iudicia hominum uerenda. In plumas maximæ pecuniæ impenduntur, utilitate nulla, iactura maxima. In his ornatus si quæratur

tur à pueris, ignoſcendū eſt ætati: uiris certè res eſt indigna. Illud haud ſcio an obſit bonis moribus, quòd paſsim utuntur torquibus aureis fortes iuxtà & ignaui: cum quidem hoc ornamentū fortium
Ariſt. Polit. 7. uirorum eſſe uideatur. Carthagini quidem, cùm illa Reſp. ſtetit, nemini annulorum ornatum ferre licebat, quàm qui in prælijs aduerſus hoſtem ſe fortiter geſsiſſet: ac pro numero expeditionum, in quibus militaſſet, annulos geſtabat. Hodie talia ſunt tempora, ut non annulis modò, ſed torquibus etiam uulgò homines utātur: neq; id probi tantum, ſed lenones quoq;, ſcorta, rabulæ, & fœneratores. Multi parū honorati ſibi uidētur, niſi fulgeant aurea torque: quam quo quiſq; precioſiorem habet, pluraq; uolumina facientem, aut etiam longius dependentem, hoc ſe honeſtiorem ferè exiſtimat, clariorem, ac quouis honore digniorem. At id non fit ſine diuitiarum oſtentationis nota, ac grandis barbariei ſignificatione. Romani ueteres, contemptu quàm uſu auri fœliciores fuiſſe tradūtur à rerum ſcriptoribus: aurumq; habentibus imperare maluerunt, quàm auri ſplendore ſeſe uenditare. At poſtquā diuitiæ honori, uaſa cælata, argentum & aurum gloriæ apud illos eſſe cœperunt: ſimul etiam uera dignitas in ſuperbiam, libertas in licentiam uerſa eſt. Quod ne apud nos accidat, uirtute potius quàm auro decus quærendum eſt. Ætas quidem prima decentius hoc genere ornamentorum utere-tur, tanquam uirtutis illicijs: uirilem uerò ætatem conſcientia benefactorum magis, quàm ullis fortunæ inſignibus, conuenit delectari. Si autem ſint qui recta conſcientia non contenti, his quaſi tibicinibus gaudere uelint: operæprecium tamen fuerit, ut hæc ſint non diuitiarum, nec generis, multo minus uitiorum, ſed uirtutis ſolius in magnis & arduis rebus perſpectæ ornamenta. Quemadmodum enim aurum ſuperat pondere & nobilitate metalla omnia, ita uirtutis inſignia ſplendore ſuo cuncta alia debent obſcurare. Quòd ſi inania ſunt ſymbola, quæ rebus non reſpondent ſuis: uirtute prędıtum eſſe oportet, qui ſymbolum illius gerat. Alioquin ſpectatorum oculis imponit, malo exemplo nocet Reipublicæ, bonorū uoluntates offendit: qui non poſſunt non dolere, ornamenta ſua communia cum ijs fieri, qui ea nondum actionibus uirtutis meruerunt. uirtutis inquam, illius ſudore comparatæ, magnarum rerum adminiſtratione illuſtratæ, ocio infeſtæ, omni dedecori inimicæ. Cum ea enim quoniam res nullæ de dignitate contendere debent, nefas ſit, etiam ornamenta illi propria cum alijs communicare ſeu naturę ſeu fortunæ bonis. Qui autem eiuſmodi uirtute ornati erunt, eos ornatu decenti, alios excitandi cauſa, uti nihil impedit. Hæc de orna-
2 tu. Cibi & potus nimia uoratio indigna eſt homine: ſed in primis ijs qui perſonam magiſtratus tuentur: corpus uarijs morbis obnoxium reddit; ipſum hominem ad ſeria negotia ineptum, deinde petu-

petulantem & contumeliosum, & tanquam effrænem equum, à uia recta aberrãtem. Vini quidem natura est illa, ut homines primùm alacriores reddat: deinde plus potum, spei maioris, ac preclarius de se sentientis: pòst largius sumptum, confidentiores, ad quiduis & dicendum & faciendũ promptiores, prorsusq; impotes sui. Quemadmodum ille in Comœdia bene potus exclamat: Vicit uinum, " quod bibi. Fumi enim ascendentes in caput, miscent & perturbant " omnia, hominẽq; alieni prorsus iuris faciunt. Tunc arcana, fideiq; tuæ commissa effunduntur. Tunc multa dicuntur, quorum te, cum ad rationem redieris, pœniteat: quæ uel tibi noceant, uel alijs, non rarò etiam amicis, & toti prouinciæ. Tunc amici & inimici, uxoris & sororis discrimen habetur nullum. Tunc lites uigent, uerbera, laceratio, mutilatio, cædes. Quid mirum? amissa enim mente, submersa ratione, submerguntur simul facultates omnes honestè agendi: emergit autem agmen illud cæcarum & indomitarum cupiditatum. Bruta animantia superant nos sobrietate: quæ nihil preter necessitatem & naturæ præscriptionem bibere didicerint. Quo magis dolendum est, uitium hoc adeò in Christianis Rebuspub. inualuisse, ut nemo illi mederi possit, omnes ferè ebrietati dant operam, & principes, & populares, & sacri & profani homines. Sunt qui pridie quàm conuiuia ineant, medicinis ad aluum exonerandam utantur, ut in locum quasi uacuũ plus cibi potionum'que ingerant. Vulgò etiã homines non pudet à mensa excernendi causa secedere, ac mox cõuiuia repetere, se'que denuò cibo potu'ue replere. Non dissimiliter Rosomago animanti, quod (ut Matthias Micchouita, doctus medicus & astrologus in Sarmatia Europæa tradit) cadauere reperto ingentis magnitudinis, intantùm uorat, ut extẽdatur & infletur tanquam tympanum: repertisq; arboribus duabus robustis, & sibi oppidò quàm uicinis, ui se mediũ inter eas infert: ac dum per angustias perrumpere conatur, uiolẽter comesa uiolentius per anum egerit: deinde mox ad cadauer recurrit, nec se uorando implere, ac per uices comesa extrudere desinit, donec totum cadauer absumat. Et facit quidem animal illud præter morem reliquorum animantum, quę ad satietatem duntaxat cibo potuq; utantur, non ad crapulam. Sed ut in multis animantibus natura uirtutes certas expressit, ut homines ad imitandum excitaret: ita multis uitia sua indidit, quorum turpitudinis conspectu, animantia ratione prædita ab imitando deterrerentur.. Quid autem dissimile ab hoc animante faciunt homines, & qui appetitus excitandi causa, medicinis extrudunt ea quæ nouis cibis potibusq; locum occupabant: & qui nullo pudore secedendo, egerendo, aut etiam uomendo, redeunt mox ad crapulam? Neq; uerò solùm ipsi potant, sed alios quoque languentes ad bibendum prouocant, poculis cum eis certãt: ac pro

ſanitate alicuius bibentes,ſeipſos inſanos faciunt. Non minus uerè quàm falſe Cyrus apud regem Aſtyagen narrat, ſe aliquando cognouiſſe in quodam conuiuio, uenena mixta fuiſſe poculis, & con-
» uiuis præbita.ac rationem dicti ab Aſtyage rogatus: Quòd,inquit,
» uidebam uos omnes qui bibebatis,neq; mentis fuiſſe neq; corporis
» compotes:& quæ pueri facere prohibemur,hæc uos faciebatis.om
» nes clamabatis ſimul:quiſq; de rebus ſuis magnificè loquebatur,ne
» mine interim alium audiente.& cum ſaltare uelletis,nemo ueſtrûm
» non modò ad numerū ſaltare,ſed ne erigi quidem poterat: eratiſq;
» obliti omnino,& tu quòd rex eſſes,& alij quòd ſibi imperares. Hāc cauſam ueneni poculis mixti adferebat Cyrus puer, certè nequaquam puerilem. Mutantur enim de nimio potu homines, nō ſecus quàm Circeis poculis,in uarias formas: & quemadmodum Virgilius canit,in uultus ac terga ferarum. Sed in his hominum moribus parum hæc proficiunt,quęcunq; dicuntur in hoc uitium.Itaq; præcidamus, quaſi in deſperatione, hunc locum, uerbis prophetæ ita
» exclamantis: Væ qui manè conſurgitis,ut ſectemini ebrietatem: &
» potatis uſq; ad ueſperam, ut uino æſtuetis. Cithara,tympanum, &
» tibia in conuiuijs ueſtris. Qui tamen ſunt honeſti amantes,& Dei metuentes,hi cogitant,cibum & potum Dei munera eſſe, cōſeruandæ uitæ mortalium deſtinata.Itaq; illis non abutendū,ſed cum gratiarum actione utendum eſſe. poterat Deus talem hominem condere, ut ſine cibo potuq; uiueret. Verùm ut rebus alijs,ita cibo & potu ad uitam ſuſtentandam indigum eſſe uoluit. Agnoſcamus igitur penuriam & indigentiam noſtram. agnoſcamus authorem cibi & rerum bonarum omnium Deum præpotentem. A quo ſi panem petimus,ea quidem precatione, cuius nobis filius ſuus formulā tradidit:an hac ipſa petitione omiſſa,panem manducare audemus? Igitur Chriſti & ſanctorum uirorum exemplo, cibo & petitionem
1 Timoth. 4. præmittamus,& gratiarum actionem adiungamus. Paulus dicit, ſanctificari cibum ſermone Dei, & precatione. Profanus eſt igitur cibus, quem ſumunt non inuocantes nomen Dei, & ſermonibus eius fidem non habentes. In precatione,cuius meminimus,nō tantum panem petimus: ſed & remiſsionem peccatorum, & res alias. Venire igitur in memoriam nobis debent, omnia beneficia quæ in ſpecie cibi corporalis nobis commendata ſunt. Difficile eſt enim, quin Dei beneficia in cibo & potu rebuſq; alijs corporalibus agnoſcentes,eiuſdem in ſe miſericordiam & beneuolentiam experiātur.
Gen. 28. Quod & Iacob patriarcha ſic teſtatur: Si mihi adfuerit Deus, meq;
» in hoc itinere conſeruauerit,uictumq; mihi ad ueſcendum,& ueſti-
» tum ad induendum dederit, ſiq; domum paternam ſaluus rediero,
» erit mihi Ioua Deus. Sit igitur Chriſtianorū menſa uerbo Dei ſanctificata, noſq; de Deo tantorum beneficiorū authore admoneat:

atq;

atq; in cibo & potu,ac bonis alijs, beneuolentiam eius doceat nos,
& confirmet.Hęc de cibo,potuq́;. Vſus Veneris homini Chriſtia- 3
no extra torum matrimonij ſanctum,in uniuerſum prohibitus eſt.
Quòd ſi uiarum obſeſſores,graſſatores, ferendi non ſunt in Rebuſ-
publicis: multo minus pudicitiæ hominum attentatores,& oppu-
gnatores. Oppugnant omnes pudicitiam, qui oculis hominũ obij-
ciunt fœdas picturas, qui aures obſcœnis colloquijs replent, qui
obtrudunt animis et cogitationibus hominum libros & cantilenas
de peruerſis amoribus, de furoribus,blanditijs, periurijs, & id ge-
nus inſanis amatorum artibus. Quot enim inde animis hominum
immittuntur & inſident titillationes,quot ignes, quot furiæ? Hinc
& rudis puerorum ætas diſcit, quod per annos aſſequi non poſſet:
& alacris, adoleſcentum quaſi calcaribus admotis excitatur: & ſe-
num,frigeſcentibus membris ſegnior, irritatur & exardeſcit. Hæc
ſunt quæ uiam aperiunt ſcortatoribus: hæc puellas & matronas
reddunt obſequẽtes amatoribus: hinc ſtupra & adulteria, hinc ab-
ductio uirginum uiduarumq́;,hinc cõiugia inuitis amicis & paren-
tibus, hinc partus occulti & ſuppoſititij: quorum alij ſtrangulan
tur,alij publicis in locis exponuntur,nonnulli ueris hęredibus con
numerantur. Hinc puellæ inelocabiles, hinc infinita domus dede-
cora: quæ cùm à uicinia tota ſentiuntur,ipſi patriſamiliâs uel occul-
tantur,uel omnium poſtremò patefiunt.Si qua ad hunc modum e-
ducata traditur nuptui, quàm malè inter eam & maritum cõuenit?
quàm ſæpe & rixas exercent, & diuortium machinantur? Si quid
inde naſcitur, quot probris & conuicijs exponitur? nec mirum.
Nemo enim ſciens,niſi improbus,malã ducit: & ex mala matre,uix
bona proles naſci poteſt. Et ſunt qui prolis ſuę iam annis prouectæ
prauos mores deteſtẽtur,inſectentur, & (ſi dijs placet) in uitã me-
liorem traducere ſatagunt. Rectè id quidem: ſed nimium ſerò. Se-
minibus enim ueneno infectis, fieri non poteſt quin culmi,trunci,
rami,fruges'que ex illis prodeuntes, ſint noxiæ & mortiferæ. Tot
inſtrumenta ac irritamenta impudicitiæ ac libidinis paſsim obij-
ciuntur iuuentuti, quæ in oculos, aures, & animos eorum illabun-
tur,eosq́; occupant,ut inſtar prodigij ſit, aliquem puram mentem,
bonum honeſtumq́; propoſitũ, rectos mores retinere poſſe. Pictu-
ræ & ſtatuæ laſciuę, ſermones & cantilenæ obſcœnitatis plenæ,cõ
ſuetudines cum fœdis & impuris hominibus,ioci,lepôres,facetiæ
blandulæ, quam ætatem,quem ſexum non contaminant? quem nõ
ad omnis ſpurcitiei præcipitium inducunt? Hę ſunt iucundę illece-
bræ,hæc fomenta dulcia,hæ ſuauitates delectabiles: quę ſenſus ho-
minũ deliniunt,corpora inflammant, cogitationes occupant,men-
tes faſcinant, uoluntatem & imperio & ditioni ſuę ſubiugant. Hæc
primis ab annis interdicenda erant pueritiæ & iuuentuti: hæc om-

h 2 niætati,

ni ætati, ſexui & ordini uitanda: hæc ex ciuitatibus & Rebuſpub.
Ariſt.Polit.7. unà cum authoribus exterminãda. Quod & Ariſtoteles in libris de Rep. faciendum cenſet: & Auguſtus Cæſar executus eſt, pulſo in exilium Ouidio Sulmonenſi, ob amatorium carmen. Quanto magis magiſtratum Chriſtianũ oportet in eos ſeuerè animaduertere, qui fœdis picturis, carminibus inhoneſtis, geſtibus, inceſsibus, & ſaltationibus ad impudicitiã & fœditatem compoſitis, aliiſq́ irritamentis, omnes ad Venerem inſtruunt, mores honeſtos corrumpũt, diſciplinamq́ ciuitatis quantum in ipſis eſt euertunt? Etenim his neglectis, ac impunè fieri permiſsis, fruſtra querimur de corruptis aliquorum moribus. Fieri enim non poteſt (quod Chriſtus teſtatur) ut uuæ de ſpinis, aut de tribulis ficus colligantur. In multis ciuitatibus lupanaria ſunt publicè conſtituta: ubi miſeræ mulieres ſe omnibus peruulgarent, ac libidines omnium impunè & petulãter uerſarentur. Quod etſi moribus ferè uſitatum eſt, tamen uideat magiſtratus, num ſit è Repub. talem locũ eſſe, ubi pudor proſtituatur, ac ludibrio habeatur. Turpe id: & haud ſcio an idem ſit, quod greges furum & turbas homicidarum publicè ferre. Ab eodem, illo præpotente Deo, & homicidia, & furta, & ſcortationes prohibitæ ſunt. Et tamen ſunt, qui neſcio lege an moribus, an uerò utroque, ſtatis temporibus cenſus ab eis exigant, quę corpore faciant meretricium quæſtum: imitantes Veſpaſianum illum, qui cùm ex lotio uectigal caperet, atq; ob id à filio reprehenderetur, pecuniam collectam naribus illius admouit: atq; ita reſpondit,

— *Lucri bonus eſt odor ex re Qualibet.* —

Niſi quòd Veſpaſianus quæſtum faciebat ex re nequaquam à Deo prohibita: à meretricibus uerò non ſecus exigitur cenſus, quàm ſi à furibus aut homicidis exigeretur. Cœleſtia quidem præcepta, omnibus qui libidinem frænare non poſsint, iubent ut uxorem ducant, ac intra limites legitimi tori ſe cohibeãt. De gregibus uerò meretricum publicè fouendis, tam nihil eſt in diuinis literis, quàm nihil de furum, homicidarum, aut aliorum ſceleſtorũ collegiis. Non auſim conciliabula illa uirorum cum mulieribus ad choreas inſtituta, cum lupanaribus comparare: ſed tamen uelim hæc à prudentibus conſiderari. Vocantur eò maritæ, & quidem ſæpe ſine maritis. uocantur & uirgines, ſine parentibus. Vt enim quæq; pulchritudine & uenuſtate eſt commendatior, ita frequentior apparet in talibus cœtibus: aliquãdo cum pediſequa, aliquando nemine comitata. Inſtituuntur huiuſmodi cœtus non modò à coniugatis, ſed & à cœlibibus, quibus conſuetudo nulla eſſe deberet cum ſexu non ſui generis: ſiquidem re præſtare uellent, quod uerbis profitentur. Inſtruuntur igitur epulæ: cibi & potiones proponuntur exquiſitiſsimæ. Comeditur & bibitur non ad ſatietatem, ſed ad uoracitatem & ebrieta-

ebrietatem. Increbuit enim in talibus conuiuijs, & inualuit consuetudo, pro salute aliquorum gratiosorum bibendi. Itaq; & fœminæ illæ, aulicis moribus iam assuetæ, exhauriunt plena pocula: scilicet, ne non uideātur incolumitatem uelle ijs, pro quibus talia uota nuncupantur simul, & persoluuntur. Testatur Valerius Maximus, uini usum olim Romanis fœminis ignotū fuisse, ne in aliquod dedecus prolaberentur: quia proximus à Libero patre intemperantiæ gradus ad inconcessam Venerem esse consueuit. Hodie & uinis, & cibis inflammantibus, corpora sponte sua feruentia saginant: neq; lapsus illos, de quibus loquitur Valerius, timent. Quasi pudicitia matronalis integra esse posit, ubi subduntur incentiua ista uoluptatum. Seruntur in conuiuijs, de quibus cœpimus dicere, sermones iocosi, magnam partem ad obscœnitatem compositi. Luditur deinde: chori agitantur: saltatur. fœminæ rotantur & circumaguntur: nec suris nudandis parcitur. amplexus exercētur: oscula, uellicationes, lasciui tactus. Quis autem colloquia secreta istorum, imò & ea quæ ab alijs audiuntur, omnia quidem ad libidinem composita, quis inquam facetias & ineptias istorum dicendo explicare queat? Quis item, quæ ab istis designātur, cum per triclinium sparsim sedetur: cum per cubicula & thalamos discurritur: itur hinc inde, & reditur: lusitatur, palpatur? Mihi omnino cœtus huiusmodi lupanarium instar habere uidentur. Nihil ibi fit, quod non malefaciendi, malè cogitandi uiam aperiat. Quota enim quęq; est, quæ illinc domum redeat melior? Corrumpunt bonos mores (inquit Paulus, uersum Menandri citando) colloquia praua. Quomodo igitur aliqua ex congressibus huiusmodi abibit, si non corpore uitiata, at animo casto, libidinum titillatione uacuo? Infœlices parentes & maritos, qui filias & uxores habent talibus conuiuijs gaudentes. Infœlices matronas & puellas, quæ talibus cœtibus delectantur: ubi quod probitati prosit, audiant ferè nihil: quæ obsint, plurima. Multorum iaculis petuntur: sed & ipsę multos petūt suis. Spectatum uenerunt: sed ut spectentur & ipsæ. Vrunt, & uruntur. —*Vritq; uidendo Fœmina*,— inquit ille: sed & ipsa uritur igne tum suo, tum extrinsecus adhibito ex cibis, potionibus, blandis appellationibus & colloquijs, aspectu plurimorum: quorum alij à pulchritudine, alij à generis præstantia, alij à diuitijs, alij ab alijs dotibus sint commendabiles. His uel omnibus, uel singulis, infœlices capiuntur puellæ. Captas uerò quis putat mentis uirginitatem seruare posse: utcunq; corpore castæ sint, & integræ? porrò animi castitate perdita, an non facilis sit prolapsio ad corporis libidines: modò cōmoditates adsint rei commodè perficiendæ? O quanta est populi Christiani amentia, hęc uel non animaduertentis, uel non curantis. Deus faceret, ut aut ego hîc mentirer, aut tales cœtus nunquam fierent.

Valer. de instit. tutis antiquis.

rent. Quanto melius apud Valdenses (sic uocãtur populi Boemię, quos alij Picardos, alij Fratres uocant) apud quos cuncto populo interdictum est ludis, choreis, compotationibus. Nullæ choreæ apud eos fiunt: nulla conuiuia ad turpitudinem celebrantur. Moribus etiam Turcicis receptum esse audio, mulieres, præsertim maritas, non prodire nisi facie uelata. Si quis extraneus ędes earũ ingrediatur, etiã eas uelare faciem. Cæsar Turcarũ filias suas Basis suis nuptui collocare dicitur. at illos, quamuis generos, aiunt, Cæsarem quidem patrem uxorum suarum nosse: matrē earum, de facie prorsus non nosse. Tantum barbara gens iudicat momentum inesse ad pudicitiam suarum mulierum cõseruandam, si noticiam uel nullius habeant, uel paucissimorum. Nõ immeritò id quidem. Quid enim opus est, eam quæ alicui uiro fœdere & fide matrimonij iuncta est, noticias cum aliquibus facere? Inuito uerò aut imprudente marito, quomodo licet eis ad ludos, conuiuia, choreas accedere? Partes uiri sunt, cum exteris hominib. agere quæ agenda sunt: mulieris, rem domesticam curare. Quæ igitur mulier conuiuia persequitur, quæ se multorum familiaritatibus ingerit, an nõ aperit fenestrã ad suam pudicitiam oppugnandã? Saltationes uerò an non uitandę sunt, quæ lenocinia sunt certissima, & quasi plagæ, ad turpes & uetitas libidines? Nemo, inquit Cicero, ferè saltat sobrius, nisi fortè insanit: neq; in solitudine, neq; in conuiuio moderato atq; honesto. Tempore igitur Ciceronis criminosa erat saltatio. Quæ cum Murenę in loco maledicti obiecta esset, non eam excusatione defendendam putauit Cicero, sed simpliciter negauit factam: idq; argumentis ductis à Murenæ moribus, cum sobrietate & temperantia coniunctis. Nostra tempestate uix conuiuia reputantur, quæ non ebrietatibus & saltationibus resonent. Ita discessum est non tantũ à Christianismo, sed à moribus gentium probatissimis. Neq; tamen ego is sum, qui saltationes aut choreas in uniuersum pijs hominibus prohibendas censeam. Sint modò sobriæ, & cum cõmemoratione beneficiorũ in nos Dei cõiunctæ. ad hæc puellarũ seorsim, uirorũ seorsim. Sic Da-
2. Reg. 6. uidem, Dei præsentia & eius beneficiorũ meditatio in saltationem excitauit, dum arca Dei in ciuitatē Iuda deduceretur. Maria quo-
Exod. 15. que soror Aaronis, & cæterę mulieres cum tympanis & choris laudes canebant Deo immortali, pro liberatione gloriosa ex seruitute Ægyptiaca. Tales choros, talemq; lætitiã, quæ se ab animis nostris aliquando in corpus effundat, fidem in nobis cõfirmet, amoremq; & studium rerum diuinarum maius in nobis accendat, Spiritus san-
Psalm. 150. ctus requirit à nobis, sic per Dauidem dicens: Laudate Dominum in tympano & choro: laudate eum in chordis & organo: laudate eum in cymbalis bene sonantibus: omnis spiritus laudet Dominũ. Verùm, ut dixi, tales chori non debent esse leues, aut histrionici: sed mo-

modesti, sobrij, cum gestu decenti, qui pietatem præ se ferat. Immodici uerò saltus, ad lasciuiam compositi, & obscœnitatem redolentes, facessant à populo qui se totum Deo consecrauit: omnibus'que dictis, factis, gestu magnificare debet Deum seruatorem suum.

CAPVT XXIIII.

I. Tria pestifera uitia, ambitio, luxus & auaricia, inter se coparantur. II. De superbia & gloriæ appetitione longissima tractatio additur. 1. Superbiæ definitio. 2. diuisio. 3. effectus. III. Remedia petuntur ab extenuatione rerum tum fluxarū, ut sunt 1. corporis, 2. & fortunæ bona: 3. tum futilium, 4. tum cum uitio coniunctarum: 5. tum etiam animi. IIII. Ad finem quæstio excutitur, An & quatenus appetitio gloriæ in homine Christiano sit probanda.



ABSOLVIMVS tractatum de luxu ciborū, uestium, ac rei Venereæ. Dicamus de prodigalitate, & uitijs cō- I iunctis. Qui enim homines licenter & libidinosè uiuunt, eos multa effundere, & ambitiosè largiri oportet. Quo malo laborantes, fieri non potest quin etiā in auariciā delabātur. Impellūtur enim cupiditate inflāmati, ad res alienas per fas & nefas rapiēdas: ut ne sibi desit, quod profundant. Quod cùm in omnibus est detestādum, tum in principib. & magistratibus, qui facultatē habēt magnā aliena eripiendi. Præclarè hoc à uiris prudentibus animaduersum est, ambitionem & luxuriam, huic'que contrariam auaritiam, causas esse quę maximas Resp. labefactent. Ambitione rapiuntur homines ad honores: nec quicquā pensi habent quà sit eundum, sed quò. Luxuria est impudicitiæ & omnium lasciuiarum mater: imò & ipsius auaritiæ. Quę tandem & audaciam gignit, & rapacitatē, & infinita pecuniæ aucupia excogitat. Ex quibus magnū scelerum agmē erumpat necesse est. Quo magis uiris bonis, qui Remp. plus quàm sua commoda ament, hæc uitia fugienda sunt. Non minus superbiam, quæ ambitionem ferè comi- II tatur, uitandam esse, sanctissimus uir Paulus præcipit his uerbis: Noli altum sapere, sed time. Qui stat, uideat ne cadat. Si quis existi- « mat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit, ac in errorem conij- « cit. Qui quidem error quantam suggerat materiam multis uitijs, ostendendum est. Nam quid superbia est aliud, quàm (ut scripsit 1 Augustinus) propriæ, eiusdem'que peruersæ excellentiæ amor? Quàm uerò amor iste in hominibus uarius sit, ac propè infinitus, haud facilè est explicare. Alius enim excellere uult forma, alius ui- 2 ribus corporis, alius doctrina, alius ingenij acumine. Est qui genus suum in primis admiretur, & stemata ostentet, & seriem amicorum longam numeret. Nonnulli excellentiam suam uenditant opibus, & copia rerum: ideo & ministrorum alunt cateruas, & lautitias mensæ adornant, & abacos instruunt, & supellectilem conquirunt

uariam,& ueſtimenta precioſa,& ædificia magno conſtantia,& res
alias,quæ raræ eſſent uel materia,uel artificio. Sed non ſolum ex ijs
rebus quæ ſimilitudinem quandã habent honeſti, præſtantia quæ-
ritur:ſed ex alijs quoq; uel futilibus ac inanibus,uel in uitio poſitis.
Incedendo,ſedendo,ſtando,ludendo,caput demittendo,genua fle-
ctendo,componimus nos ad eum geſtum,quo alios & delectemus,
& antecellamus. Veſte,calceo,pileo,gladio,cingulo,gemma niten-
te,lapillo inſigni,& omni ornatu ſingulari & procul allato,admirã-
di eſſe uolumus. Fraudem,impoſturam,potationem nimiam,crapu
lam,proſtibula,flagitia Veneris, & omnem intemperantiam, laudi
nobis ducimus. Vim alijs inferre, aliena rapere, hominem occide-
re,ſacra & profana uiolare, glorioſum putamus. Habent enim iſta
ſuos admiratores,& laudatores: qui facinora quamuis indigna nõ
ſecus commemorent,quàm inſignes uictorias. Fit igitur,ut ſtultitia
humana in illis omnibus affectet eminentiam. Iam tanta ineſt in-
ſolentia huic eminẽdi cupiditati, ut plerīq; ſimulẽt ſibi ineſſe, quod
ipſis uel prorſus nõ inſit, uel minus multo inſit quàm uelint uideri:
3 non tam ſcilicet ſoliciti quales ſint,quàm quales appareant. Quæ
quidem eminendi affectatio eiuſmodi eſt ex omni genere,ut qui ſe
imperio illius dedidit, eum omnibus honorum ſignificationib. in-
hiare oporteat:auram famæ popularis undiquaq; aucupari,ad uul-
gi opinionem uiuere, actionesq; ſuas ad oſtẽtationem magis quàm
ad ueritatem accommodare,imò & tacitis aliorum cogitationibus
ſeruire:& uerba,nutus,geſtusq; eorum,à quibus excipiãtur,obſer-
uare. Surrexit,an ſedit:fuit nudo, an aperto capite:flexit genua,nec
ne:locum quem dedit,dextrum,an ſiniſtrũ: toruo, an placido ocel-
lo aſpexit:uultu ſereno,an turbido extitit? Ex his enim tam leuibus
ac futilibus,argumenta uel obſeruantiæ,uel contemptus colligun-
tur:ſæpe'que amicitiæ uel confirmantur, uel rumpuntur. Scilicet
quales cauſę,tales effectus. Qui uitio hoc infecti ſunt,illi ferè ſunt e-
iuſmodi, ut ſibi uideantur optimi, aut certè tales ab alijs uideri ue-
lint. itaq; alios contemnunt,minoris'ue ęſtimant,quos ſibi impares
eſſe ſciant: alijs inuident, quos uel pares uel ſuperiores exiſtiment.
eorum quæ pulchra ſunt,deformant, honeſta maculant, laudanda
uituperant:omniaq; in malam partem interpretando, uel notis tur
pitudinis palàm inurunt: uel ſi minus queant, in ſiniſtram ſuſpicio-
nem adducunt. Si quis ſtudio aduerſandi contradicat,factam ſibi
iniuriam arbitrantur. Hinc iræ,contentiones,iniuriæ:quas impotẽ
ter ac ſummo iure perſequi neceſſe habent,ne uel parum fortes, uel
III nimium contempti reputentur. Cùm igitur ſuperbiæ uitium tot
ſecum malorum adferat monſtra, cumq; ex ignoratione noſtri po-
tiſsimum naſcatur & creſcat, omnis qui illud ex corde ſuo uelit ex-
1 tirpatum,curet quàm maximè,ut, quod Pythius Apollo pręcepiſſe
fer-

fertur, NOSCAT SEIPSVM. Omnes nascimur eodẽ modo, ijsdem ex principijs: omnes referimus ortum nostri ad eosdem generis humani primos parentes: omnes gloriamur patre uno cœlesti, quemadmodum & Poeta ethnicus sensit, cum dixit,

Deniq; cœlesti sumus omnes semine oriundi,
Omnibus ille idem pater est. —

Imbecillitas naturæ, educatio, uitæ cursus, progressus ætatũ, mors denique ipsa, pares nos facit omnes. Quisque igitur cognoscat originem & naturam suam omnẽ, quàm fragilis sit, quàm morbis multis, calamitatibus, & morti ipsi subiecta. facultates item ac uires omnes & animi & corporis, quàm in muneribus suis sint tardæ, stupidæ, uariæ, inter se pugnantes, parumq; diuturnæ. Vires corporis ætatis progressu acciduntur, & sunt communes cum pecudibus: & quantumuis increscant, permultarum beluarum uiribus pares esse non possunt. Consideret & ea unusquisq;, quæ extra posita sunt: 2 ut opes, potentiam: quæ & ipsa incerta sunt, caduca, instabilia. Sępe exiguo momẽto pereunt, quę longis temporũ interuallis & laboribus maximis parta erant & acquisita. Huc adde generis nobilitatẽ, hoc est stemmata & uirtutes maiorum: quę nisi ab hæredibus excolantur, summo illis sunt dedecori, tanquã ignauis & degeneribus. Videmus etiam quorundam nobilitatẽ egestate, possessionum'ue angustia uel interire, uel locum suum non retinere: quemadmodũ caduca omnia morbo & uetustate pereunt, nec dignitatẽ retinent pristinam. Quod argumento est, nobilitatem non prorsus generi, sed etiam possessionum amplitudini tribui. Sed utut tribuatur generi, quid tandem illa aliud est, ut præclarè inquit Ludouicus Vi- « ues, quàm nascendi sors & opinio: sæpe quidem latrocinijs quęsita, « non uirtute? Quòd si à uirtute nata sit, stultum tamẽ est gloriari te parentem habuisse bonum, cùm sis ipse malus, ac turpitudine tua dedecores generis pulchritudinem. Sin à bonis prognatus, similẽ te parentum prębeas, actionibusq; uirtutis te uerè nobilem declares, ipsa uirtus nec tuis nec patrijs actis te superbire sinet: aut alios, qui impares tibi essent, despicere. Nam ignobilitatem contemnere quid aliud est, quàm Deum nascendi authorẽ tacitè reprehendere: « inquit idem ille Viues, uir doctissimus. Eòdem pertinent honores & gloria, quæ & indignissimis sępe hominibus contingunt: & non rarò fauore magis, aut etiam tẽeritate Principis, quàm certa rationis expensione tribuuntur: & certè sunt in aliorum existimatione de nobis ac arbitrio magis posita, quàm in uirtute nostra: quemadmodum Aristoteles dixit, honorẽ nõ in honorato esse, sed in honorante. Itaq; nonnunquam parua rumoris aura ita commutantur, ut qui in honore & gloria erant, inglorij sint, & inhonorati. Causa igitur non est, cur res, quas dixi, tanti putemus, ut animos nobis faciant.

3 ciant. De pileo, lapillo, gestu, incessu, & id genus nugis qui superbiunt, uanitatem suam produnt: qui uerò de sceleratè factis, illi improbitatem & extremam nequitiam testantur: non contenti scilicet deliquisse, nisi duplici scelere se coinquinent. Quid igitur est, in quo excellentia sit appetenda? quid nisi uirtus: quæ solidior sit, & possessori gloriam & dignitatem adferat? Sed uirtus in homine imperfecta est, nec ulli homini uniuersa tributa. Quis clemētia, quis fortitudine, quis temperantia tanta præditus est, ut non quandoq; de uia deflectat? Deinde quis unus uirtutibus uniuersis ex æquo gaudet? Celebratur Hercules ob fortitudinem singularem: sed eum à rebus alienis parum abstinuisse, arator ille queritur, cuius boues abstulerat. Clementia C. Cæsaris in cœlum fertur: sed idem caluus mœchus à suo milite prædicatur. Multi humanitatem & iustitiam studiosè colunt: sed ijdem affectionibus suis per omnia modum imponere non possunt. Nonnulli liberalitate & magnificentia clari sunt, in quibus fortem & magnum animum desideres. Sunt qui ex ea parte iusti uidentur, quatenus iniuriam inferant nemini: sed illi ijdem non propulsant, cum possint, illatam ab alijs: ducti nimirum uel pigritia, uel metu, uel alia causa. Sed ne plura: Nemo post natos homines uisus est, in quo uirtutes omnes ex æquo resplenderent, imò in quo aliqua una perfecta cerneretur: cùm quidem nulla perfectè haberi possit, quin aliæ unà commistæ sint, & complicitæ. Paulus quidem apostolus, cùm de facultatibus, quibus ministros ecclesiæ prȩditos esse oporteat, differit, affirmat, uoluisse Deum hanc uarietatem extare in suo populo, ut alij alijs dotibus præeminerent, atque ista eorum uarietas ad totius corporis harmoniam ac decorum conduceret: idq; exemplo membrorum corporis humani illustrat, quorum singula habent suas functiones. Quid est igitur, ô bone, in quo te alicui prȩferendum, atq; hoc nomine illum contemnendum putes? Etenim si quid præ alijs inesse tibi præ te feras, subterfugere non potes, quin te alij uicissim contemnant ob eas uirtutes quibus te superāt, aut quib. præditi sunt, tu uerò cares. fiatq; similiter, ut si pedes cōtemnerent oculos, ambulandi facultate destitutos: & oculi manus, uidere non ualentes: & deinceps unumquodlibet mēbrum despectui haberet aliud, quod sit eius muneris expers: unde tandem existeret totius corporis solutio, aut certè infirma ualetudo: quod scilicet firmum & robustum esse nequeat, membris dissidentibus. Quid quòd multorum dotes latent: illæ præsertim, quæ in animo positȩ, unà cum ipso animo ab hominum conspectu remotæ sunt? ut non immeritò Paulus ab inani gloria ad demissionem & modestiam nos reuocans, iubeat, ut quisq; alium existimet se superiorem. Iam si nihil est contemptione dignum, præter delictum: tamen cum nos quoq; ipsi exortes non simus omnis culpȩ, est causa cur

Philip. 2. August. in 83. q.q. 71.

cur alios cōmiseremur, non cōtemnamus: nisi fortè nos quoq; contemni uolumus, ob ea quę in nobis sunt putida, turpia, detestanda. Ipse Paulus legem Christi non aliter ait impleri posse, quàm si inuicem alij aliorum onera portemus. Et Seruator noster, exemplo sui uult, ut aliorum infirmitates toleremus, eisq; quoad licet medicinā faciamus: neque sanis opus esse medico, sed ægrotantibus. Quid multa? Profectò hominis est stulti, & se parum cognoscentis, elatū erga alios gerere animum: quo, tanquā fenestra, aperto, se illis inuicem despiciendū ac irridendum prębeat: cùm quidem nulla uirtute alios antecellamus, quin eadem alij nos antecellāt. Contrà prudentis esse iudicatur, modestè de se sentire: de alijs uerò illam cogitationem habere, ut etiam si non prorsus uideantur uacare culpa, tamen eos quoque suis dotibus instructos esse, minoribus fortasse illis, sed quæ in Ecclesia ac Republica sint magno usui. Verùm sint tuæ istæ facultates quantumuis excellentes: quid tandem earum habes, quod non accepisti? Si accepisti, cur gloriaris, quasi non acceperis? Nihil datum est tibi à Deo ut efferaris animo, alios'que contemnas, aut paruiducas. imò tibi præcipitur, ne insolenter te geras: sed qui stare tibi uideris, uideas ne in profundū malorum ruas: utq; humiles te sub potenti manu Dei, qui deponat potentes de sedibus, & exaltet humiles. Quid tu, inquiet aliquis, omnes'ne uituperandos putes, qui excellentiam ac principatū appetant qualibet in re? Minimè uerò: sed & res considerandas puto, in quibus excellendi appetitio uersetur: & ipsam illam appetitionem consilio & recta ratione gubernandam statuo. Neque enim qui iustè, fortiter, liberaliter factis, intelligentia item rerum, ac uirtutibus alijs cæteros anteire studeat, damnandus est: sed qui uel in rebus, quas suprà memorauimus, fluxis, leuibus, ac uanitatem præ se ferētibus, aut etiam cum uitio coniunctis, laudem expetat: uel cùm uirtutes ipsas colat, non propter ipsas id faciat, sed propter captanda diuersa hominum studia, aut etiam duntaxat propter laudem consequendam. Cum tali quidem appetitione coniungi solet inflatio ac tumor animi, &, quod suprà diximus, aliorum contemptus, qui rationem superbiæ complet: ac sine eo superbia naturam suam uix retinet. quod in definitione ab Augustino tradita omissum est: sed adijci debet, ut sit hæc numeris omnibus absoluta definitio. Superbia est, peruersa excellēdi qualibet in re cupiditas, cum tumore animi, ac studio contemnendi alios coniuncta. Qui uerò rebus ipsis studebit magis quàm hominū opinioni, in idq; magis incumbet qualis sit, quàm qualis uideatur: hunc quidem rectam uirtutis uiam insistentem, nec alienæ, sed suæ actionis præmia ambientem, & principatum & gloriam appetere nihil prohibebit. Hoc enim à Paulo illo, quem ego authorem uehemēter sequor, proditum est, cùm ita scripsit:

Gal. 6.
Math. 9.

» ſcripſit: Opus autem ſuum probet unuſquiſq;: & tunc in ſeipſo tan
» tùm gloriam habebit, & non in alio. Quid enim gloria eſt, quàm,
» ut M. Cicero dicit, conſentiens laus bonorum, incorrupta uox be-
» ne iudicantium de excellente uirtute? Non igitur ſpeciem uirtutis exiſtere oportet in ijs qui gloriã appetant: ſed uirtutem ipſam. Cui primùm conſcientia noſtra teſtimonium tribuat, nos non res alienas, nec operum alienorũ pręmia ambire: ſed & onera noſtra portare, & noſtris actionibus decus quærere uelle. Deinde ſi comprobatio accedat bonorum uirorum, ac iudicium incorruptum rectè ſentientium, ut hoc publicę uocis teſtimonio & nos conſtantiores ſimus ad uirtutem colendã, & alij exemplo noſtro excitentur: hac'q; ueluti luce coram hominibus lucente, glorificetur Pater noſter ille qui in cœlis eſt, minimè eſt contemnendum. Verumenimuerò hominem uera uirtute præditum, eo animo eſſe oportet, ut etiam ſi nulla gloria ſubſequatur, imò etiam ſi ob uirtutem & inuiſus ſit, & malo afficiatur: tamẽ ne unquam ab ea deficiat, in ſola'q; rectè facti conſciẽtia (hominibus uel inuidẽtibus, uel neglig ẽtibus ipſius uirtutẽ) conquieſcat. Quæ profectò laus eſt apud Deum, iudicẽ illum æquiſsimum, & remuneratorem benigniſsimũ, maxima. Quemad-
2.Cor.1. modum ille idem Paulus teſtatur, inquiens: Gloria noſtra hæc eſt,
» teſtimoniũ conſcientiæ noſtrę. Etenim ſi quis non contentus conſcientię ſuæ teſtimonio, nihil agere uelit, niſi ſpectetur, & in ore habeatur ab hominibus: uideat ne gloriam hominum quærens, eam quæ à Deo eſt amittat. Certè enim precium iam ſuum accepiſſe putandus erit, uentoſæ gloriæ inſeruiendo. Neque eſt quod ſperet ſe pręmium cœleſtis illius mercedis accepturũ, Chriſto ipſo authore,
» qui ita dicit: Cùm eleemoſynã pręſtatis, cùm Deum oratis, cùm ie-
» iunatis, ne id faciatis corã hominibus, quò ſpectemini ab illis. alio-
» qui hoc ipſum merces erit ueſtro operi: pręmium quidem apud
» patrem ueſtrum qui in cœlis eſt, non habebitis. Non igitur operemur unico ſtudio hominibus placendi: ſed quia, quod facimus, & rectum eſt, & à Deo præceptum. opera'q; noſtra referamus non ad inanem iactantiam, quod uanitatis eſt: nec ad quęſtum, quod eſt cauponantium: ſed uel ad hominũ commoditatem, uel ad Dei laudem, cui certè acceptum referri oportet omne id quod in nobis boni eſt. Hoc uerò cõſtituto, ſi laus & teſtimonium proborum & prudentum hominũ accedat operi noſtro, non eſt contemnendũ: modò id fiat ad illum finem, quem Chriſtus ipſe oſtendit, VT glorificetur pater cœleſtis, bonorũ omnium author: ut'q; quaſi luce noſtra
Rom.14.& 12. alij accendatur ad bona opera. Quod & Paulus uult, dum iubet,
» ut prouidè paremus honeſta in conſpectu omnium hominũ. Nam
» negligere (inquit Orator) quid de ſe quiſq; ſentiat, non ſolùm arro
» gantis eſt, ſed etiam omnino diſſoluti. Paulus quoq; uult epiſcopũ

bonum

bonum habere testimonium, etiam ab ijs qui foris sunt. quod quid
aliud est, quàm gloria? Hortatur etiam omnes, ut ea cogitent quæ Phil. 4.
uirtutis sunt, & quę laudis. Nobis enim (inquit Augustinus) neces-
saria est uita nostra: alijs uerò fama nostra. fama uerò quorsum refe-
renda est, quàm ad laudē? Hactenus igitur gloriæ appetitus pro-
bandus nobis uidetur, ut uirtute nitatur, eamq; sequatur tanquam
umbra corpus. Hunc qui improbet, quid aliud cupit, quàm ut ne
tales uideamur, quales simus? deinde ut, qui uident rectè facta no-
stra, uel nihil iudicent de illis, uel peruersē iudicent? Rerum quidē
naturam hoc peruertere esset, non rectè præcipere. Gloria & ho- «
nor, inquit Paulus, omni operanti bonū. Quæ igitur gloria ab ope «
re bono, atq; adeò à uirtute ipsa proficiscatur, ea non improbatur.
ergo neq; eius cupiditas improbanda. Quæ aliunde, & ipsa flagi-
tiosa est, & eius appetitio criminosa. Nec enim rei malę desideratio
bona esse potest: sed & perniciosa, & uituperatione digna. Hæc de
superbia, & gloriæ cupiditate.

CAPUT XXV.

*1. De uerborum uanitate, in appellando, assentando, & formales epistolas scriben-
do. 2. De peruersitate tum iurandi temerè: 3. tum offensionum ex menda-
cijs quamuis meritò obiectis: 4. tum fune-
brium orationum.*



EX stultitia etiam seu ambitionis seu superbiæ, exi- 1
stit illa cupiditas blandimentorum in appellatio-
nibus & colloquijs, dum homines honorati sine
uerbis quasi solennibus cōpellari nolunt: & quem
admodum honore & copia rerum cæteris antecel-
lunt, ita plurali appellatiōe & uerbis sesquipedali-
bus in primis gaudent. Sed quid de uiris honoratis loquor? Vix est
aliquis uel parium, uel inferiorum nobis, qui æquis auribus se sim-
pliciter appellari uelit. Vsum pronominis TV prorsus amisimus.
Ad unum ita oratio accommodanda est, quasi cum multis loquen-
dum sit. Alij mutatione numeri contenti non sunt, nisi & persona
mutetur. itaq; cum appellandi sunt, totus sermo fingendus est quasi
cum tertia, uel de tertia persona loquamur. Hinc illa turba magnifi-
centiarum, spectabilitatum, illustritatum, & id genus epithetorum.
Ridiculus sanè mos, nec nisi ex ignorantia ueri honoris profectus.
Alexander Seuerus nō aliter ad se epistolas, quàm ad priuatū, scribi
uoluit: adhibito tantùm titulo Imperatoris. Salutabatur etiā mini-
mè ambitiosè, his quidem uerbis, Aue Alexander. Si quis è salutan-
tibus blandius eum alloquutus esset, quasi adulator ridebatur. Ho-
die, quia & res, & iudicium de rebus magna ex parte amisimus, ine
ptulas quasq; uenerabilitates & honorabilitates captamus: indi-
gneq; ferimus, si quis planè & simpliciter nos alloquatur: iucūdius

i nobis

nobis eſt auditu, cùm quis alloquitur Celſitudinem, excellentiam, præſtantiam, magnificentiam, reuerentiam, maieſtatem, ſanctitatem, nobilitatem, generoſitatem, egregietatem, et reuerendiſsimam dominationē noſtram. Deterſa eſt magna ex parte barbaria ſeculi huius noſtri, & uerborum & ſententiarum. Facilè & hic mos detergeretur, niſi plerique quibus cum agimus, horum epithetωn omiſſione contumelia ſe affici exiſtimarent. Sed illi uerba nō rebus ipſis, ſed ſuis opinionibus, quas in fortunæ nimia indulgentia imbiberunt, putant ſeruire oportere. Ad blandas & aſſentatorias appellationes accedit mos ille, ſermonē omnem dignationibus referciendi: nos & noſtra ſeruitia (ſic enim loquimur) cuilibet commendandi: ac ſine ullo diſcrimine ad unumquenque operas noſtras deferendi. Cum his coniuncti ſunt illi geſtus, ad ſimulationem & diſsimulationem compoſiti, geſticulatio, capitis denudatio, honoris oſtentatio in eos quos uel contemnas, uel odio habeas: omnia ſimijs magis apta quàm hominibus, quorum externam ſpeciē minimè decet ab interna animi ſententia diſcrepare. Hi mores ex ineptijs aulicis magna ex parte profecti ſunt, uiris indigni. Nam & ſignificationes omnes ueræ beneuolentiæ tollunt, & diſcrimen benè ac malè nobis cupientium confundunt, & inſulſam quandam uanitatem uitæ hominum inferunt. Tales aulicíſmi effecerunt, ut uix aliquis ueritatē, de rebus ſibi uel noxijs uel commodis, ab alio amicè dici audiat. In conuicijs quidem ab irato audire poteſt: quod ſignum eſt, alium alij minimè amicum eſſe. Sed & titulorum illa epitheta, & hæ fictæ ſeruitiorum commendationes, & omnes aſſentationes, à turgidis hominibus, & omnem auram popularem captantibus excogitatæ
2 ſunt. Illud ſingulari uanitate & peruerſitate non uacat, cùm uulgus hominū nihil loqui nouit, niſi tertio cuique uerbo propemodū
3 addito iureiurando: quod tamen impunè fit omnibus. Et qui ſine iureiurando nihil loqui didicerunt, ij ſi mendacij inſimulentur, ſupra modum offenduntur, quamuis mendacij ſint rei. Quaſi uerò, qui uolens ſciensque mentitur, uel tacentibus ignariſue hominibus, non mendacij à conſcientia ſua ipſius conuincatur: cuius morſus uiris bonis grauiores eſſe debēt, quàm ullæ mendaciorum obiectationes. Sed his offenſionibus non efficacius remediū fuerit, quàm ſi uoluntate & cōſuetudine te aſſuefeceris ueritati dicendæ: nullumque uitium turpius duxeris mendacio. Pugnat enim & contra naturam, res omnes, ut cuiuſque conditio fert, producentem: & contra Deum ipſum, ueritatis patrem, quemadmodum diabolus mendacij eſt pater. Atque haud ſcio an intemperantes, fures, uiolatores hominum, adeò officiant bonis moribus, atque mendaces, qui & in uita & in ſermone uanitatem ſoleant adhibere: cum quibus nulla nec in rebus contrahendis, nec in ſermonib. conferendis poſsit eſſe
commu-

communicatio: qui alij sint reipsa, quàm sese ostentent: qui aliud loquantur, quàm sentiant: qui in id studeant, ut fallant eos cum quibus agunt. Profectò qui ad eum modum affecti sunt, fieri non potest quin leuissimo momento peierent: & qui ut fallant alios, animo suo imperare possunt, ij ut iureiurando confirment quod dixerunt, facile exorari poterunt. Danda igitur unicuiq; opera est, ut in uita ac moribus suis, in sermone ac rebus agendis, nihil ficti insit, nihil uani, nihil fucati, nihil quod ueritatis fines excedat, nihil quod spectatores auditoresq; fallat ac decipiat. Itaq; si mendaciunculis fueris aspersus, hoc si merito tuo accidat, teipsum accusato: nec in eum qui te mẽdacij insimulauerit, sed in teipsum qui falsum dixeris, culpam conferto. Omnino absurdum est, cuius os & lingua à mẽdacio dicendo non abhorret, eius aures à uerbo mendacij audiẽdo abhorrere. M. Cicero in oratione pro Coelio, apud iudices populi Romani dixit, se non moueri ijs accusationibus, quę perspicuè falsę essent. & ad C. Antonium imperatorem scripsit, se non uelle eo uerbo in ullum uti, quod ille in ipsum falsò conferret. Et ad Appium Pulchrum imperatorẽ, eum mẽdacijs leuissimorum hominum esse oneratum. Non abhorrebant aures Romanæ à uerbis falsi & mendacij. Volebant uerba conformia esse rebus: cũ quibus si illa conuenirent, uera: sin minus, falsa esse dicebant. Hodie uerò, & qui falsum dicunt, & qui aliorum mendacijs scientes ac prudentes aures accommodant, adeò uerbo mendacij offenduntur, ut si mortiferũ uulnus acciperent: quod si mox non ulciscantur, de fama & existimatione sua actum putent. Nisi fortè qui rem aliter, quàm narrata est, habere se dicat, honorem auribus præfatus est. Hac enim præfatione animi eorum, quibus res aliter se habere, quàm ipsi dixissent, exponitur, ab ira auertuntur. Interea nugas comminiscũtur de discrimine non ueritatis & falsitatis obiectæ: & de eo qui prior, quique posterior id cõuicij dixerit: & de bonitate disputatur, uter melior: utroque rixantium, ore suo impudenter se efferente, Melior sum te, Imò ego te. Ad ferrum deinde prouocatur. Sed mox ira incrudescit: qua uel prætextus ignauiæ inueniatur, uel militari glorię satisfiat. Indignus es, qui manum mecum cõferas. Imò ego dignior te. Tot thrasonismi ab istis proferuntur, cùm de imaginibus uetustis, tum de nugis alijs ineptissimis, ut & aures patientissimas esse oporteat, quę illis audiẽdis sese admoueant: & hominẽ solutissimũ, qui confutandis illis ac diluendis animum adijciat. Disputant de stemmatis nobilitatis, qui sæpe à re longissimè absunt. Discrimen statuunt inter falsitatem, & non ueritatem: quasi non res attẽdenda sit, sed sonus aerem uerberans. Certè & qui falsum dicit, & qui non uerum, rem aliter, quàm se habeat, uerbis exponit. Sed quid hoc ad istos, qui syllabas tantùm uocum numerant, res non expen-

dunt? Quòd uerò ex conuicio prius iacto præstantiam iactant uel animi, uel nobilitatis ueræ (sic enim loquuntur) dupliciter peccant: dum & de crimine admisso gloriantur: & in quo magis deliquerũt, in eo celebritatem maiorem quærunt. An qui lacessiuit, clarius nomen sibi fecit, quàm qui lacessitus est? an qui prior in maleficio deprehẽditur, magis nobilitabitur, ꝗ̃ qui posterius? Sed hæc, ut dixi, nihil ad istos uiros magnificos, qui censuras & ueluti regulas habent alias uel domi suę natas, uel in peregrinationib. militię ergò susceptis, uel in exercitationibus eiusdẽ generis quæsitas, & singulari cum laude inuentas: quas tanti faciunt, ut & philosophi, & iurisperiti, & omnes ratione utentes eis cedere cogantur. Nos ergo omissis istis, ad propositum redeamus. Nihil profectò humanę uitę accõmodatius est, quàm ut ueritati semper studeas, & in sermone, & in moribus, & in omni uita. Si merito tuo seu mendax, seu non uerus audis, in te culpam conferto: sin immeritò, purgato te uel testibus, uel alia ratione. nam id quidem rectius fuerit, quàm colaphum infligere, mendacium immerito tuo tibi obijcienti. Quidam insimulatus furti, falsò id in se conferri dixit: at qui dicebat contrà, colaphum illi incussit. Res ad arbitros delata, ita inter eos composita est, ut uterque ab altero erratorum suorum ueniam precarentur: alter, quòd & furti crimen & pugnum impegerit: alter, quòd quasi conuicium dixerit. Ridiculè hæc quidem omnia. Quasi uerò uel iste labem furti eluerit, uerbum mendacij iactando: uel ille falsi crimen effugerit, alapam incutiendo. Cur uerò non potius res agitur iure & æquitate? cur & à mendacij & à furti crimine, nõ potius purgat se quisque uel testibus, uel alijs legitimis rationibus? Non debes existimare te à crimine, cuius insimulatus es, liberum fore, uel si eum qui te insimulauit occideris. Sunt legitimę rationes, quibus homines de criminibus obiectis purgare se debent. His quãdiu usus non fueris, tamdiu & culpæ criminisq́ in te collati reus, & cõuicijs hominum expositus uideberis. Horum igitur rationes aliæ usurpandæ sunt: & mos ille ad singula ferè uerba iurandi, è medio tol-

4 lendus. Mos item eorum, qui funebres orationes habendo, operam omnem ponant in uirtutibus mortui laudandis, nullam in uitijs uituperandis, haud scio an sit improbandus. Ego quidem ita existimo (sic enim olim scripsimus ad amicum quendam) in hoc genere orationum non tantùm ea proponenda esse auditoribus, quæ imitanda sint: sed ea etiam, quæ uitanda. Virtutis enim est hoc totum, uitiosa fugere, præclara autem aliorum facta imitando consectari. Id'que in primis eorum, qui in locum mortuorum succedant, inter est: ea cognouisse quæ in illis qui ante se erant, desiderent boni & docti uiri: quæ damnent, quæ laudent. Profectò enim cùm laudari uideant omnia in illis, nihil uituperari, putant suos etiã mores,

res, sua facta omnia, quantũuis damnanda, laudari oportere. Quam illorum opinionem quæ tandem mala consequantur, nõ est necesse commemorare. Illud uerò minimè probandum est, ad scribendã huiusmodi orationem, exemplum à panegyricis sumendũ esse. Etenim hi scribuntur uiuis & præsentibus, de quorum ingenijs existimamus bene: ut habeant uel regulam ac normam, uel tanquam calcaria, extimulantia ad uirtutem. Mortuos autem si tantummodo laudes, nec ea attingas quæ uituperanda sint, quid facis aliud, quàm spem inijcis uiuis, ut res suas, quamuis laude indignas, putent ob diuitias & facultates in cœlum efferri posse? Hac autem ratione & diuites ac locupletes segniores redduntur, ad illam uirtuti industriæ ac labori debitam laudem: & hominum animi offensiores fiũt, dum in rebus permultis uituperabilibus laudem omnia uident occupasse: & ipsi literati unà cum literis in suspicionem ueniunt leuitatis & adulationis: amissaq́ semel opinione sententiæ liberè & uerè dicendæ, prodesse non possunt, etiam cum uelint, generi hominum doctrina sua. Et hæc de sermone.

CAPVT XXVI.

De singularibus certaminibus.



ADDAMVS de singularibus certaminibus, quibus cędes quamlibet ob causam quærãtur: quæ & ipsa in Rep. legibus constituta, prohibenda sunt: certè ab hominibus ratione parum utentibus, & à Christo prorsus alienis, excogitata uidentur. Quid enim est quod ratio humana dijudicare, citra sanguinis effusionem, nõ possit? Omnes ambiguæ res uel testibus uel iureiurando discernuntur: ex his & ratio humana, & sacra oracula, iudiciorũ exitum pendere uolunt. Causaris tibi factam ab aliquo iniuriam, eamq́ sine duello abs te repelli nõ posse. Quin opem potius magistratus, cui & iudicia & gladius datus est, imploras? Bella inter nationes, non ijsdem legibus uiuentes, tunc suscipiuntur, cùm res repetitæ non redduntur. Tu uerò, qui in eadem Republica cum eo qui iniuriam intulit uiuis, ijsdem legibus cum eo subes, leges posthabẽdas existimas gladijs? Et sunt homines præferoces, qui parum fortes sibi uidẽtur, nisi iniurias pertinacissimè insectentur: aut si id nequeant, ad singulare certamen, eum qui læsisset, prouocent: generosi & excelsi animi esse putantes, existimationẽ suam iniurijs ulciscendis tueri. Sed hæc sunt plena uanitatis, fastus, ambitionis. Omnino uera animi magnitudo, in contemnendis magis quàm persequẽdis iniurijs cõsistit: ac in placabilitate potius, quàm in ferocitate. Quod non tantùm à Christo, & eius Apostolis est traditum, cùm nos iubent benedicere maledicentibus, benefacere malefacientibus, diligere inimicos: sed etiam ab ipsis philosophis, *Arist. Ethic. 4.*

qui uiro magnanimo informando, uolunt eum ut ab iniurijs facien dis esse remotum, ita à persequendis abhorrentem: & ut pro re magna & iusta pericula capitis adeuntem, ita pro leui & iniusta eadem fugientem. contrà quam uulgò fiat à multis, qui gloriolæ causa pro rebus leuiculis occasiones aucupentur periculorum: ac pro uerbulo nullius momenti, ferro decernere contendant. Sed hi tandem iusto Dei iudicio uel uulnera ab ijs accipiunt, quibus cum congressi sunt: uel uitam amittunt, quam alijs eripere conabātur: uel omnem existimationem deinceps perdunt, quam ineptis rationibus putabant colligendam. Cùm igitur non tantum Christiana religio, quæ profectò sola maximi esse debet apud hominem Christianum, sed & philosophorum dogmata magnanimitatem statuant in contemnendis iniurijs: quis est, qui stultæ multitudinis opiniones contrarias pluris faciet? An plus tribuemus hominibus sine uirtute, sine iudicio? qui iniurijs alios afficere, imbellibus gladios intentare, homines ob leues causas & res exiguas interficere didicerunt? Horum facta & totam uitam, cùm omnium uituperatione dignam esse censeamus, cur iudicium eorum de fortitudine & uera magnanimitate plurimi facimus? Atqui cauendum nobis est, ne dum malorum peruersitati plus seruiendum putamus, eorum similes efficiamur: quibus displicere, opinionique eorum, ac potius errori mentis & uerbis & factis contraire, solidā gloriā consectari fuerit. Velim autem mihi respondeant, qui ultionem, fortitudinis ac magnanimitatis nomine ornare audent, quid de contemptione iniuriarum statuendum putent? Etenim si ferina ista rabies tanti fit, ut ei uirtutis nomē imponatur: quid igitur est lenitas, quid placabilitas, quid animi remissio? Omnino si qui ulciscendo se benefacit, malefaciat oportet qui negligit ulcisci: cuius contrarium ostendimus nō tantùm ex Christianis institutis, sed etiam ex philosophorum decretis. Iam quod uirtutis non est, quî fortitudinis esse potest? Virtutis porro quî erit, quod à mediocritatis illa regula rectæ rationis remotum est? Cùm igitur, qui carnificina exercenda iniurias ultum eunt, à mediocritate iure ac legibus præscripta discesserunt: à uirtute etiam, atque adeò fortitudine ipsa alienos esse fatendum est. Et tamen non tantum qui iniuria extimulati sunt, affectui suo indulgendum putant, se ulciscendo: sed alij quoque idipsum & sentiunt, & loquuntur, ad quos nulla iniuria peruenit: qui hominibus iam incitatis & furentibus, addunt pondus iudicij & authoritatis suæ. Accedunt & magni ac pij, si dijs placet, theologi, qui eos ipsos ad effundendum proximi sanguinem ruentes, sacra cœna communicandos putant. O' religionem irreligiosissimam. Nemo utitur hac cœna dignè, nisi qui cum proximo redijt in gratiam: qui non tantùm amicos, sed & inimicos amat: qui eos pascit esurientes, potat sitientes.

tes. Tu symbolum hoc Christianæ charitatis usurpas tunc, cùm appetis sanguinem proximi, cùm iugulum eius petis, cùm eum proculcatum & perditum optas? Quid igitur, an non putas te pro Christo diabolum, homicidarum omnium parentem, in cor tuum (quod de Iuda in re simili proditū est) sumpturum? Legibus quidem pontificijs singularia certamina interdicta esse constat: nec satis scio, an aliquibus legibus probentur. Et tamen locum illis esse in bellis legitimis, non est dubium: ubi cùm ius sit totis exercitibus inter se confligere, licebit etiam aliquibus singulariter pugnare. Tunc enim res est hostibus, non ciuibus, nec cōmilitonibus inter se. Ad hunc modū, ut est in historia Romana, Horatij tres cū tribus Curiatijs conflixerunt: & Manlius cum Gallo. In sacra etiam historia de Dauide Hebræo & Goliath Philistæo refertur, eos exercitibus inspectantibus ea lege depugnasse, ut ex alterutrius uictoria, toti exercitui uictoria parta fuisset. Neque indignum esset, ut hodie principes, amplas ditiones sitientes, contentiones suas de regnis & prouincijs monomachia finirent: atque hoc modo uictor rerum potiretur, potius quàm innumeris hominum cædibus, calamitatibusq́ infinitis regna quærantur. Extra uerò tempus belli, legibus pugnandum est, non armis. Nisi fortè accidat tempus, ut res dirimi nullo modo posit sine armorum præsidio: ut cum testes iurati in iudicio contraria affirmant. Sed nos in præsentia disputamus de ijs, qui spretis legibus, uel solius gloriæ causa, uel dirimendæ controuersiæ gratia, ad arma recurrendum putant, alios'que ad singulare certamen prouocant. Qui utcunque iustā se habere causam existimant: tamen quia legibus ualere iussis, hoc est, Dei & naturæ ordinatione contempta, Marti se committunt, experiri coguntur Dei iusticiam, eos punietis. Qui enim Dei ordinationi resistit, damnationem sibi acquirit, authore Paulo. Neque uerò qui prouocatur, crimine uacat: si non ad alia remedia, hoc est ad leges communes confugiat, à quibus petat opem, & dijudicationem controuersiæ ancipitis. Quòd si prouocatus, necessitate cogitur se defendere: excusationem habere potest lege naturæ, quæ uim ui repelli permittit. Iam si de uita & sanguine temerè pugnantes improbandi: non minus certè illi quoq; seu reges, seu principes, seu quiuis alij magistratus, qui & ius ad eum modum decertandi permittant, & locum huic spectaculo cōcedant: sintq; ipsi cùm spectatores, tum iudices, aut certè fautores certaminis. Quid enim hoc aliud est, quàm à studijs pacis homines ad arma auocare: suum magistratui gladium præripere: legum communiū ac iudiciorum maiestatem minuere: religioni Dei immortalis impiè & ambitiosè derogare? Igitur controuersijs & discordijs componendis, inimicitijs tollendis, legibus potius ac iudicijs utendum est q̃ armis. ad hæc enim non nisi inter

2. q. 5. ca. Monomachiam.

populos diuersos ueniendum est: cùm ea quæ iurè ad nos pertinerant, iurè repeti nō possunt. ad illa inter homines eiusdem Reip. semper recurrendum: nec gladio, magistratus iniussu unquam utendū.

CAPUT XXVII.

Gladios & instrumenta alia ad lædendum comparata, non esse ferenda in Rep. quieta.



VONIAM autem occasionibus peccatorum & periculorum uitandis facillimè, ac potius omnino uitantur peccata & pericula, ideo ut temeritas pugnandi auferatur, prohibendum uidetur, ne quis in ciuitate, uel in ullis hominum cōuenticulis, tela & arma gerat, cuiuscunq; generis, ad nocendum & lædendum comparata. Homines illis cincti, prompti sunt ad iniurias faciendas: rixas ex facili cient: alios uulnerant, interficiūt. Quid enim opus eiusmodi instrumentis, in cœtibus hominum iure sociatis? Legibus arma seruire debent, non liuidorum hominum affectibus & petulantiæ. Boni est ciuis, nullam uictoriam pluris facere q̃ quæ parta est legibus: quas ab omnibus coli, & eis omnes obtemperare æquissimum est. Millies perire est melius, inquit Cicero, quàm in sua ciuitate sine armorum præsidio non posse uiuere. Quid uerius? Iure enim quenq; in sua Rep. tutum esse oportet, non armis. Qualis furor est, latrocinia exercere in Rep. legibus constituta? at quid latrocinij magis simile, quàm armis & ui quærere uelle, quod legibus & iudicio quærendum esset? Quid autem gladiorū aut machinarū (quas bombardas uocant) gestatores præ se ferunt, quàm nihil se metuere, quin legibus ualere iussis, humano sanguine conspergant terram? Antiquissimæ & nobilissimæ ciuitatis Massilienfium multa & uaria à scriptoribus feruntur instituta. inter quę & illud: Nemini cum telo in oppidum illud ingredi licere: Præstò esse qui id custodię causa acceptū exituro reddat: Vt hospitia, quemadmodum aduenientibus tuta sunt, ita ipsis quoq; tuta sint. Quem autem inde fructum ferant Massilienses, Valerius Maximus sic prodi-
» dit: Gladius est ibi, quo noxij iugulantur, rubigine exesus, & uix suf-
» ficiens ministerio. Magno argumentò est rubigo ista, pacatissima ibi esse omnia, ubi gladiorum usu omnibus interdicto, occasio omnis pręcisa est & delinquendi, & puniendi. Nostrę Reip. quantas afferret utilitates institutum eiusmodi, quis non uidet? Nulli sunt ferè cōuentus hominum, in quibus aliquot uulneratos, mutilatos, cęsos, & iniurijs innumeris affectos non uideas. Facilè hic mos reciperetur, nisi quidam animis efferatis obstarent: qui excellentię cuiusdam pretextu, iuris ęquabilitatem contemnunt: se ab omnibus metui gaudent: atq; sic uiuunt, ut non obscurè significent, se delectari immanitate ista portentosa. Cuius & ipsos sępe luere pœnas uidemus.

Cic. Philip. 2.

Valer. de Institutis antiquis.

demus. nõ enim tantum homines ordinis inferioris, sed & suos pares & consanguineos, atque adeò & germanos fratres uiolant & trucidant. Ipsi quoque non rarò trucidantur, atque ita dignam furore suo mercedem in sese accipiunt. O' Remp. miseram, & omniũ neruorũ exortem, quæ ista monstra alit in suam perniciem. Non sunt homines, qui sine ulla uirtutis & officiorum consideratione uiuunt: idque sequuntur, ad quod cæci impetus rapiunt. Sceleratiores sunt multo, qui in Repub. quasi intra mœnia eadem habitantes, cædes ciuibus suis moliuntur, quàm qui foris infestant fines nostros, muros quatiunt, tectis ignes iniiciunt. Sub umbra uerò excellentiæ præstantiæque reliquorum hominum, belluinam feritatem circumferre, ac more Centaurorum & Lapitharum licenter omnia agère, furor est, à diabolo sceleratis immissus: magis quàm audacia, humana uoluntate suscepta. Ad quem furorem propellendum, omnes humanitate aliqua præditi, uoluntate & studiis & re conspirare deberent. Sed haud scio, an sit qui id curet. Potentes securi sunt rerum, potentia & diuitiis suis freti. Egeni & imbecilles suspirant tantum, & gemunt. Boni & pii uiri, mœrore & luctu contabescũt. Resp. iacet miseriis & ærumnis pressa. Interim diabolus triumphat: qui nactus idonea organa, impellit ea ad cædes & omne genus scelerum, ut imaginem Dei deformet, omni genere calamitatum obruat, perdat, & secum ad æterna supplicia trahat. Medendũ igitur huic rei, ne Respub. propter impunitatem malorum plectatur & concidat.

CAPVT XXVIII.

De reconcilianda gratia.



TQVE utinam in mores illud quoque recipiatur, ut homines qui offensiones inter se uolũt tolli, exponãt fideliter quisque pro se, qua re offenderit proximum suum. Studebant Petrus cum Paulo, ex iniuriis, quas mutuò sibi fecerant, in gratiam redire: atque ad hanc rem multorum præstãtium uirorum opera uti non dubitabãt. Narrat prior Petrus, quàm atrocem acceperit iniuriam à Paulo, ac culpam in eum transfert. contrà Paulus, non minoribus se à Petro iniuriis affectum, ac culpam in eo ait esse omnem. uterque sua in alterum peccata dissimulant, aut certè extenuant: uterque alterum sontem & iniuriæ acceptæ rerum peragere conantur. Quid igitur Petre, & tu Paule? quid agitis? uultis inimicitias inter uos tolli, fontes & causas inimicitiarum uerè indicare non uultis? Quod igitur remediũ, et quo pacto apponetur morbo huic, quem uterque dissimulatis? Iacobus Hierosolymitarum episcopus iubet, ut confiteamur inuicem peccata nostra, & oremus pro nobis mutuò Dominum, ut sanemur. atque hæc illa est uerè Christiana confessio delicti, dum non tantùm apud Deum agnoscimus peccatum: reum

sed

sed & apud fratrem ingenuè fatemur, qua illum re offenderimus: & ut Deus nobis ignoscat, meritasq́ue à nobis pœnas auferat, alius pro alio precamur. Facilius & Deum & homines placamus hoc modo, quàm simulando aut dissimulando. Ideo Christus ipse iubet nos, ut si munus aliquod Deo uelimus offerre, ac recordati fuerimus fratrē à nobis offensum esse, relicto in præsens munere Deo offerendo, accedamus primùm fratrem, ac eum nobis reconciliemus. Planè igitur Christus docet, non posse nos Deum placare, nisi fratrem primùm placauerimus. Quòd si simulatores & dissimulatores peccāt, quid illi, qui falsò culpam suam in alium conijciunt, peccatum peccato accumulantes? quod certè de alterutro dici necesse est, dum contrarijs narrationibus utuntur. Tu uerò Petre, & tu Paule, boni uiri uultis uideri, & tamen contraria affirmare audetis: nec cogitationes arbitrorum, quibus rem permisistis, timetis? Quid igitur ætas uestra uobis boni attulit, quid rerum usus, si tantùm animo uestro imperare non possitis, ut ueritate utamini uterq́ue aduersus utrunq́ue amicitia reconcilianda? ó ætatem miseram uestram: ó usum rerum multo miseriorem, qui ad malum uos prudentes faciat, ad bonum inertes & ignauos. Frustra uobis boni mores ob oculos ponuntur: frustra bonorum uirorum iudicia recitantur: frustra Iacobina & Christiana præcepta in medium afferuntur. Ira, odium, & cupiditas nocendi, præcipites uos dederunt in hanc amentiam, & mentis cæcitatem: quæ nisi depellantur, grandiora secum scelera pertrahāt necesse est. Sed sunt qui non tam sua quàm Reipub. causa ab aliquo dissentiendo, simul etiam ab eo beneuolentiam abalienent omnem. Etsi autem nihil nobis Repub. charius debeat esse, pro qua & inimicitias & calamitates, & mortem ipsam perferre nemo bonus recusauerit: tamen stomachari, aut odium capere illius, qui suo iudicio eam gubernandā putet, non est rectum, nec utile ipsimet Reipublicæ. Primùm enim qui aliter sentit, fieri potest ut rectius te sentiat. Deinde ut erret: tamen si ex animo dicit quod putat Reipublicæ cōuenire, error illius dignior est uenia quàm odio. Tanta est interdum & rerum uarietas, & temporum: ut mirum non sit, de ijs tot hominū sensus esse, ut est in prouerbio, quot capita. Philosophorum cuipiam acrius contendenti, sapientem errare nō posse: obiecta auis est alius generis atq́ue ille peteret. cumq́ue eam ille comedisset, existimās minimè suppositiciam esse, erroris redargutus est. Sæpe animis hominum auiculæ eiusmodi pro ueris offeruntur. Et te ipsum errare posse, minimè absurdum est: & alterius errore dolere, perhumanum: odisse uerò, aut oppugnare eum qui errare uideatur, pręferocis est, & imbecillitatem humanam parum agnoscentis. Tot lapsibus, erroribus & uitijs obnoxia est humana uita, ut nisi in multis conniueamus, ac errata nobis mutuò condonemus, non

diu

diu hæc societas & coniunctio hominum inter ipsos duraret. Iam illud quoq; in nonnullis animaduersum est, non tam errorem alienum, quem prætexere solent, quàm æmulationem esse, quæ eos ad dissidendum instiget. Grauis sanè animi commotio, nec cuiuis homini apta & congruens. Et quemadmodum teredines non in quouis, sed præcipuè in dulci ligno nascuntur: ita æmulatio magis peculiaris est ijs qui altissimis sint animis, & gloriæ percupidis. Quæ quidem æmulatio si ratione dirigetur, erit tanquam calcar ad uirtutem & honestas actiones, quasi exemplis propositis stimulans: sin à recta ratione fuerit auersa, uitiosissima sit oportet, & riualitati (ut dicit Cicero) persimilis. Quid enim uitiosius, quàm te cruciari alieno bono, quod tibi uel natura, uel pigritia tua negauit? Hunc uerò cruciatum inuidia sequitur: ex qua nascitur odium. fit'que tandem, iuxta uetus Hesiodi uerbum, ut figulus figulo indignetur: omniaq; in eo quem uel æquare uel superare nequeat, damnet, irrideat, omni artificio calumnietur, & maledicat. Quamobrem uitia hæc & noscenda, & fugienda sunt: nemini inuidendum: dona à Deo immortali alijs concessa, digna ueneratione prosequenda: simultates cùm nostra, tum Reipublicæ causa deponendæ: culpaq; omnis benignè alijs ignoscenda: atq; etiam gratia reconcilianda præstandũ, ut ne id obscurè fiat, ac dissimulanter. Sunt enim quidam ad offendendum alios ualde prompti: ad placandum uel tardi, uel prorsus negligentes. Si qua necessitas cogat eos ad reconciliationẽ: tamen turpe sibi existimant, si id præ se ferant. Irrepere malunt ad concordiam, quàm palàm ingredi. Itaque & semotis arbitris, & quasi non dedita opera, rem agi uolunt: cumq; quod agunt, profiteri nolint, quid aliud quàm illudunt & ei quem offenderunt, & actionibus humanis: quas claras esse conuenit, cùm offensiones publicæ fuerũt? Verè illud à Poeta scriptum est,

Qui simulat uerbis, nec corde est uerus amicus.

Itaq; tales occultæ reconciliationes ex offensionibus palàm factis, non solent esse diuturnæ: plerunq; etiã in turbas & tumultus erumpunt. Esto igitur uirtutis primus gradus, neminẽ offendere: secundus, animum eius quem fortè offendisses, reconciliare. Qui priore gradu non substitit, studeat in altero subsistere: id'que uultu, gestu & uoce testari, se & facti pœnitere, & cum eo qui sit offensus in gratiam redire cupere. Ex hoc enim secundo gradu nemo descẽdere queat, quin cadẽdum illi sit grauissimè. Nam & ira in eum quem non placaueris, subsequetur, & studium malefaciendi. Ita hoc malum indies magis ac magis ardebit: scintillaq; principio non extincta, pariet magnum incendium, materia illi suppetente. Ergo homini Christiano curandum, ut sit cum omnibus in gratia: offensiones bona fide deponat: suorum erratorum candidè & suppliciter ue-

niam

niam petat. Non enim aditus patêre potest ad patrem cœlestem ei, qui se alijs præbeat uel superbum illis reconciliandis, uel inexorabilem culpa eis condonanda. Sed sunt permulti eo ingenio, ut ex re quamlibet leui, facilè capiant magnas offensiones. Ex uerbulo, quo se perstrictos putēt: etiamsi id qui dixit, aliter multo uellet acceptū, ex sibilo, ex stertendo, ex dentium contactu, ex unguis arrosione, ex oris apertione, distortione, corrugatione, ex aspectu attentiore, ex conniuentia, ex neglectu uel pileo deponendo, uel alloquendo, uel manum porrigendo. denicp ex omni nutu & gestu, quo suspicentur sui contemptum significari. Sed eiusmodi suspicionibus quisq; suum prodit ingeniū, ex quo scilicet mores aliorum existimet. Ita enim ferè fit, ut qualis quisq; sit, tales alios esse suspicetur. Talibus uerò quid precandum magis, quàm ut mens eis sana sit in corpore sano? Omnino animi morbi periculosiores sunt corporis morbis, & sæpe illi sunt causæ istorum. Sanet igitur quisq; mentem suam ægrotātem, nec pro rebus umbras ac tanquam somnia metuat: nec more sophistarum, pro causa id quod non est causa ponat. Tales sumus pleriq; omnes, ut in rebus multis cæcutiamus, erremus, labamur. Quòd si alij acrioribus oculis lapsus nostros contueri uellent, haud facilè unus reperiretur, qui in amicitia nobiscū perpetuò permaneret. Iam si æquum putamus nobis condonari errata nostra, cur non ipsi etiam conniuemus in erratis aliorum? Cur offensiones leuissimas minimè ferendas putemus, qui toties alios offendamus? si tamen offensiones sunt, quas sæpe errore quodam mentis fingimus ipsi. Sed ut etiam essent, tamen Christiani hominis est alijs ignoscere: si quidem sibi à patre cœlesti uelit ignosci. Iam quis non uidet extremo supplicio dignos istos, qui non contenti se alijs culpam remittere nolle, inimicitias etiam per manus filijs, amicis, posteritati suę tradere conantur? cumq; ipsi ueneno infecti sint, totam progeniem eodem inficere conantur? Rationem habent nullam prolis suæ: quæ, ipsis magistris prius malè facere incipiat, quàm discrimen ullum boni ac mali habere: nullam amicorum, quorū opera ad res dissimillimas aduersus alios utantur, quàm sint illę quibus ipsi cum eis coniuncti sint: hoc est amore, beneuolentia, concordia. nullam denicp posterorum, quos in eam malorum uoraginem dari uolunt præcipites, unde nec se nec illos extricare poterunt. Accedit ad hæc mala ingens multorū improbitas ac nequitia, qui uel excitent alantq; aliorum discordias, tum per se, tum per alios leuitatis suæ administros: uel excitatas sedare, cum possint, minimè uelint. Qui etsi ipsi quidem cum omnibus libenter sint in gratia: tamen in uiris bonis nullo modo habendi sunt, si quod in se non ferunt, id in alijs seu incitando, seu quouis modo fouendo, ferendum putent. Faciunt id uel commodi alicuius cōsequendi, uel incommodi uitandi

causa:

causa: nonnunquã etiam occultę cuiusdã tyrannidis amentia impulsi. Itaq; non aliter habendi sunt, quàm qui à furtis ac cædibus abstinentes, alios ad furta stimulent, ac homicidia. Qui autem uerę uirtutis sunt amatores, ipsi'que alios in nulla re offendere student, eos discordijs hominum ac dissensionibus delectari quomodo conuenit? An est uirtutis, quòd tibi putes esse dedecori, id ęquis oculis in alijs aspicere? & cùm ipse sis parcus cibi & potus, ebrietatibus & uoracitatibus aliorum fauere? Quisque igitur quantum potest uel oratione, uel re, uel consilio, uel authoritate, uel precibus, uel imperio, annitatur discordes in concordiam reducere. Quod cùm omnibus faciendum est, tum haud scio cui'nam magis quàm uiris honoratis: qui sæpe possent uel solo nutu discordias multorum sedare, & concordiam constituere. Sed multi uel desidia, uel quòd nullam inde sperent utilitatem, uel etiam alia nequitia omittunt occasionem benefaciendi: homines sui amantes, & omni honore indigni. Neq; enim uerus honor est nisi ex uirtute, & meritis in genus mortalium. Mereatur igitur quisq; de genere humano, medeatur pro sua parte ægrotantibus: odia hominũ tollat, in gratiam eos reducat: neq; committat, ut quasi ædibus proximi ardere incipientibus, ipse ocio langueat: ne si grande incendium fuerit exortum, ad tuas quoq; ocio torpentis ædes ignis perueniat. Quòd si tibi ipsi nihil metuas, tamen periclitantibus opem non ferre, cum possis, naufragis non opitulari, ex calamitatibus aliorum oculos pascere, hominis non est. Contrà, controuersias componere, amicitias stabilire, animos hominum ad amorem & beneuolentiam hortari & instituere, ab odio & maleuolentia abducere, an non humanitati maximè congruit? Cui quantum debeamus, natura communis omnium nos docet, si aduertamus. docet & ille magister ueræ ueritatis CHRISTVS IESVS, beatos pronuncians eos qui sint pacifici: hoc est, qui ipsi pacem amantes, inter alios pacem conciliare studeant. Multa sunt quæ homines ad pacem, concordiam, placabilitatem cohortentur. Pater cœlestis unus: omnium natura una: societas religionis: communio legum, commerciorũ, Reipublicę: ac in primis errores omniũ communes, quibus mutuò ignosci perhumanũ est. Omnia ferè hominum delicta uel ex ignorantia nascuntur, uel ex animi impotentia. Pueri & fatui, & qui illorum similes sunt, ignorantia peccant, ac stulticia. Quos affectiones premunt, eos quasi suis operibus tenent alligatos. Quod plerunq; fieri uidemus in hominibus à fortuna euectis: quorum alios potentia reddit impotẽs sui, alios ira eneruat: quosdam superbia frangit, ac imbecillos facit: deniq; alios aliæ concitationes transuersos agunt. His morbis infiniti ægrotant & infimi ordinis uiri, & medij, & summi: atq; adeò illi quoq;, qui populorum domitores uideri uolunt. Quid igitur ad-

uersus tales agendum? Omnino id quod physici præcipiunt: ut cõtraria contrarijs rebus curemus, nemini impotenter irascendo, nemini inuidendo, odio prosequendo neminem, aduersus omnes se humaniter gerendo, gaudendo cum gaudentibus, flendo cum flentibus: quemadmodum à Paulo dictum est. Hæc si fecerimus, & supra uulgus hominum prudentiores, & affectuum turbinibus magis uacui uidebimur. Quid uerò magis decet hac prudentia, hacq́ꝫ sanitate mentis præditos, quàm illorum ægrorum & mente captorum misereri? Quod & medici faciunt, conuicia & maledicta patienter ferendo à phreneticis, & mẽtis inopia laborantibus. Sin uerò nos sumus ij qui morbis illis noxiarum cupiditatũ uexemur, aut etiam furijs illarum agitemur: quid magis æquum est, quàm nos similium nostri misereri? nostri enim ipsorum misereri uidebimur, qui culpam aliorum nostræ similem commiserabimur. Hæc si quẽ ad placabilitatem, amorem, & concordiam parum excitent, audiat IESVM CHRISTVM, cœlestis sapientiæ magistrum, his uerbis præcipientem: Diligite inimicos uestros, benefacite ijs qui uos oderũt, orate pro ijs qui lædunt & insectantur: ut filij sitis patris uestri, qui & lucem lucere, & pluuiam cadere iubet super omnes, bonos & malos. Nam si eos tantùm dilexeritis, qui uos diligunt, quid præclari facietis? non'ne & publicani id faciunt? Hæc enim est uia expeditissima ad ueniam peccatorum nostrorum perueniendi, remittere debitoribus debita sua, si nobis nostra remitti uolumus. Quid igitur ad hæc dicemus Christiani, qui sub uexillis filij Dei militamus? Nihil est quod nos non hortetur ad amorem & placabilitatem: & lex naturæ, & nostra commoditas, & patris illius exemplũ quod primogenitus eius filius Seruator noster ob oculos nobis proponit. Miserum est omnino, nos in Christi schola natos, altos & institutos, non uelle cognoscere professionem nostram. Quotidie oramus, ut nobis regnum Déi adueniat. Quod autem est regnum illud, nisi iustitiæ, pacis, concordiæ, & mutuæ dilectionis? Ipse CHRISTVS magister noster, ex hoc mundo ad patrẽ proficiscens, symbolum concordiæ & amoris mutui reliquit nobis, conuiuium & cœnam suam: ut quemadmodum communione corporis & sanguinis sui pares essemus, ita mutuam & parem cùm in nos ipsos, tum in ipsum conuiuatorem nostrũ uoluntatem haberemus. Etiam clara uoce pacẽ & amorẽ quasi testamento nobis dedit: Pacem, inquiẽs, meam do uobis, pacem meam relinquo uobis. In hoc cognoscẽt omnes, quòd discipuli mei sitis, si charitatem habueritis inter uos mutuã. Ad placabilitatẽ item, & clementiã, his uerbis nos hortatur: Si remiseritis hominibus errata sua, remittet & uobis pater cœlestis: sin minus, nec pater uobis remittet errata uestra. Quo igitur authore & magistro inflãmari magis possumus ad ignoscentiam,

tiam, concordiam, amorem mutuum, quàm eo, qui nobis quotidie ipse ignoscit, qui nos amat unicè: qui non aliunde discipulos suos magis æstimat, quàm ex mutuo amore? Quamobrem omnibus qui Christi discipuli uelint esse, enitendum est, ut lites, simultates & odia fugiant: pacem autem & concordiam colant cum omnibus, foueant, & quibus poterint modis augeant. Quod quidem ita quisque facilè præstabit, si dolorem ipse suum minimè ultus erit. Si fortè te iniuria ab aliquo lacessitū putas, uel opera magistratus utere, quem Deus ministrū dedit & flagitijs uindicādis, & rectè factis honore afficiendis: uel iniuria condonata, expugna malitiā aduersarij bonitate tua. Sed uulgus peruerso iudicio, ulciscentes iniurias magnifacit, eosdemq; fortes & magnanimos appellat. Contrà, patientes contemnit, timidos & pusillanimes iudicat. Nobis uerò, qui coelesti religione instituti sumus, pluris faciendum est iudicium iudicis illius æquissimi Dei, qui maledicenti iubet benedicere, malefacienti benefacere: qui patientiam tanti ducit, ut in ea dicat nos possidere animas nostras. Huius uirtutis exemplum & in seipso CHRISTVS IESVS mirificè exhibuit, & in hominibus multis, quos eandem uiam insistere iussit, qua ipse præiuit. Quin etiam si philosophos consulamus, multa ab eis audiemus de ira frænanda, de iniurijs clementer & patienter ferendis. Quid enim est iniuriam ulcisci, quàm improbitatem eius qui prior læsisset, imitari? At malum imitari, quid est, quàm à bono discedere? Non decet te ægrotare, quia ægrotat aduersarius tuus: nec furere, quia ille furit. Quomodo enim morbus tuus sanabit morbum illius? Quomodo mens à sanitate aliena tua, ad sanitatem illum reducet? Profectò imperitissimus est medicus, qui non aliter ægrotum sanare uelit, nisi primùm ægrotet ipse.

CAPVT XXIX.

Congeries præceptorum, & conclusio primi libri de moribus.



RIXIS igitur, simultatibus, & odijs minimè est assuescendum: quieti autem, paci, concordiæ modis omnibus studendū. Omnibus suus honos tribuendus. Neq; est putandum, aliquem alijs cōtemnendis, ad hominum existimationem dimanare posse. Omnes enim amant, & plurimi eos faciunt, à quibus alios uident magnifieri: contrà, contemptores aliorum uulgò odio habentur. Vnicuiq; etiam in actionibus suis, ad uitæ genus in quo uersetur, diligenter respiciendū: illud officijs debitis tuendum, & ornandum, nec in munera aliena se ingerendum. Nam & confusio perturbatioq; ordinum sequitur, dum homines inserunt se negotijs nihil ad se pertinentibus: & propria munera deserere coguntur, aut certè negligentius ea curant, qui animis ad res alienas sunt

distractis: & ipsa Resp. malè se habet, ubi quisque officio non contentus suo, turbat aliena per ambitionē: non secus quàm corpus, cuius membra suis locis relictis, in aliorum membrorum loca commigrarent, eorumque munus inuaderent, laborare necesse esset. Itaque bonis uiris & ambitio fugienda est, & amor nimius sui ex animis eradicandus. Quod hoc facilius quisque assequetur, quo modestius de se senserit ipse: dotes'que, quæ sibi obtigissent, sæpius recognouerit: ac etiam cum animo suo reputauerit, plura sibi ad uitę perfectionem deesse, quàm adesse. Itaque neminem contemnendum esse: sed uiribus & facultatibus nostris, hominibus, quoad eius fieri possit, inseruiendum. Non decet nos, qui fratrum censemur numero, nobis tantùm uiuere: sed potius beneficia parentis nostri inter nos cōmunicare, quæ ille uaria uarijs concessit: ut hac disparitate, mutua'que communicatione, necessitudo germanitatis inter nos cōseruaretur. Qui igitur diues est, liberalitate se fratrem esse pauperis ostendat: qui ingenio, qui prudentia præditus est, doctrinam & consilia cum egentibus communicet: qui nobilitate, qui potentia ualet, conuertat authoritatem & uires suas innocentibus & humilibus tuendis. Humanitatem enim ij exuisse uidentur, iusque fraternitatis abiecisse, qui diuites, sibi tantùm diuites sunt: qui docti, qui prudentes, tantùm sibi doctrina & prudentia sua consulunt. Vera enim humanitas ac fraternitas, rebus cum hominibus communicandis continetur: aut casibus ijs, quibus omnes subiecti sumus, recolendis ac commiserandis. Omnino indignus est in suo periculo misericordia aliorum, qui calamitosorū non miseretur: indignus est ope aliorum, qui periclitantibus non opitulatur: qui claudit aures precantibus, fores egentibus. Sedulò itaque agendum, ut quantum possimus, alijs commodemus: ut ne homines fastidiamus, ne contemnamus: ut deponamus fastum, ut nihil superbè geramus, nihil insolenter, nihil crudeliter. Horum enim uitiorum expulsione, in rerum ac fortunarum disparitate, paritas animorum retinebitur: quæ maximè necessaria est paci & concordiæ retinendæ. Qui hanc paritatem conseruare nolunt, primùm non obscurè significant, se patrem communem habere minimè uelle cum ijs quos pro fratribus habere recusent. Absurdum enim est, cum eo fraterna necessitudine nolle cohęrere, quo cum patrem eundem recognoscas. Deinde ipsi sibi uates existunt, fore ut qui pares alijs esse nolint, tandem deprimantur. Hoc enim diuino decreto sancitum est, ut qui se extollit, humilietur: & qui se humiliat, exaltetur. Hæc noscenda sunt, alta'que mente reponenda, & tanquam diuina oracula recolenda: ad ea actiones nostræ omnes dirigendæ. Quamobrem nemo contemnendus est: omnes beneuolentia & officijs nostris prosequendi: secundæ & aduersæ res æquo animo ferendæ: consilia honesta,

nesta, & cum uirtute coniuncta, semper sequenda: successus uerò à Deo præpotenti petendus & expectandus, ad cuius tribunal nos sisti oportet, ei'que ratio actionum nostrarum omnium, dictorum & cogitationum reddenda est. Et hæc quidem de moribus, qui cùm ad omnes homines, tum ad eos pręcipuè qui sunt in magistratu, pertineant, dicta sint: non quin plura dici posśint (amplisśimus est enim hic dicendi locus, & à philosophis longè maximis uberrimè pertractatus) sed nobis propositum fuit de ijs disserere, quę magis ante hominum oculos uersarentur. Quibus inuestigandis, seu quid consequuti sumus, seu minus, spero bonos uiros conatum nostrum non improbaturos: ut qui Reipublicæ consultum uelimus, nec inde commodi nostri rationem ullam ducamus.

Reliqua igitur persequamur.

ANDREAE FRICII MODREVII COMMENTARIORVM DE REPVBLICA EMENDANDA Liber II. qui est de Legibus.

CAPUT I.

Legem iniustis esse positam.



QVANTA bonorū morum uis sit, quamq; & publicæ & priuatæ res eis contineantur, ac sine eis nec homines priuati parêre, nec magistratus rectè imperare posśint, superiore libro satis, ut uidemur, exposuimus. Nunc de legibus, quibus iudicia exerceantur, scribendum duximus. Ac illud quidem perspicuum est, si casta educatio, uerecundia, probitas, puri & sancti mores uigerent in aliqua Repub. in ea legibus minimè opus esset: non enim leges scribuntur bonis uiris, qui moderatione & moribus, non metu parent honestati. Verùm ea est hominum peruersitas, ea impudentia & licentia malefaciēdi, ut durisśimis legibus opus sit, quibus gliscenti malitiæ contraeatur, exundanti licentiæ quasi obices opponantur, & effundenti sese improbitati fræna inijciantur. Atq; hoc ita constituto, consequitur & illud: Legum pluralitatem & seueritatem in aliqua Republica magno argumento esse prauę educationis hominum, infœlicis indolis, & malitiæ quotidie increscentis. Cui cùm magistratus contrauenire studet, cogitur leges ferre accuratius, ac pœnas subinde magis ac magis exacerbare. Dicamus igitur, quales oporteat leges esse, & quis earum finis.

CAPUT II.

Legum & morum discrimen. Leges maximè quidem ualent propter rationem: sed tamen etiam propter authoritatem magistratus.



Clegum quidem & morum eadem ratio esse uidetur: præcipiuntur enim legib. mores boni, contrarij uetantur. Sed legibus adduntur præmia & pœnæ, ut ijs homines retineantur in officio, qui sponte sua boni & æqui parum sint obseruantes. Sunt igitur mores quasi fontes & principia, è quibus leges manare ac deriuari debent. Omnino autem leges ipsæ ratione aliqua nitãtur necesse est. Hæc enim quasi anima legum iudicatur: hac homines bene morati & à peccando deterrẽtur, & in officio permanent, magis q̃ uel pœnis, uel ullis præmijs. Est aũt id munus uel præcipuũ legum, ut non tantum pœnas proponant peccanti, sed etiã persuadeant peccare minimè licere. Quòd si quarum legum ratio nulla reddi possit (multarũ enim rerum rationes abstrusæ sunt, nonnullarũ etiam ferè nullæ) tamen illud efficiendũ est, ut ne illæ cõtrariæ sint rationi: talesq́ sola magistratus authoritate ualere debent. Sed quantũ res ipsæ facultatis cõcedent, curandũ est, ut non solũ magistratus authoritas, sed rationis etiã, si non necessariæ, saltem probabilis, cõmendatio, leges tueãt atq; ornet. Est enim ratio diuino munere hominib. data, ut sit dux et magistra uitæ, actionumq́ omniũ: quã qui abijciunt, ij homines dici non merentur. id enim abijciunt, quo homo cæteris animantibus præstat. Et quemadmodum radijs solis illustrantur omnia, deformiaq́ à formosis discernuntur: ita ratione cõsilia humana, dicta et actiones omnes, sintne cum honestate cõiunctæ, an uerò cum turpitudine, explorantur.

CAPUT III.

1. *Legum cautio sit, ut omnia ad honestatẽ & cõmunem utilitatem cõstituantur: ita quidem, ut præmia eadem ijsdem uirtutibus, pœna etiam eadem ijsdem scelerib. proponantur.* 2. *Neq; uerò libertates ullæ tanti esse debent, ut eas aliquis ad impunitatem, aut pœnæ inæqualitatem, suis uitijs obtendat. Vera enim libertas in affectionibus animi peruersis ac uitijs compescendis consistit: non in licentia uel patrandi quod libeat, uel peccantes leuius puniendi.* 3. *Si qua diuersitas pœnarum pro eodem flagitio retinenda est, ea tamen non ad laxanda fræna maliciæ, sed ad contrahenda, referenda est. Itaque potentes, nobiles, & qui sunt in magistratu, magis puniantur, quàm imbelles, plebeij, priuati: magis item, qui in magistratum peccent, quàm qui in homines priuatos.*

1 

IT igitur prima legislatoris cura, ut ne quid à ratione, legibus ferendis, discedendum sibi putet: ut'que leges omnes (quod ratio ipsa præcipit) tum ad honestatem referat, tum etiam ad com munem utilitatem omnium. Vt enim medicina probatur,

quæ

quæ uel toti medetur corpori: uel si parti medeatur, ita illam sanat, ut non obsit alteri: ita lex est probanda, quæ uirtutes easdem, ijsdem præmijs afficiat: morbis item & uitijs ijsdem, eandem tum medicinam faciat, tum statuat pœnam. Quis, per Deum immortalem, libenter medicina utatur, qua ab epate feruorem repellat, uentriculo autem frigus inducat? Nemo opinor. Etenim frigente uentriculo, nulla concoctio ciborum futura est: inde uerò & epar, & reliqua membra laborare necesse fuerit. Qua igitur ratione lex probabitur, quæ non eodem modo toti conducat Reipub. quæ eandem uirtutem non ijsdem præmijs ornet: nec idem scelus, eodem modo à diuersis commissum, ijsdem pœnis uindicet: sed alijs nimis indulgens, fræna laxet ad peccandum: alijs suprema supplicia constituens, potestatem adimat ab iniuria sese defendendi? Loquor enim, exempli causa, de lege, qua in alios sæuissimæ, in alios leuissimæ pœnæ propter homicidium sunt constitutæ. Sed quod de una lege dictum est, de alijs etiam similibus intelligatur. Factum est in quodam municipio, ut duo homines, alter plebeij, alter equestris ordinis, ambo diuites agri, & opibus pollentes, multis plagis & uulneribus affecerint hominem non ita diuitem, sed tamen equestri loco natum. Is ad uulnerariũ deductus est. uerùm quia uulnera quędam erant lethalia, post unum & alterum mensem extinctus. Qui eum uel officij causa inuisebant, uel ad inspicienda uulnera ab iudice accedebant, quærebant, utrius percussorum factum in maius crimen uocaret? Respondebat, eum qui equestri loco erat, rixæ & pugnæ initium fecisse, sed in percutiendo utrunque peræquè fuisse acrem: ut prorsus ignotum sibi esset, ab utro uulnera magis noxia acceperit. Tum illi rogando instabant, pro uulneribus quidem utrunque percussorum esse puniendum: at si mors ex eis uulneribus sequeretur, alterutrum tantùm capitis iudicio arcessendum. Duos enim, ob unum homicidium, legibus nostris plecti prohiberi. Ad hæc respondit qui iacebat uulneribus onustus, se uitam prorsus desperare: uerùm in conscientia sua, quæ breui Dei iudicium subitura esset, constituere se non posse, in utrum culpa homicidij conferri debeat, cùm ab utriusque uulneribus sibi pereundum sit. Igitur mortuo ex uulneribus eo homine, quæritur illico plebeius percussor: ad iudicem sistitur: accusatur: caput illius ceruicibus abscinditur. Nam lex est, ut plebeius nobilem, qui causam nullam præbuisset se inuadendi, uel occidens, uel mutilans, uel sæuo uulnere sauciens, capite plectatur. Et hæc pœna est, quam plebeius percussor pro scelere iam pependit. Ille uerò qui est equestris ordinis, uiuit adhuc, & in luce hominum uersatur. Aiunt, eum ex possessionibus ad iudicem citandum: & ad iuris Polonici formam, aut pro uulneribus, aut pro capite, pœna pecuniaria mulctandum. Non'ne, per

Deum immortalem, causa hæc eiusmodi est, quæ duas Respub. desideret, huic duplici hominum generi? & tam quidem à se remotas, ut ex neutra in alteram ullus accessus fiat: neutra alterius ope indigeat: utriusque incolæ nec contrahant inter se, nec se noscant: deinde nec aquam, nec aerem, nec solem habeant communem? Hoc enim quod apud nos usurpatur, ut confusè utrique homines in una Repub. uiuentes, eadem de causa alij plectantur, alij indulgentissimè habeantur, an non est monstri simile? Non est sperandus in Repub. in qua lex eiusmodi dominatur, finis ille, propter quem hominum congregationes fiunt, ut ciues omnes tranquillè & beatè uiuere possint: in qua ille est dominus uitæ & mortis tuæ, tu uerò mortis metu damna & contumelias omnes ab eo ferre cogeris: in qua illi iocus est & ludus te occidisse, tibi uerò in fraude capitali ponitur si illum uel occideris, uel uulneraueris. Sed de hoc à nobis & aliàs copiosè dictum est, & adhuc idoneo loco differetur. Hoc tantum hîc dicamus, illam legum cautionem esse propriam, & prouisionem, ut à ciuibus conuenienter uirtuti uiuatur: utque uindicandis sceleribus nullus personarum respectus habeatur. Habēt enim (ut in priore exemplo insistamus) leges se tanquam medicina, in qua adhibenda nemo peritus medicus habet personarum delectū. satis illi est, morbi genus, quo æger afficiatur, cognouisse: interea dominus sit, an seruus, nobilis, an plebeius, qui curatione eget, non laborat. Ad eundem modum leges se habeant, ut facinora sontium eodem modo puniant: utque commodis, quieti & saluti omnium ex æquo consulant. Cuius rei efficiendæ uix ratio commodior reperietur, quàm si ad regulam illam, qua, quod nobis fieri uelimus, id alijs facere iubemur, erūt directæ. Hæc enim est regula illa, quę quasi de cœlo delapsa, naturæ impressa est: & à CHRISTO seruatore nostro totidem uerbis exposita, ad uitę nostræ & actionum nostrarum emendationē. Nam quòd quidam uel benemeritorum suorum, uel nescio cuius libertatis rationem haberi uolunt legibus ferendis, utinam rectè intelligant quæ loquuntur. Etenim benemerita sunt ea intelligenda, quibus uirtus alicuius illustratur beneficijs conferendis uel in Rempub. uel in res priuatorum. Talium quidē benemeritorum tantum abest ut rationem haberi nolimus à legislatore, ut ea maximis præmijs ornari cupiamus. Cæterùm si qui meritorum nomine intelligāt cædem iniustè à se factā, ac se propterea minus puniri debere quia sunt nobiles & clari origine, ij nimiū abutuntur optima sententia: eam à uirtute ad uitia, atque à præclaris facinoribus ad suam carnificinam transferendo. De libertate autē quod dicunt, omnino uera libertas non in licentia agendi quod libeat, nec in nimia legum indulgentia in eos qui capitalia crimina admisissent, consistit: sed cùm in cæcis ac temerarijs animi commotionibus

tionibus coercēdis, inq; imperio rationis, cuius ex præscripto optimè uiuitur, & sanctissimè: tum in certa uiuēdi disciplina, iuris ęqua descriptione, causarū parium sine omni personarum respectu pari conditione: iudicandiq;, decernendi & exequendi æquabilitate. Ecqui domini acerbiores sunt, animi perturbationibus? quæ in hominibus, in quibus inualuerunt, uiresq; firmarunt, & mentem & iudicium frangunt, uincunt & prosternunt. Nullum mancipium est maius, q̄ quod seruit tam importunis dominis, utcunq; illud abundet opibus ac honoribus. Ecquæ igitur maior libertas cogitari potest, q̄ uacare eorum imperio? Confer mihi cum hac libertate iactatores istos libertatis: qua pleriq; non secus utuntur, q̄ equi sine frænis ac capistris in sese ruentes, dentibusq; & calcibus inferentes & accipientes inuicē uulnera, ut tandem Reip. nullo usui esse possint. Quid uerò istis equis optabilius esset, quàm fręnis cohiberi, ne uel sibi uel alijs malum darent? Quid item sessori cōmodius, quàm lupatis in os tātæ belluæ iniectis, eam pro suo arbitratu circumagere? Hæc quidem non intelliguntur à brutis: ideo nec optantur. Verùm hominibus qui ratione præditi sunt, nihil dulcius, nihil iucundius esse deberet, q̄ frænis legum suas coercere cupiditates, in gyrumq; rectè gubernantiū suas actiones cōuertere. Vincula hæc fortasse uideri possint: sed talia omnino, quæ nos à temeritate, petulantia, crudelitate, & reliquis uitijs coerceant: afferant autem in prudentiam, modestiam, humanitatem, & uirtutum omnium munera. Nemo Deum existimet libertatis esse expertem, propterea quòd peccare non possit: ita nemo se ideo minus liberum putet, si ei legibus ac pœnarum seueritate adimatur licentia peccandi. Fœdissima enim est illa, & generi humano perniciosissima libertas, cùm quis fręna permittat illegitimis cupiditatibus, rebus alienis insidietur, fraudet, abiuret, rapiat, multa licenter & in capita & in fortunas imbecillium hominum agat: atque his & similibus patratis, iactet genus & possessiones suas: quarum obtentu uel indulgentissimè puniatur, uel omnem pœnam effugiat:

Iura neget sibi nata, nihil non arroget armis.

Quòd si quid in eum ab alijs commissum sit, id quidem seuerissimè uindicandum optet. Quis igitur nō uidet, libertatē istam cum summa hominum imbecillium seruitute esse coniunctam? Atqui & seruitus & libertas immoderata odiosa est: moderatū uerò utrunq;, & ad diuturnitatem ualidum est, & ad hominum existimationem præclarum. Tradunt rerum scriptores, ut Persarum imperium nimia seruitute, ita Atheniensium immodica libertate interijsse. Apud nos plebs seruitute supra modum cōstringitur: Equites nimis magna libertate lasciuiunt. Quid igitur boni sperandum, de hac rerum contrariarum extrema quadam usurpatione? Expendat secum,

cum, quisquis uult, mores istorum, in quorum animis priuilegia & libertatis tituli uires sumpserunt. Multi odio quodam hominum, alij naturali mentis feritate, nonnulli natura quidem boni & moderati, sed malorum consuetudine tanquam contagione infecti, committunt nefanda multa in homines inferiorum ordinum: eorũ uirtuti palàm inuidendo, optimè ab illis facta per calumniã summámque malititiam deformando. Quid de illis dicam, qui libidinosè homicidia perpetrant? ab ea scilicet lege instigati, quæ & iniurias & cædes leuissimè puniendo, superiores faciat diuites pauperibus, equites plebeijs, hoc est, homines canibus: quemadmodum permulti libertatis istius uindices & sentiunt, & loquuntur. Quot igitur equites sunt, tot reges plebeiorum: imò quot potentiores, tot imbecilliorum reges. Nullus enim regum, imò nullus tyrannorum maiorem potestatẽ habere potest, atq; uitæ & necis alicuius: quam potestatem legibus nostris implicitè datã essepotentioribus, alio loco copiosius ostendimus. Nihil igitur perniciosius est Reipub. quàm legum pœnarumq; diuersitas, pro peccantium diuersitate. Vna enim atq; eadem uoce lex omnibus loqui debet: uno atq; eodem imperio omnibus præesse, tum iubendo, tum uetando: una & eadem ratione de commoditatibus, deq; molestijs ac iniurijs omnium sancire ac consulere. Huiusmodi legibus qui seruiunt, uerè liberi putandi sunt: quemadmodum ille, ut diu liber esse posset, legũ seruum se esse optabat. Illa uerò libertas, quæ cum libidine agendi omnia quæ uelis coniuncta sit, uix in ulla barbaria locum habet: tantùm abest, ut digna sit Repub. optimè constituta. Pleræque leges ita sunt compositæ, ut utilitatibus potentum seruiant, imbelles seruitute premant: hos comprehendant & irretiant, ab illis tanquam telæ aranearum perrumpantur. Vt enim omittam legem homicidiariam, quorsum prorogationes illæ, nulla legitima causa, dierum ad iudicem iam dictorum? Quorsum illa de non comprehendendis hominibus, quantumuis facinorosis, quia possessores sint fundorum multorum? Quasi uerò cum talibus agatur de possessionibus bonorum, non de facinoribus quæ commisissent. Hæc & similia, quæ alijs locis à nobis dicentur, an legum nomine digna sint, iu-
3 dicent sapientes. Quod si ijsdem legibus Respub. gubernanda est, ijsdem etiã pœnis delinquentes puniẽdi. Nihil enim minus legibus conuenit, quàm illud discrimen pœnarum, ob idem crimen ab alijs & alijs perpetratũ: cùm quidem, si res ad uiuum resecetur, grauius puniendi essent, qui in altiore dignitatis gradu constituti peccent, quàm qui in inferiore. Plato iubet ciuem suum seuerius ob furtum mulctari, quàm seruum, aut peregrinum: propterea quòd ille in optima Rep. institutus, tantum scelus admiserit: isti fortasse parum bene ad uirtutem eruditi, procliuiores sint adpeccandũ. Quanto magis qui

ita

ita nati, educati, animo & corpore facti uideri uolunt, ut alijs re omni præstent, magis puniendi sunt peccantes, quàm qui inopia laborent rerum omnium & animi & corporis & fortunæ? Quod cōtrà fit ab istis nostris, qui ideo minus in se animaduertēdum putent ob scelus quodlibet, quia sint nobiles. Quasi uerò sua nobilitas concreta esset ex peccandi licentia, importunitate, & impunitate scelerum. Atqui hoc non ueram nobilitatem fuerit ostentare, sed labem quādam, maculam & pestem ciuitatis: ad quam à nostris finibus propellendam, omnibus uerè nobilibus, quātum in unoquoq; uirium sit & facultatum, opera danda esset. Igitur si qua pœnarum diuersitas statuenda sit, grauius puniātur qui altiorem dignitatis gradum tenent, quàm qui inferiorem: seuerius diuites, quàm pauperes: nobiles, q̄ plebeij: qui in magistratu sunt, quàm priuati. Illi enim maioribus & animi & fortunæ dotibus prædíti, plures causas habent à peccando retrahentes: itaq; crimen eorum grauius est. Quod etsi satis est ad pœnam acriorem constituendā: tamen illa quoq; accedit causa, quòd quo quisque maior est qui peccat, hoc & crimen eius conspectius est, & plures imitatores habere solet. Hominum humilium quia uita obscura est, crimina etiam obscuriora sunt, nec adeò proposita alijs ad imitandū. Sic igitur hunc locum concludi posse existimem, ut omnibus in eadem Rep. manentibus, eorundem criminum reis, eædem pœnæ constituantur. Si qua diuersitas ob crimen idem statuenda est, ea certè non ad potentū licentiam amplificandā, sed ad iniurias à tenuibus propulsandas referenda est. Cùm enim officium legum sit, iniurijs obuiam ire: non aliter certè id consequentur, quàm si pauperū uiolatores acrius puniantur, quàm diuitum. Neq; enim potentes sunt adeò opportuni iniurijs, atq; humiles: itaq; etiā quę his inferuntur, seuerius uindicandæ sunt, quàm quæ illis. Illa uerò diuersitas, cùm plebeiorum interfectores decem marcis numorum, nobilium uel centum marcis uel morte mulctantur, à tyrannide excogitata est, non à prudente legislatore. itaq; ex optima Repub. eijcienda est, & ex omni memoria hominum exterminanda. Video & illam dissimilitudinem multis probari, cùm in alios, quorum licentia non facilè coerceretur, sęuiores pœnę constituuntur: in alios mitiores, qui leui momento in officio possint contineri. Equidem tales diuersitates tam moribus quàm legibus populorum comprobantur. Res etiam ipsa testatur, homines à fortuna euectos, & in aliquo dignitatis gradu locatos, magis moueri, si quid de sua existimatione detractum iri existimēt, quàm infimos & sordidos: qui nisi mortem, uel carcerem, uel aliud graue malum impendere sibi scirent, in omne genus sceleris ruerēt. Cæterùm illam uarietatem, quam summa licentia consequuta est, qua multi feruntur ad peccandum præcipites, qualem nimirum in lege homicidiaria

diaria comprehendi constat, quis sanus non improbet? Quis sanus item non probet, si quod fortuna hominibus detraxit, id leges sarciant, uiolatiç pauperis iniuriam grauius uindicent quàm diuitis: magistratum delinquentem magis puniant quàm priuatum, nobilem flagitiosum quàm plebeium? Placet & illud, ut qui in magistratum peccet, maiore supplicio afficiatur, quàm qui in priuatum.

CAPUT IIII.


Cautiones aliae legum.



IIS causis diuersitatis pœnarum exceptis, nescio an sit alia admittenda. Debent autem leges quemque in officio continere: facultatem nocendi praecidere: audaciam improborum coercere: innocentiam cuiusç tutam omni ex parte reddere: quieti & dignitati bonorum uirorum maximè cōsulere: lites, discordias, & cōtrouersias, quoad eius fieri possit, tollere: statum Reip. tranquillum stabilire ac tueri.

CAPUT V.

Uarietas & distinctio legum.



SEQVITVR, ut deinceps de legum uarietate disseramus. Neque est quòd aliquis expectet à me, tanquam legislatore, legum exactam descriptionē. nō est hoc facultatis meae: & indiget temporis ac diligentiae maioris. Satis mihi functus uidebor officio, si quasi indices legū quarundam proposuero, aut etiam leges nonnullas attigero. Optandū aūt esset, ut qui ingenio, doctrina & experientia ualent, ad rem tantā animū adijcerent: qua quidē optimus Reipublicę status maximè cōtinetur. Leges igitur aliae ex natura ortae sunt: aliae moribus ac populorū institutis comprobatae: quaedam etiam diuinae. De diuinis nunc loqui omittamus. Quae ex natura ortae sunt, eae à philosophis diligenter sunt explicatae, qui de uirtutib. & officijs scripserunt. Ad has uerò utrasque leges & naturę & diuinas, instituta populorū si probanda sint, accedere oportet. Quo enim longius ab eis discrepabunt, tanquam à suis fontibus, hoc minus nomine legum digna putabuntur.

CAPUT VI.

Leges de Magistratibus.

1 

PRIMVM igitur leges sanciantur de magistratibus mandandis, quibus, & quarum rerum ergò mandandi sunt. Virtutis & doctrinae rationem in primis haberi oportet: & ad quas quisç res aptus est. Qui peritiam habent rei militaris, Palatinorum munere honestentur: sunt enim illi, moribus nostris, duces in bello, sui quisque municipij. Qui iuris dicundi facultate praediti

præditi sunt, sint iudices. In municipiorum & arcium præfectos eligantur, qui paci domesticæ, iusticiæque inter homines conseruandæ, operam nauare possint. Qui ualent sententia dicenda, in Senatum cooptentur. Omnino mores eius qui deligendus sit, inspici oportet: an priuatus sciebat parêre, an iudicatum faciebat, an obseruabat magistratum. Qui his uirtutibus destituitur, non est spes ut bene imperare possit. Qui enim bene imperaturus est, is bene aliquando paruerit necesse est. Qui uel per se uel per alios petût, à magistratu excludantur: non enim Reip. sed sua causa ambire uidetur. 2
Optimè Hadrianus imperator, petenti uiro prætorio ut sibi de iure liceret respõdere, rescripsit, Hoc non peti, sed concedi solere: significans, multa esse quę honestè concedantur, non tamen honestè petantur. Nam illud de uno dictũ, de alijs intelligendũ est. Quod si improbè ambientibus, magistratus negandi, quanto magis ementibus? 3 Neque enim fieri potest, ut qui negotiatione aliquid consequuti sint, non uelint in eo facere quæstum. Sunt qui principi nihil numerent, sed tamen numerant petitoribus magistratus adipiscendi causa. Sed hi quoque eodem in uitio esse putandi sunt. Ferè enim in quo quis fecit damnum, in eo quærit lucrum. Omnino autem honorum contentio omnis legibus coercenda est. uidemus enim quàm instar sæui tyranni uexet & torqueat eum, in cuius animo inualuit: quàm eum impellat ad agenda & patienda multa inepta, sordida, seruilia, ut ad id aliquando, quod cupit, perueniat. Pulcherrimum certamen inter ciues fuerit, de uirtute ac industria: ut qui genere clari sint, omni studio cõtendãt, ne ab infimis, luce uirtutis & honestarum actionum obscurentur: qui uerò nullo maiorum splendore commendentur, uirtute propria cõnitantur se illustres reddere: de omnibusque mereri studeãt tum priuatim, tum publicè. Ergò ambitio legibus prohibenda est: & uirtuti perspectæ, industriæ, factisque præclaris honores deferendi. qua de re plura à nobis primo libro dicta sunt. Necessarium est & illud, ut nemo 4
in magistratum alicuius municipij eligatur, nisi qui illic habeat fixũ domicilium, & possessiones bene fundatas: ne si alibi manendum sit ei, alibi officio satisfaciendum, negligentior sit in suo munere. Hoc non tantùm de magistratibus ius dicẽtibus, sed omnibus præfectis qui imperandi habeant potestatem, intelligendum est. Apud nos multi regis benignitate aucti sunt beneficijs summis, in ijs quidem municipijs quorum ciues non sunt. Hi etsi tolerandi sunt in suo munere: tamen præfectos habere deberent ciues illorum municipiorum, quorũ sunt beneficiarij. Quos enim ex remotioribus municipijs accersunt, solent esse nimium rapaces: utpote qui non inter suos imperent, sed & de migrando in sua cogitent, nec quicquam pensi habeant quam de se existimationẽ relinquant, apud eos

ff. de origine iuris. L. necessarium. §. primus diuus Augustus.

quos nulla necessitudine deuinctos teneant. Quod cùm aliæ prouinciæ, tum ea Prussia quam dux Prussiæ nunc gubernat, olim experta est: cùm illic societas Marianorum rerum potiretur. Mittebantur enim ex media Germania comites imperij: qui inter homines non suos, durissimum imperium exercebant. Fraus est legis, si quis iugera aliquot agri, uel possessiunculam aliquam emat in municipio aliquo, magistratus illic adipiscendi causa. Itaq; curandum est, ut nemo in magistratu municipij sit, nisi qui magnam possessionum partem illic habeat: atq; ibi frequentius maneat, nec à municipio suo diu abesse possit: nisi fortè aliquod municipium præfectũ idoneum ob inopiam ciuem suum habere nequit, ut aliunde sit accersendus. Verumtamen non est improbandus mos Hispanicus, quẽ certis in municipijs patriæ suę seruari, narrauit Petrus Roysius Maureus, uir clarissimus, & ob singularem doctrinam ac iuris prudentiam inter eos qui causas iudiciarias cognoscunt, à rege relatus. Mos inquã ille, ut nemo in eo municipio iudicet, ex quo ortus est. Cùm enim sanguinis communio, necessitudines, amicitiæ, inimicitiæ, uel inter uiuos contractæ, uel à maioribus quasi per manus acceptæ, multorum hominum mentes à recto aberrare faciant: citius iudex inter eos ius rectę dicet, inter quos amicitias uel inimicitias habeat nullas. Itaq; non immeritò oratores tetrarchiæ Mazouiæ nobilissimæ quodam in cõuentu postularunt, ut suarum causarum cognitio non indigenis ac domesticis permitteretur, sed extranei iudices & alienigenæ eos iudicarent. Hic mos si reciperetur, tempus quoq;, quãdiu aliquis iudicis officio fungi deberet, præscribendũ esset: ut officio defunctus, ad sua redire posset. Illud quoq; legibus Romanis cauetur, ut eiusmodi iudices post depositã administrationem quinquaginta dies resideant: ut interea fiat legitima cognitio, num quem iniustè condemnarunt: ac pro modo delicti puniantur, ablata etiam nequiter in quadruplum per eos restituantur: ut duplum spoliatus accipiat, duplum thesauro Reipublicæ addicatur.

C. de assessoribus. L. consiliarios.

5 Sufficit uni unus magistratus: aut si plures, certè nõ discrepãtes. Quomodo enim aliquis unus potest esse prefectus plurium municipiorum, cum duobus in locis simul esse non possit? interest autẽ uniuscuiusque prouinciæ, ut suum semper sibi habeat præfectum.

6 Sed ante omnia regis electio præscribatur: quis eligendus, à quibus, quibus rationibus. In lege diuina sic scriptum est: Si statueritis uobis creare regem, more aliarum uobis finitimarum gentium, eum creatote quem Deus uobis elegerit, uidelicet de uestra consanguinitate: neq; uobis licebit, hominem uobis pręficere extraneum, & alienigenam. In his uerbis considerare licet, Deum, qui aliorum magistratuum electionem populo commiserit, sibi soli regis electionem reseruasse. Facilè enim migrat regia potestas in tyrannidem

Deut. 17.

dem, nisi uiro perfectæ uirtutis cōmittatur. Itaque Deus populum illum prius à ducibus & iudicibus gubernari uoluit. Pòst uerò regem illis improbè petentibus, non sine indignatione concessit, inquiens ad Samuelem, eorum causam agentem: Obtempera populo postulanti: non enim te, sed me abijciunt, ne sint sub regno meo. 1.Reg.8. « «
Etsi enim regia potestas maximè in terris diuinam potestatem repræsentat: tamen quia illa plena & suprema est, facilè ob impunitatem ad insolentiam imperij delabi solet. Itaque improbitate petitorum extortam à se significare uidetur Deus, potius quàm iusta ratione impetratam. Præcepit etiam, ut ea ad neminem nisi se consulto deferretur. Simul addidit, ne alicui alienigenæ mādaretur: quòd eiusmodi homines non eo modo erga nationes alias solent esse affecti, quo in suas. Itaque prudenter apud Gallos, & quasdam nationes alias, aliquot familiæ uetustissimæ selectæ sunt, ad quas regius honor, stirpe regia deficiente, deferretur. Sic enim & extraneis pręripitur ansa àmbiendi imperia nationū diuersarum: & domesticis metæ quædam constituuntur, intra quas se contineant regibus eligendis. Non incommodū autem fuerit, eas in eligendo rationes usurpare, quæ à nobis in Episcoporum electionibus præscribuntur. Iam ut causas tyrannidis Deus præcideret, facultates regum non uult esse immoderatas, sic inquiens: Rex ne multos equos, ne multas uxores, ne'ue argenti aurique multum habeto. Cumque sine ope diuina singulari, nemo hac potestate rectè fungi posit, iubet ut rex semper legem Dei ob oculos habeat, de ea noctes diesque cogitans, ut ne contra suos populos animo insolescat, ne'ue de disciplina ad dexteram aut sinistram deflectat. Igitur de ratione eligendi regis, legibus pręscribatur: & quod eius officium, de uxore item eius, & de dote, quibus in fundis sit collocāda: & de filiorum eius educatione, diligenter præcipiendum, qui scilicet patris hæreditatem olim cernere uelint. Væ terræ, ut ait diuinus uates, cuius rex puer est. Nihil autem refert, ætate sit puer, an moribus. Ergo legibus sanciatur, de regum filijs educandis: & nutrices, & magistri, & studiorum socij, & collusores, publico Senatus consilio eis addantur. hominum lasciuorum, scurrarum, ebriosorum, adulatorum turba procul ab eis pellatur: ne tanquam fontem publicum (ut inquit ille) unde omnes bibere cogantur, inficiant ueneno suo principis tenerum animum, unde tandem infinita hominum multitudo inficiatur. Describantur etiam legibus officia singulorum magistratuum, quid illis agendum, quatenus, quomodo. Et actio gesti magistratus quotannis publicè illis intendenda: & pœnæ seuerissimæ, si quid in officio deliquissent, constituendæ. Et hic legem pecuniarum repetundarum comprehendo. Et hæc quidem de ijs qui sint cum potestate.

CAPUT VII.

Leges de personarum priuatarum discrimine.


OST hæc de priuatis personis agendum, ac earum uarietate: quę sui, quę alieni sint iuris. quod sit ius eiusmodi: & quomodo uel acquiratur, uel soluatur. Et hîc de potestate patria, & herili: quam uel pater in filium habeat, uel dominus tum in seruum, tum in colonū, tum in quemuis hominem sibi subiectū: de ea item, quam maritus in uxorē. Itaq; & de nuptijs leges ponendæ, & de diuortijs, & de manumissionibus, & de patria potestate soluenda. Post hæc, de pupillis, atq; adeò tutoribus & curatoribus. Ad hæc, etiam de discrimine plebeiorum & nobilium: idq; tum eorum quibus est nobilitas natiua, tum quibus donata. Qui uirtute clari sunt, ac magnis in Rempublicā meritis illustres, ij quāuis ignobilibus orti sint parentibus, pro nobilibus habendi sunt. Res enim ipsa, uel hominibus inuitis, nobilitat eos. Contra rerum uerò naturam pugnare, hominum est stolidorum & malorū: de quo aliàs nobis latius disseretur. Confusio illa nobilium cum militibus, nescio an sit improbanda. Profectò milites non nascuntur, etiam si nobiles nascantur. Et quemadmodum aliud est esse in uiris doctis, aliud in filijs doctorum: ita aliud est esse militem, quàm filium militis. Militaris honor partim meritis acquiritur in Remp. partim certis ceremonijs: quorum uerba solemnia memorātur Lepssyrycerz niz Panossá. quibus significatur, potiorem conditionem esse militis quàm ingenui. Tales honores à regibus conceduntur etiam ijs qui nobiles nati sint: non est igitur idem, nasci nobilem, & esse militaris ordinis. Multa legibus conceduntur militi, quæ negantur alijs hominibus. Itaq; discrimen constituendum est militum & nobilium: nec uulgo nobiliū, titulus militis tribuendus, quem nunquā meriti sint.

CAPUT VIII.

Leges de dominio, & de rerum discrimine.


EQVITVR iam tractatio illa de dominio, ac de rerum discrimine. Varij autem recēsentur modi dominij acquirendi, partim gentium, partim ciuili iure introducti & recepti. deinde alij quibus bonorum uniuersitas, alij quibus res singulæ acquiruntur. In priorib. numeratur aditio hæreditatis seu testamento, seu ab intestato nobis relictæ: ex posterioribus sunt, usucapio, præscriptio, legatum, & fideicommissum. Hîc etiam & de directo, & de utili dominio agitur: illud habent domini fundi, seu feudi: hoc clientes, & uasalli. item de quasi dominio, & de iure in re: quę affinia dominij censentur. Hęc & alia huc pertinentia, copiosissimè à iurisperitis pertractantur.

CAPUT IX.

Leges de contractibus, & obligationibus.


POSTEA sequantur leges de contractibus, ex quibus obligationes nascuntur: quæ quidem pars latißimè patet. Vix est enim aliqua hominum inter ipsos actio, quæ non emptione, uenditione, permutatione, donatione, conductione, locatione, stipulatione, fideiußione, mutuo, commodato, deposito, pignore, & id genus alijs contineatur.

CAPUT X.

Leges de iniurijs quæ uerbis fiunt, aut re. 1. Curandum ut humiles homines sint quàm minimè opportuni iniurijs: utq́ cuilibet potestas sit accusandi eos, qui iniuria aliquem affecissent. 2. Leges scribendæ in conuiciatores & percussores. 3. item in uiolentos, in adulteros, in fures. 4. item in homicidas. 5. item in reos maiestatis. 6. item in fœneratores, ambitiosos.


IAM de iniurijs constituendum est, de ijs quæ tum uerbis tum re fiunt: omnes quidem pro natura uel peccati uel peccantium, damnis, ignominijs, uinculis, uerberibus, exilijs, seruitute aut morte uindicãdæ sunt. Ac illud diligenter curandum, ut homines humiliores sint quamminimè iniurijs opportuni. 1
Multi & nobilium & diuitum præcipites feruntur ad iniurias, plebeijs inopibusq́ inferendas. illi si pecunia multentur, nihilo fiũt meliores: ideo uel carcere dierum plurium coercendi sunt, uel alicuius ignominiæ nota afficiẽdi. Nemo existimet ullum, quantumuis tenuem hominem, talem esse, ut iniuriam inultam impunitamq́ non iniquißimo animo ferat. Quod etsi in præsens necessitate celare cogatur: tamen uerendum, ne odium inueteratum temporibus ad perniciem Reipub. erumpat: præsertim cùm omnis hæc natio tenuium, contemptu sui ac impunitate, uideat se iniurijs expositam esse. Quocirca consulendum est, ne impunitate iniuriarum odium & furor tenuium alatur & inueterascat: atque etiam, ut quo quisque ditior ac maior dignitate existit, hoc acerbioribus, aut certè iustis & debitis pœnis ab iniurijs deterreatur. Solon Salaminius rogatus, qua nam ratione effici posset ut quamminimũ iniuriarum inter homines existeret: Si, inquit, qui iniuriam paßi non sunt, perinde doleant, atq; hi qui paßi sunt. Salubre prorsus responsum, & prudente legislatore dignum. Cùm enim natura ita comparatum sit, ut nemo hominum in solitudine uiuere poßit, ne si copijs quidẽ rerum omnium afflueret: fit, ut in societate hac ciuili, communicationeq́ sermonum, consiliorum ac operum, tanquam membra in corpore uno Reipub. omnes libentißimè acquiescamus. Quis igitur non existimet, cùm membrum corporis huius læsum fuerit, se

quoq; læsum iri? quis uiolato uno ciue, non uidet leges uiolatas esse quæ toti seruiant Reipublicæ? Sic igitur Solon homines ab iniurijs arcendos putabat, ut omnibus faceret, quibus uoluntas & facultas foret, potestatē eum accusandi, & iniuriam iudicio persequendi. Assuefaciebat nimirum omnes in eadem Repub. manentes, rebus quidem bonis ciuis sui lætari, malis autem angi & laborare. At nunc, dum aliquo uiolato omnes animo sunt ocioso, nonnulli etiā aliena calamitate gaudent, impunitas nimia multos reddit deteriores, & ad iniurias audaciores. Omnium autem maximè decet nos, qui cœlesti doctrina imbuti sumus, præceptum magistri nostri mēte uolutare: quo iubemur, ut ne faciamus alijs quod nobis fieri nolumus. Tales nos igitur aduersus alios præstemus, quales illos erga nos fieri uelimus. Si iniuriam ab alio ferre molestum tibi est, & qui fecit scelestus tibi uidetur: idē de te quoq; iudices, te, si forte in aliū iniuriosus esse pergas, & sceleratum esse, & dignum qui pœnam sce
2 leris soluas. Hoc præceptum si altius insederit animis nostris, ab iniurijs nos deterrere poterit. Conuicia, quibus ordo aliquis totus proscindatur, grauiora sunt, quàm quæ fiunt homini priuato: quæ si literis cōsignentur, instar famosi libelli habenda sunt. ut eorum, qui nuper stylo non tam atramento quàm ueneno tincto, publicè scripserūt, plebeium sanguinem nunquam amicum esse nobilitati. Et hoc igitur legibus prohibeatur, & de alijs conuiciorum generibus, de maledictis, pulsationibus, mutilationibus, & omni turpitu-
3 dine qua uita cuiusquam uioletur, leges scribātur. Omnis uis iniusta seu rebus seu personis illata, nescio an alia pœna iustius, atque capitali uindicetur. Adulteria, furta, periuria, talia sunt crimina, quæ nemo non putet acerrimis pœnis esse uindicanda. Sed tamen furtorum pœna usitata moderanda uidetur, ne minimarum etiam rerum fures uita priuentur. Lege quidem Romanorum ueteri fures manifesti quadruplo, non manifesti duplo: diuina uerò, pro rerum furto ablatarum uarietate alij quintuplo, alij quadruplo, alij duplo puniebantur. Qui soluendo non erant, uel seruitijs eius cui res sustulissent, addicebātur: uel ijs uendebantur, qui ex huiusmodi mercibus facerent quæstum. At dices, rem hanc crudelitatis plenam fuisse, hominibus uendendis mercaturam exercere. Verum quidem: sed et hoc nihilo est mitius, uitā homini pro rebus fortuitis eripere. Atqui lege diuina disertè edicitur, Si fur non habet unde reddat, ipse uenūdetur. His enim modis damnū resarciebatur, seu dupli restitutione, seu addictione, aut uenditione furis. Hodie nec ad eū cui res ablata est, quicquā redit: & fures sunt nihilo rariores. Interea & Resp. cōmodis priuatur, quę ex damnatis prouenire possent, uel in bellis, uel in laboribus domesticis: et ipsi fures nihilo meliores, in furcam mox tolluntur; fortè emendatiores futuri, si uita

Instit. de obli. quæ ex del. nascuntur.

Exod. 22.

eis

tis qualiſcũq; proferretur. Nunc quidem uniuerſa Chriſtianorum
Reſpub. fures ſuſpendio punit: quam pœnam à Friderico Tertio
imperatore Romano primùm excogitatam accepimus. eandem, à
maioribus noſtris in hac Repub. uſurpatam. Mirum uerò, qui e-
molumẽto illo uel ex ſolutione, uel ex furis addictione neglecto, in
capitalem pœnam conſenſerunt: eoſdem pœna eadem in homici-
dis reiecta, ad quæſtum ex cædibus amicorũ faciendũ, animum in-
ducere potuiſſe. Quaſi pluris faciendas putauerint res fortuitas, ui-
tis hominum: plusq; eis perditum fuerit rerum ablatione, q̃ amico-
rum interfectione. Nos uerò pœnã capitalem homicidio conue- 4
nientiſsimã eſſe, eandemq; cum diuinis, humanis, & naturę legibus
maximè cõgruere, Orationibus editis quatuor demõſtrauimus: ac
etiam in illis oſtendimus pœnarum uarietatem, pro cauſis uarijs
homicidiorum. Qui hominem occidit, aut id fecit conſultò & co-
gitatò: ut qui hoc ſcelus meditatum quaſi domo extulit, atq; ob id
uel uiam eius quem occidere conſtituit impediuit, uel occaſiones ca
ptauit omnes occidendi. aut non conſultò, ſed repentino aliquo
motu: ut accidit in rixis & colloquijs mutuis, inter eos natis, quo-
rum neuter alterum prius odiſſet. Tertium genus eſt, quod commit
titur ab aliquo defendendi ſui cauſa: ut cùm quis ab inſequente in
eas loci anguſtias adducatur, unde incolumis euadere non poſsit,
niſi occiſo perſequutore: huiuſmodi homicidium neceſſarium eſſe
uidetur. Quartum genus homicidij eſt fortuitum, quod repentino
aliquo caſu & quaſi temerè accidit: præter uoluntatem omnem &
cogitationem eius, à quo patratum eſt. Primum homicidium uoce-
mus deliberatum & cogitatum, alterum repentinum, tertium ne-
ceſſarium, quartum imprudens & fortuitum. Priora duo capitalia
ſunt, poſteriora minimè: nullum uerò horum pecunia uindicatum
eſt. de quo, quoniam teſtimonia multa in Orationibus copioſè ex-
poſuimus, ideo ſatis ſit in præſentia quædam attigiſſe ex oraculis
diuinis, quæ ſic ad uerbum habent. Num. 35. Ne ab eo qui reus
eſt ſanguinis, precium accipitote: ſed ſtatim morte plectitor. Ge-
neſis 9. Qui hominis ſanguinem effuderit, ipſius quoque ſanguis
funditor. Quod à Chriſto ſic dictum eſt: Omnes qui gladio utũtur,
gladio peribunt: Matthæi 26. Exodi 21. Qui hominem ita per-
cuſſerit ut moriatur, capite plectitor. Ei autem qui non tetendit inſi-
dias, ſed Deus illum deſtinauit in manus eius, ſtatuam locũ in quem
confugiat. Et hoc quidem homicidium fortuitò & ſine conſilio pa-
tratum, fuſius deſcribitur Deut. 19. his uerbis: Qui proximũ per im
prudentiam percuſſerit, quem antea non oderit: ut ſi quis in ſyluam
lignatum profectus: manum ad ſuccidendum arborem admouerit,
ferrumq; è capulo elapſum in proximum inciderit, atq; eum feriens
necauerit, is ad aliquod oppidorum ad id delectorum confugito,

» & uitæ suæ consulito: ne fortè uindex sanguinis, dum feruet animo,
» insequens homicidam, si uia sit longior, eum comprehendat, & ui-
» ta priuet: qui tamen mortem non commeruerit, eo quòd non est o-
» dio prosequutus hominem qui occisus est. proinde certa oppida
» perfugij deliguntor, & separantor. De eo porrò qui aliquem de-
fendendi sui causa occidat, non est explicatè (quod sciam) in Biblijs
sacris: sed lex est naturæ inscripta, & in Lascio copiose exposita,
» Vim ui repelli licere. Qui uerò (pergit summus legislator edicere,
» Exodi 21.) de industria occiderit proximum suum, is uel ab ara mea
» ad necem auellitor. Ergo seu quis telo ligneo, ferreóue, seu saxo ma
nuario, seu manu proximum hostiliter pulsauerit, ita ut ille moria-
tur, pulsator homicida esto, morte plectitor: nullus ei portus, nul-
lumq; perfugium esto in ijs urbibus quæ asyli iure ijs tantum con-
cessæ sunt, qui proximum imprudenter trucidassent. Hæc enim in
libris Numerorum luculenter descripta, sunt capite 35. Quod ca-
» put Deus conclusit ferè his uerbis: Ne precium recipitote, nec ob
» uitam, ab homicida, qui crimen capitale admisisset: nec ob domum
» reditionem, ante mortem summi pontificis, ab eo qui in asyli sui op-
» pidum confugisset. Ne terram polluitote, quam incolitis. Sangui
» nis enim effusione maculatur terra: nec potest à sanguine in ea fuso
» expiari, nisi per sanguinē eius qui fudit. Ne ergo contaminatote ter-
» ram, in qua habitatis, in cuius medio & ego habito. Ego enim Do-
» minus, qui habito in medio uestrûm, ó filij Israelis. Vsq; eò autem,
Deut. 21. id quod dixit sanguine sanguinem expiandum, ratum & firmum
esse uoluit Deus, ut etiam si cędis patrator ignoraretur, uitulæ occi
sionem ciuitati, quę proxima esset loco ubi cadauer repertū esset, ad
Deū propitiandū imperauerit. Multa alia testimonia sunt in scri-
pturis, de pœnis homicidarū. Ac omnium quidem pœnarum ratio
debet esse illa, ut improborū audaciam ac nocendi facultatem repri
mant, & à peccando deterreant. Cùm igitur parū grande, parumq;
uitandum scelus putetur, quod redimi pecunia possit: certè lex ho-
micidiū pecunia redimi iubens, nō lex, sed Reip. labes, ac naturæ hu
manę pernicies putāda est. Quis enim fando satis exprimere queat,
quot calamitates eam consequutæ sunt? quæ hæresim tristissimā in
hanc Rempub. inuexerit: quæ rabiem improborum semper arma-
uerit: quæ quietos & innocentes periculis exposuerit: quæ uulgi
nobilium audaciam confirmauerit: quæ seruitutem acerbissimam
plebi imposuerit: quæ seminarium perfidiæ, discordiæ, seditionis,
ff. de iusticia et iure. L. omnes. belli intestini in se semper continuerit. L. Neracius (ut narrat Ma-
rius Salamonius, iurisperitus nobilis) cū ferre nō posset, lege XII
tabularum iniurias XXV æris pœna uindicari, seruum cum sacculo
assium sequi se iussit, ipse obuios cædebat: & mox singulis singulos
XXV asses pendi iubebat. Inde admoniti Prætores, de æstimandis
iniurijs

iniurijs edicta posuerunt. Imitantur permulti locupletes nostrates Neratium infamanda lege Polonica: qui quot centena marcarum numerare posint, tot uiros nobiles: quot dena, tot plebeios interficere ausint: nec quicquam plerisque usitatius est, quàm ut de cęde eius quem odio persequantur, consilia ineant. Et tamē nulli ad hūc diem Prætores, nulli Tribuni, nulli Senatores apud nos uisi sunt, qui seriò ad mulctam homicidio dignam animum adijcerent. Profectò pecuniosus homo nullam pertimescit culpam, quam numis redimere posit. Odium uerò exaturare suum, an nō dulcius est improbo homini, quàm magnam pecuniæ uim perdere? Sed rhetorissant quidam, pœnæ Polonicæ seueritatem exaggerando: si quidem in carcerem annuū homicidæ cōijcerentur. Putas'ne tu Deum pœnas ulli sceleri irrogare uoluisse æquiores, atq; homicidio? Non tantùm hominis innocentis cædem capite sanxit, sed & nocentissimi: id'que usque eò, ut de Caimo fratricida, summa animi anxietate presso, omniaq; ob cædem à se commissam metuenti, ita edixerit: Si « quis Caimū occiderit, septuplo punitor. Quæ uerò hæc est pœna « septuli? an aliqua alia quàm capitalis? Atqui lex illa æterna est humano generi diuinitùs data, caput capite uindicans. Quæ igitur est hæc pœna, nisi capitalis septemplex? ut si Caimi interfector septies interfici posset, septies interficeretur. Quòd si grauior excogitari posset pœna, quàm sit capitalis, utpote numi Polonici cum carcere annuo cōiuncti, certè Deus eam proposuisset. Sed ita res est: præsentis mortis cogitatio, animos quantumuis feroces à facinoribus abstrahit: mortis securitas, cum spe elabendi ex pœnis alijs seu carcerum seu nummorum, malos animos irritat ad maleficia. Quot homines interfecti sunt memoria nostra, domi & foris, in urbe & in agro, in profanis & sacris locis? Quis autem, quæso te, erat homicidarum, qui non euolarit ex uinculis istius carceris annui? Sed fac in tot centenis fuisse aliquem unum, qui sordes annui carceris pertulisset, quo tandem mortis genere ille perijt? Num istius pœnæ Polonicæ iusta exolutione, liber fuit à pœna homicidis diuinitùs constituta? Ita quidem uidetur: siquidem carceres isti grauiores sunt capitali. Quòd si & ipse interfectus, an non quasi cœlesti signo orbi Sarmatico declaratur, carceres istos minimè pares esse delicto homicidæ? An igitur non æquius erat, magistratum de isto (quem in tot centenis diximus unū) pœnā sumere legi diuinę congruentem, q̄ ut ueniret in manum interfectoris: quę & ipsum similia manere fata, Deus ipse edixit? Ne simus igitur prudētiores Deo illo, qui qua prudentia res condidit, eadem illas uult conseruatas. Age nunc, sit iste carcer annuus grauior pœna capitali, cæde hominis nobilis uindicanda: quid autem cæde plebeij fiet? Hæc enim tantùm pecunia uindicatur, & quidem longè minore q̄ cædes nobilis:

bilis:ut etiã si qua appareat æquitas in cæde huius, in illius maxima
est iniquitas. Ita & numorum imparitate,& carceris omissione, di-
uersitas est summa cædibus hominũ æstimandis. Deus quidem ip-
se, pœna capitali homicidis asscribenda, simul addidit causam, in-
» quiens: Quoniam ad Dei imaginem factus homo est: ideo qui ho-
» minis sanguinem effuderit, eius quoq; sanguinẽ effundi necesse est.
Quid igitur, an homines plebeij non ad Dei imaginem cõditi sunt,
quorum cædes minoris penduntur? Satis sit plebeijs,quamuis uir-
tute & bonis artibus prçstantibus,omnem potestatem summorum
Reip.honorum ademptam esse:hancq; quasi capitis diminutionem
quandam eos pati, ne addatur eis extrema hæc & omnium acerbis-
sima calamitas,ut eorum cædes tantula mercede redimantur.Profe
ctò Resp.solis nobilibus florere non potest. Quis enim suppedita-
bit alimenta & nobis, & multis pecoribus, si nulli agricolæ erunt?
quis amictum & ornatũ,si nulli opifices?quis res necessarias impor
tabit, si nulli mercatores? Quis deniq; erit nobilis, si nulli plebeij e-
runt? Quæ igitur, malùm, crudelitas est, ut, quorum opera carere
nullo modo possumus, eorum uitas tantuli faciamus? Sed suprà e-
tiam improbauimus pœnarum pro eodem scelere à diuersis perpe-
trato diuersitatem. Non minus & illud improbandũ,homicidam
quidem interuallo horarum XXIIII, à patrato homicidio compre
hensum morte mulctari debere: lapso illo interuallo, non debere.
Quid enim? magis tum sumenda supplicia sunt de facinorosis,cùm
animus est recenti iniuria incitatus, quàm cum est sedatus? Plato
quidem,& cum eo maximi philosophorum, id iustè fieri posse per-
negant:itaq; ne hero quidem stomachanti in seruum delinquẽtem,
animaduertendum putant.Quid quòd Theodosius imperator Ro
manus, impulsu Ambrosij episcopi Mediolani edixit, ut supplicia
in facinorosos per dies triginta extraherentur? Etenim cùm Theo-
dosius Thessalonicensib.iratus,plures q̃ çquũ esset necari iussisset,
non potuit id nõ grauiter ferre Ambrosius,uir diuinus:ac Theodo
sium rebus sacris, tẽpliq; ingressu instituit arcere:nec prius eum in
ecclesiam & ritus diuinos admisit, q̃ ille pœnitentiæ signa publicè
edidisset:omnia homicidis præscripta explesset: legẽq; etiã tulisset,
ne quis deinceps mandato principis de puniẽdis sceleratis obtẽpe-
raret, nisi lapso triginta dierũ interuallo. Consideret mihi quisq;
uultum & gestum iratorũ. Ore sunt tumenti,facie torua, oculis ful-
gurantibus, lingua titubante, uerbis perplexis & furentibus: quic-
quid in manum sumunt,uertunt in telum. Facilè quidem hæc signa
monstrãt, quomodo animus sit affectus hominũ iratorum. Nullus
apud eos locus est prudentiæ, nullus consilio, nullus rationi. Fecit
igitur Ambrosius,homo doctus & experiẽs,ut cõmotioni prçsenti
indulgendũ minimè censeret: tempusq; aliud expectandũ sumendi
suppli-

supplicij, cùm tempestates illę animi sedarentur, feruores sanguinis extinguerētur, locusq́ esset rationi, prudentię, bonis consilijs: quēadmodum ab Aristotele præclarè dictum est, animum quiescentē, omnibusq́ perturbationibus uacuū fieri prudētem. Contrà quid illæ XXIIII horæ efficiunt, quàm furorem incitant ad ulciscendi auiditatem, tumoremq́ mētis plus satis elatum celeritate cumulāt? Optandum esse ait Cicero, ut qui præsunt Reipub. legum similes sint: quæ ad puniendum non iracundia, sed ęquitate ducuntur. At istæ horæ non uolunt nos æquitatis ministros esse, sed furoris: non rationis ac prudentiæ, sed doloris, impotentiæ, ac insaniæ. Neq; desunt, qui tantā uesaniam ornent uirtutis nomine: fortes eos appellantes, ac magnanimos, qui suam uel amicorum iniuriam mox ulcum eant. quod à nobis primo libro, uanitatis plenum esse, ostēsum est. Quid autem illud, quod de tempore 24 horas subsequente additur? non iam tum impune fore, si quis homicidam cōprehensum occidisset. Scilicet omnia aptè cohærent. Tempus aduenit, quo homicidium, quod interuallo solennium horarum erat capitale, iam non sit capitale. Quid ita? Quia rabies, ira accensorum, nonnihil resedit. Rationi iam locus est aliquis: adsunt monitores, qui nos ad lenitatem excitent. Fiat igitur iam ex capitali crimine, non capitale: sed nobis utile, & fructuosum. O præposterum iudicium, quantam habes licentiam in hominibus, qui diuinis & populorum legibus contemptis, tantum sibi tribuant, ut immodica sui cura ad tot absurda delabi non uereantur. Quæ quidē absurda & indigna sunt longiore cōfutatione, & ab omnibus liquidò perspiciuntur. Verè illud dicitur, ueritatem simplicem esse debere. Cumq́ in lege, qua de agimus, tot diuersitates comprehensæ sint, & personarum pro uno scelere eodem modo à diuersis perpetrato non idem soluentiū, & horarum ac temporum ad cōprehendendum homicidam constitutorum: quid aliud de conditoribus huius legis cogitari potest, quàm nec ueritatem illos sequutos esse, & temporibus quasi talorū iactu, hoc est casu, nō certa ratione ad tot absurditates excogitādas gubernatos? Deserta enim ratione, lege diuina & naturæ contēpta, quid aliud restat, q̄ ut nos casibus & temeritati regendos demus, & gubernādos? Addunt & illud, eum qui nulla cędis denunciatione præmissa hominē sine causa occidisset, infamē fieri: qui uerò cædem prius denunciasset, eum infamiam uitare. Quid igitur? an denunciatio illa crimen extenuat? an non pleraq; uerba insignem alicuius nequitiam testantia perinde plectuntur, atq; si crimen ipsum admissum esset? Qui ignem alicuius ædibus denunciat, cōprehensus & conuictus, mox capite plectitur, uel si ædes illas nunquam exussisset. Cur nō eodem modo punitur, interminās alicui mortem, etiam si illum non occidat? Nihil est in hac lege homicidiaria adeò

cautum, quod non cum ratione pugnet, cum lege diuina & populorum. Sed hæc omnia canuntur surdis auribus: nihil moramur tot accusationes: uiuimus in magna securitate: nihil nos tangit afflictio plebis, in quam hæc potissimum lex posita est: nihil mouet sanguis hominum iniquè occisorum, qui clamat semper in cœlum, ac gemitibus inenarrabilibus uindictam flagitat cùm de homicidis, tum de ijs qui istam legem tuentur gladium homicidis pro pecunia porrigentem. Quo magis metuenda est subita aliqua uis cœlestis, quæ tanquã uehemens procella ex alto ruat: nosq́; omnes, domos, familias, ipsumq́; nomen Polonicum ab radicibus imis euertat atq; conterat. Hæc quidem quasi in desperatione à nobis dicuntur: qui tamen non ideo cessabimus in nostro munere. itaq; ad reliqua per-
5 gamus. Multi partim uerbis, partim alijs iniurijs uiolare solent & Principem & Rempublicã: quod quidem crimen maiestatis uocant. de eo itaq; aliquid dicendum. Multa autem de eo nostra tempestate & in foro & in Senatu agitata sunt, maioribus nostris (ut ferunt) inaudita. ideo de hoc aliquid certi constituendũ: quibus quasi limitibus comprehendendum, & quibus pœnis uindicãdum sit. Theodosius quidem imperator, obtrectatores laudum suarum tantum abest ut maiestatis crimine damnãdos putaret, ut neq; durum aliquid, neq; asperum eos sustinere uellet: ac maledictũ in se iactum, si ex leuitate processit, cõtemnendum: si ex insania, miseratione dignum: si ab iniuria, remittendum esse censeret. Imperatoria sanè, & maiestatis plena sententia: qua declaratur, hominibus in summa dignitate constitutis, multas iniurias negligendas esse, multaq́; multorum maledicta perferenda. quemadmodum & Alexander Macedo dixisse fertur, Regium esse, cum bene feceris, malè audire. Neque enim est ex principis dignitate, neq; è Repub. populares optimatesq́; assuescere, ut nihil dicant sentiantq́;, quàm quod principi placuit. Brutis animantibus imperet oportet, non hominibus ratione prædítis, qui uellet, ut subditi sui ad eum modum assuescerẽt. Si princeps es, ac uel ea quę te indigna sunt facis, uel ea quæ sunt officij tui negligis, in te culpam conferto, si pro eo ac meritus es, homines de te loquantur. sin nihil in officio tuo laberis, nihilq́; in rationibus uitæ tuæ delinquis, nihilo tamen secius audis, quàm si multa peccasses: tamen magnanimi uiri est, uerè que regij, ut inquit ille, animi, malè audire, cum bene feceris: sermonibusq́; uulgi contemptis, omnem amplitudinem & dignitatem in uirtute & præclaris facinoribus positam existimare. Igitur si sententiæ Theodosianæ accedere libet, certè non omne crimen quod in principem committitur, non omne dictum, non omne factum, maiestatis erit. Alexander etiam imperator, cùm superioribus ante se temporibus multos uideret ob leuissimas suspiciones tanquam maiestatis reos punitos esse,

C. Si quis imperatori maledixerit. L. unica.

C. ad legem Iuliam. L. etiam ex aliis.

eſſe, reſtrinxit hoc crimen: nec adeò latè ut olim patêre, multas'que
cauſas, quæ prius in hoc crimen uocabantur, ſuo ſeculo ceſſare uo-
luit. Itaq; nobis committendum non eſt, ut cauſas criminis huius
amplificemus: cùm illi ipſi, à quibus eius ſpeciē ſumpſimus, illud re-
ſtrinxerint. Multa ab Herennio & Modeſtino de eo præcipiūtur. ff. ad legem Iuliam, maieſtatis.
Nam & perſonam ſpectandam eſſe, an potuerit facere, & an quid
antè fecerit, & an ſanæ mentis fuerit: nec lubricum linguæ ad pœ-
nam trahendum eſſe. quę quidem, & plura alia, in legibus Romanis
prodita extāt. Nos uerò primùm definiamus maieſtatem, ut quis
eius læſæ argui poſsit, rectè iudicemus. Maieſtas igitur eſt, ampli-
tudo & dignitas Reip. Principiſq;, ac eorum qui legitimè Remp.
gerunt, ex opinione præſtantiæ nata, in iure dicēdo ac imperandi
poteſtate cōſiſtens. Omnis enim dignitas magiſtratus huc ſpectat,
ut iure ac imperio Remp. gubernet. Ergo qui iuriſdictionem in-
terturbat, aut iudicia uiolat, quiq; uel impedit uel priuat magiſtra-
tum poteſtate faciēdi ſui officij, is cùm faciat cōtra Remp. maieſta-
tis iudicetur. In ſumma, is mihi reus lęſæ maieſtatis eſſe uidetur, qui
aduerſus uel principē, uel magiſtratum, uel Remp. uel eum cui pars
aliqua Reipub. commiſſa ſit, aliquid dolo malo, turbulēter, ſeditio-
ſe aut hoſtiliter fecerit, molitus'ue fuerit, unde præſentis ſtatus uel
debilitatio, inclinatio'ue, uel mutatio in deterius cōſequi poſsit. Sed C. ad L. Iul. maieſtatis: L. Quiſquis.
hæc melius ex legibus Romanis cognoſcētur: quę etiam pœnā eius
criminis, ab eo qui hoſtili animo aduerſus Remp. uel principē fuiſ-
ſet animatus, ad hęredes et liberos, uel qui nihil tale meruiſſent, per-
uenire debere, nec'eos ius ſuccedēdi habere, pronunciāt. Et hæc de
maieſtate. Inſignes ſunt & illæ iniuriæ, quibus fœneratores, auari 6
& ambitioſi Rempub. afficiunt. Veteres quidem Romani ſeuerius
fœneratorem, quàm furem, puniebant: legibuſq; ſanxerant, ut fur
dupli, fœnerator quadrupli condemnaretur. Legibus etiam Pon-
tificijs cauetur, ut nulla ſit eius factio teſtamenti, niſi primùm reſti-
tuant uſuras iniquè extortas. Et de hoc igitur legib. cauendum, &
nimiæ tum opum augendarū, tum honorum aſſequendorū cupidi-
tates coercendæ. Quod ita fiet, ſi & ambitioſi nota aliqua inurētur,
& de diuitiarum æſtimatione erit detractum. Videmus enim, quan
to in honore ſint diuites: illis maior tribuitur laus ſapientiæ, forti-
tudinis: illis prima loca ab omnibus conceduntur: nihil illi dicunt,
nihil faciunt, quod non uulgò laudibus ſingularibus efferatur. At-
que illi gradibus ſuis, aureis ſcilicet & argenteis, ad ſummos hono-
res aſcendere contendunt: ad quos ſi detur eis peruenire, tum ſe au-
læis, ueſte precioſa, argento, auro, & numeroſa familia, hoc eſt ope-
ribus diuitiarum, qui operibus induſtriæ & doctrinę non poſſunt,
uiſendos præbent. Profectò ſtudio eiuſmodi uel acquirendi uel o-
ſtentandi opes creſcente, fortitudinem decreſcere, exercitationem

militarem cessare, discrimen fortium & ignauorum, solertium & inertium tolli necesse est. Cupiditas etiam honoris & magistratus, supra improbata est. Itaq; & hæc legibus prohibenda sunt, & omnes ad frugalitatis & parsimoniæ disciplinam reuocandi.

CAPUT XI.

Leges in luxum omnis generis.


IGITUR & leges sumptuariæ conscribantur: & luxus omnis, cibi, potus ac uestitus interdicatur: picturæ impudicæ, cantilenæ obscœnæ, unà cum authoribus, ex ciuitatibus eijciantur. qua de re primo libro dictum est. Et in ebrietatem aliquid decernatur: cuius in regno, fortitudinem amitti, ueternum omnia occupare, certum est. Ideo Mahometes, ut erat ad perspiciẽda pericula sagax, cùm Turcas suos natura molles & bibaces uideret, uino eis prorsus interdixit: cuius usum perniciem illis allaturũ
Aristot. Polit. 2. putaret. Pittaci uetus lex ab Aristotele narratur, ut ebrij si quẽ aut conuicijs, aut plàgis affecerint, aut modis alijs indignis acceperint, grauius puniantur, quàm si id fecerint sobrij. Cùm enim plures sint qui poti alios iniuria afficiant, quàm sicci: è Repub. esse duxit, maiore supplicio eos coercere, qui ad peccandum magis, quàm qui minus proni essent. Nos contrà, excusatione ebrietatis, minus seuerè insolentiam uinolentorum castigamus: cùm tamen ebrietas & ipsa digna sit per se animaduersione, & mater sit infinitorum uitiorum. Atq; hinc consequitur, perutile Reipub. esse, interdici importationem omnium quæ ad luxum pertineãt: ut sunt illecebræ libidinum, ac gulæ irritamenta omnia.

CAPUT XII.

Leges in ociosos.


HAUD scio an sit in ociósos & ignauos lex aliqua ponenda, & eos qui curam nullam habeant merendi de re tum publica, tum priuatorum. Omnino uoce diuina sancitum est, unicuiq; uescendum esse pane in labore & sudore: & qui non laboraret, hic etiam ne manducaret. Itaque ignaui & fuci omnes aut pellantur ex ciuitatibus, aut alijs pœnis afficiantur: ad publica uerò munera nullo modo admittantur. Bonorum enim industriǽ inuident, aliena appetunt, rebusq; nouãdis semper student. Haud ab re fuerit, singulos ciuium quotannis apud magistratum profiteri, quam quisq; artem exerceat: unde sumptus faciat tum necessarios, tum liberales. Profectò obuiam hac ratione iretur multorum luxui: omnes'que à turpi ocio auocarentur, ad honestas actiones. Multi equitum, nonnulli etiam reliquorum ciuium, & sumptus maiores facere, & ministros plures quàm pro facultatibus alere consueue-

ſueuerunt. cum quibus miniſtris tum bonis alienis inſidias ſtruere, tum cædes committere non dubitant. Iſti mores magna ex parte ceſſarent, ſi quiſq; rationem cogeretur reddere & temporis tranſmiſsi, & rerum à ſe geſtarum. Qui uerò uel falſò profiteri, uel arte iniuſta uiuere compertus fuerit, hic iuſtis pœnis afficiendus eſt: atque uel ad res honeſtas impellendus, uel è Rep. eijciẽdus. Ad cuius rei perfectionem, haud ſcio an nõ multum prodeſſet magiſtratuum diſtributio à Moſe Getronis conſilio facta. Is enim populum Iſraeliticum in immenſum auctum ita diuiſit, ut ſingulis decem patribuſfamiliâs ſuum Decanum daret: decanis quinq;, Quinquagenarium præficeret: quinquagenarijs duobus Centurionem: centurionibus decem Millenarium præponeret. Millenarij Tribuno parebant. Tribuni cum reliquis magiſtratibus ſummo Reip. gubernatori obtemperabant. Habebat hæc magiſtratuũ diſtributio illam commoditatem, ut nec princeps Reip. multum ſe fatigaret, muneribus ad hunc modũ inter multos partitis: & gubernatio totius populi longè facilior eſſet, dum cuiuſq; uitæ rationes à ſuo præfecto citius ac melius cognoſcerentur: & uitia paruo negotio obſeruarẽtur, ac uindicarentur: ocioſiq; procul ex finibus expellerẽtur. Ceſſantibus inferioribus magiſtratibus, ſuperiores negligentiã illorum coarguebant, & emendabant. Huiuſmodi diſtributio, uel ei aliqua ex parte reſpondens, cum magno fructu & in noſtra Rep. poſſet obſeruari. Exod. 18. Deut. 1.

CAPVT XIII.

De incendijs uitandis & opprimendis.



QVONIAM autem multa perſequimur non tam fortaſſe ardua & recondita, quàm neceſſaria: non ſit ineptũ, de incendijs tum cauendis tum opprimendis præcepta hîc uulgaria adijcere: eaq; in hanc edictorum formulã conijcere.

Ne quod detrimentum accipiant ædificia ab igne, quiſq; ciuium curato, ut fornaces, caminos, focos, & loca omnia accẽdendo igni extructa, ſint argilla & reb. alijs probè munita.

Camini eriguntor ultra ſumma ędium cacumina: ne ſcintillę euolantes, tectis noceant.

Ignis à calendis Maijs ad calendas Septẽbres, poſt ſolis occaſum ne in ullis ædibus accenditor.

Fœnum, ſtramen, & id genus ſtipulæ, ne intra ciuitatẽ, ubi ignes ſolent accendi, præſertim in contignationibus ſupernis, aſſeruãtor.

Igne ædificia petente, paterfamiliâs aut domeſticorum aliquis ex ædibus mox excurrito: ignes adeſſe clamato. Ni faxit, capitale eſto.

Ad ſignũ cãpanæ, ciues omnes adſunto, ad ignem opprimendũ.

Singuli patresfamiliâs ad ædes ſuas habento ſcalam mobilem, harpagonem haſtili oblongo infixũ, ad ædes flagrãtes diripiendas.

Linteum ligno alligatum, quo udo ignis extinguatur: ad hæc securim, urnam, uas ante ædes aqua plenum.

Quia autem nec instrumenta, nec hominum multitudo ualet sine ordine, ciuium ædes ex ordine conscribuntor: ciuesq; omnes in quatuor, plures, pauciores'ue tribus diuiduntor.

Singulæ tribus ex suo numero tribunos in annum eliguntο: eo quidem die, quo annui magistratus eliguntur.

Tribuni electi iusiurandum in primis danto, se in urbe ab igne & quouis casu infœlici tuenda fideles & diligentes fore.

Iidem suos tribules cognoscunto: ædes eorum, minimùm in anno quater inspiciunto: an contra ignis iniuriam sint munitæ, instrumentis ad extinguendũ necessarijs instructæ, uidento. Tribunatu suo durante, nisi aliquo qui pro se uicariam operam impendat constituto, ne discedunto. Igne seu alio casu incidente, cum tribulibus adsunto: quæ necessaria sint agunto. Non uenientes tribules, aut in officio cessantes, ad magistratum deferunto.

Tribus in qua incendiũ est exortum, scalis, harpagonibus & linteis operam dato. Ex aliarum tribuũ ædibus omnibus bini adsunto, alteri cum securibus, alteri cum urnis.

Qui cum equis præstò erunt, uasa adducturi, ab oneribus urnarum, securium & alijs liberi sunto: ut sunt coctores ceruisiæ, uectores, & alij equos habentes.

Si quid horum qui debet non præstiterit, delatus à tribuno suo ad magistratum, unam pecuniarũ marcam, uenire autem negligens tres pendito.

Tribunus officium suum non præstans, periurus esto: ciuitate priuator, bonaq; eius thesauro ciuitatis addicuntor.

Hucusq; leges de incendijs: quas scripsi, misericordia adductus, quòd uideam incredibilem uecordiam non tantum plebeiorũ, sed & clarorum uirorum, in cauendis & opprimendis incendijs. Itaq; raro apud nos incendium exoritur, quo non toti uici, aliquando totæ urbes conflagrent.

CAPUT XIIII.

Leges de actionum & probationum generibus: de Diebus legitimis: de Ferijs.



SUNT etiam leges conscribendæ de diebus legitimis, de actionum & probationum generibus, de omni ratione litigandi, deq; forensibus ferijs. Prorogationes dierum in nostris iudicijs receptæ, odiosissimæ sunt hominibus qui patiuntur iniuriã: ijs uerò qui intulerunt, optatissimæ. Viderint igitur legislatores, quid de his constituant. Genera actionum diligenter secernenda sunt: nec personales, cum illis quæ in rem sunt, commiscen-

miſcendę:nec ciuiles cum criminoſis. Qui maleficiũ cõmiſit, in eum competit actio perſonalis. Si eſt fluxæ fidei, comprehendendus eſt à magiſtratu: ac in cuſtodia tantiſper habendus, dum uel iudicatum ſolui tum Reip. tum parti læſæ ſatis dederit: uel à iudice de maleficio eius (fieri enim poteſt ut uix fideiuſſoribus, rebus uerò nullo modo caueri poſsit: quod in adulterijs, ſtupris uirginum, & ſimilibus flagitijs accidit) iudicatum fuerit. Quid enim iactari attinet in eiuſmodi delictis poſſeſsiones tuas quamuis amplas, ut ne magiſtrã tui, illarum ergò, manum in te inijcere liceat? Fecit impetũ quiſpiam in domum tuam, uitiauit filiam tuam uirginem: occidit patrem tuum, fratrẽ, filium'ue: patrator ſceleris eſt Equeſtri loco, agri diues, gratioſus: uocas eum in ius: dantur ei dies à iudice, multis ex cauſis prorogantur: cognitio in longum profertur. Ille interea ſcelere patrato, quoquouerſum obambulat: fautores & miniſtros ſibi cõparat: aduerſum te ita ſe gerit, ut truces in te oculos conuertat, uoces impuras & minaces emittat, inceſſu ac omni corporis geſtu terrere te, frangereq́ animum tuum ſtudeat. Semper armis cinctus, operis undiq́ ſeptus, cum ſicis, gladijs, ſagittis incedit: cum illis & in iudicium ſe proijcit, & in conuiuia, & in templa. Si eodem in loco tecum ſit, primos ante te accubitus appetit. Si eadem uia tecum pergat, operarum multitudine te ſuperare contendit. Si obuiam tibi fiat, aut de uia illi cedas, aut de uita cum illo dimices oportet. Vtrum igitur mauis: an ut ſceleratus iſte liberè uagetur, ſemperque capiti immineat tuo: an potius, ut ex uinculis dicát cauſam? Tu uerò ordini equeſtri id tributũ inquies, teq́ id ferre, ut ſi quid fortè ſimile deſignaſſes, eadem libertate gaudere poſſes. Hinc illa patientia nimirum: & hæc cauſa eſt libertatis huius præclaræ, qua & ſceleris patrator in præſenti fruitur, & tu in poſterum ſperas te fruiturum. Vobiſcum quidem, qui ad hunc modum affecti eſtis, nullis rationibus nulliſq́ authoritatibus agi poteſt: qui res odioſiſsimas ac periculoſiſsimas, ſpe ijſdem fruendi, patienter toleretis. Verùm toleratis perſępe magno ueſtro malo. Videt enim, uidet Deus ille, ſceleratæ iſtius tolerantiæ ueſtræ impias cauſas: ideo in eaſdem foueas prius præcipitat uos, quàm uos alios præcipitetis. O' duram conditionem & calamitatem noſtræ Reipub. in qua & qui fecerunt iniuriam, & qui acceperunt, & qui ab ea ſunt remoti, hanc ferant impunitatem uel ſpe turpis cõmodi, uel libertatis iſtius importuniſsimæ cauſa: hancq́ licentiam tolerent, quam pericula, calamitates & cædes teterrimę conſequuntur. Vos uerò, qui & patriæ ſalutem chariſsimam habetis, & ueræ libertatis rationẽ tenetis, mecũ conſiderate, quorſum attinet generis nobilitatem ac poſſeſsiones amplas in cædibus iactare? Valeãt poſſeſsiones tuæ, cùm de terminis aut re uendicanda agitur. At quid illæ ad uerbera, uulnera, mu

 tilationes,

tilationes, cædes, quas tu commisisti? Iam ut horum minimè sis reus: tamen minus fortè iniquum fuerit innocentem ad tempus, dum crimen cognoscitur, comprehensum retinere, quàm nocentem è manibus elabi, atque impunè uagari sinere: idq́ Reipub. condonandum, in qua omnes priuatorum res sunt comprehensę. Nam quod aiunt quidam, uirtuti hominum equestris ordinis tantum tribui oportere, ut iudicio se staturos, & iudicatū soluturos (sine comprehensione) confidendum sit: id non ita esse, moribus usitatis coargui potest. Non enim uirtuti, nec generis nobilitati tribuitur hæc carceris immunitas, sed possesionibus. Qui enim equestri loco nati, possesiones habent nullas, comprehenduntur, cum sceleris sunt accusati: qui habent aliquas, non comprehenduntur: quamuis possesiones illæ tanti non sint, ut res, qua de agitur, uindicari ex illis queat. Illud uerò etiam permirū, qui legibus cauerunt, ut ne quis nobilis possesiones habens capiatur: non eosdem cauisse, ut ratio habeatur possesionum, an ex illis damnum, cuius accusantur, recuperari posit. Interest itaque Reipub. ut facinorosi omnes à magistratu eius loci, ubi crimen admissum est, mox comprehendantur: nullaq́ hac in parte nobilium & plebeiorum ratio habeatur, nisi ad eum modum, quem suprà exposuimus, dum de pœnarum uarietate ageremus. Et quia iniquū est, innocentem uel horam unam affligi: curandum est, ut de causis eorum qui carceri inclusi sunt, cognitio mox fiat: & uel conuictum uelox pœna subducat, uel liberandum custodia diuturna ne maceret. Id enim ferè totidem uerbis sanxerunt Imperatores Romani. Qui innocens captus causam dicere cogitur, condonet id Reipub. idem in eum, criminis inquirendi causa, constituenti, quod in nocentem: de quo uix posset commodè uindicta sumi, nisi caperetur. Secq́ consoletur CHRISTI Domini nostri exemplo, qui innocentisimus, capitis causam, captus à cohorte militum, dicebat: spem'que reponat in sua innocentia, fore ut tandem Deo propugnante, innocens declaretur. Scitum est autem: Non carcerem infamare, sed crimen. Ac ne licentia cuiuis permittatur iniustè uel deferendi nomen alicuius apud iudicem, uel accusandi, pœna constituenda esset tam in delatores, quàm in accusatores. Iniquum enim est, cum de se nihil timere, qui alicui periculum malitiose moliatur. Contrà nihil æquius, quàm si is qui alium in discrimen fortunarum, capitis aut famæ adducere non dubitet, intelligat etiam res suas, salutem ac existimationem in discrimine uersari. Certè & lex diuina in eiusmodi homines pœnam talionis constituit, Deut. 19.

C. de custod. reor. l. 1. & l. de his.

CAP.

CAPVT XV.

De iureiurando, testium examine: & de temere litigantibus.



QVONIAM autem inter probationum genera iusiurandum numeratur, sine quo multæ graues causæ expediri non possint: ideo de eius religione diligenter sanciendum est. Mos etiam ille testium iurandi de re ignota, qui ferè in finibus regundis & in iudicijs obseruatur, abrogandus est. Solent enim ij ad iurãdum adhiberi, à quorum uel memoria uel cognitione res, de qua agitur, sit remotissima: qui tamen putant se culpæ insontes esse, cùm eum cuius res agitur, uident priorem iurantem. Quin potius uel eius, cuius res agitur, solius iureiurando statur: uel uiri eliguntur graues, seu consanguinei, seu uicini illius, qui illi iurãti adsint: ac si uisum fuerit, etiam iurẽt, credere se illum uerè iurasse. Sanctissimus est mos ille iudicij ecclesiastici, in testibus examinandis. Quisq; iureiurando obstrictus, seorsim à scriba iurato examinatur. Vis iurisiurandi illi exponitur. Rogatur, qua in Deum sit religione. Eiusmodi interrogationibus conscientia & mores testis inuestigantur, dignus'ne sit cuius testimonio fides habenda sit, an secus. Tum rogatur, an rem de qua dicturus est, uiderit, an uerò audiuerit tantùm? An sit doctus ab aliquo de testimonio dicendo: & an cum alijs testibus de eo testimonio cõsilia communicauerit. Singulæ quoq; circunstantiæ excutiuntur, locus, tempus, personæ, & id genus alia. Datur & potestas aduersario dicẽdi tum de personis testium, tum de negocio ipso. Iudicia Polonica, quod sciam, carẽt hoc genere probationum. Qui enim testium nomine inducuntur, nihil putant sua interesse, scire an res qua de agatur ita se habeat, an secus. Non malè se functos officio arbitrantur, si eum in cuius rem iurant, priorem uiderint iurãtem. Omnino ad iurandũ, & testimonium dandũ, uiri graues, moribus probati & prudentes uocari debent. qui quidẽ sciant se Deo honorẽ debitũ tribuere, cùm eum testem inuocãt, ac ueritati testimoniũ perhibẽt. Quod cõtrà fit hodie plerunq;. Qui enim moribus accersuntur, prorsus ignoti solẽt esse, precio conducti, multarum rerum non dicendarum suspecti, ac tantum nõ infames. In quibus nihil magis requiritur, quàm ut sint nobili genere nati. ideo legislator de his uidebit. Theologorũ quoq; est, qui publicè docent populum in templis, uim & sanctitatem iurisiurandi explicare: atq; homines hortari, ut studeant, quantum in ipsis est, ueritatẽ iuuare: ac pro ueritate & Deum testẽ citare, & omnium inimicitias perferre. Memini etiã, cùm duo in perniciem cuiusdam alius cõspirantes, causam in foro agerent. Cùm autem reo iusiurandũ decretũ esset, petitor eiusdem iurisiurandi gratiã illi fecit, cõtentus uidelicet Rei uoluntate, quam ille uultu, uoce, genuum


flexu,& omni gestu declarabat,ac si ad iurandum paratus esset: itaque iudex reum absoluit. Sed res inter partes simulatè & ex composito agebatur: omne enim incommodum ex absolutione rei ad tertium, in quem faba illa cudebatur,redundauit. Erant in eo iudicio multa periniqua. Iudici impositum est: qui etsi doli illius fortasse ignarus non erat,tamen aliter iudicare non potuit, quàm ut causa erat instructa. Reus,periurij se reum minimè putabat: quod flexis genibus,uerbis non iurasset. quasi uerò uerbis tantùm periuriū committatur,non omni gestu, quem perinde homines habeant atque si uerbis conceptis iurasses. Petitor uerò in quantos uitiorum gurgites se demersit? Difficile est omnia explicare. Sed ita breui habendum est: Quicquid agatur seu uerbis,seu gestibus,seu conniuentia, seu quauis alia ratione, fallendi alicuius causa, omne id in uitio ponendum esse. Omnes illæ significationes non nostra, sed eius cuius interest gratia fiunt. Nemo enim sua causa iurat,sed alterius. Cui ut persuadeat uerum esse quod asseuerat,Deum testem inuocat: eundemq́; si mentiatur, uindicem sibi imprecatur. Non igitur uerba, non gestus ad mentem tuam qui iuras, sed eius in cuius gratiam iuras,sunt interpretanda. deinde omnis attestatio, seu uoce seu nutibus fiat, cui diuina authoritas obtenditur, iurisiurandi uim habere putanda est. Quæ attestatio si fiat fallendi alicuius causa,& à sententia nostra discrepet,mendacium est,& periurium. Qui periuria nō exhorrent, illi de Deo parum rectè sentiūt: nec eum res mortalium curare, nec impietatem ulcisci credunt. Hæc opinio opera præconum uerbi Dei ex animis hominum eradicanda est. Discrimina etiam iurisiurandi diligenter annotanda sunt. Quamuis enim omnis eiusmodi religiosa testatio fiat, Deo immortali interposito tum teste,tum uindice: tamen non omnis ad eundem finem destinata est. Qui calumniam iurat,quid aliud testatur,quàm se nō per fraudem, uincendi, frustrandi'ue causa alium litibus uexare: sed suo animo teste, putare se iustum & rectum esse quod agat, dicat'ue? An uerò sic iurans, confestim expediuit causam omnem? Certè non id comprehensum est in formula iurisiurandi illius. Nam qui dicit, se falsum crimen nemini scienter intendere, non eue stigiò se rei, de qua agatur,dominū esse debere cōprobauit. Alijs enim uijs ad rem uindicandā eundū est, q̃ doli mali fraudisq́; purgatione. Pergamus igitur de causis iurisiurandi calumniæ loqui. Improbitatis est,& iniquitatis summæ,uexare eum litibus, quem scias rei, cuius abs te arguatur, insontem esse. Est autem in more multis, ut in ius uocati, multas aduersario dicas impingant: tantùm ut multitudine suarum actionum obruant eum, ac ab agenda causa deterreant. Omnino igitur temerè litigantes,grauiter puniendi sunt. Qui suspectus sit eiusmodi temeritatis, ac potius peruersitatis, is petente aduersario

iureiu-

iureiurando confirmet, se bona conscientia persequi ius suum: sin detrectet, causa cecidisse iudicetur. Mulctare uerò eum qui uel exigat uel det iusiurādum eiusmodi, seu cuiusuis generis, hoc nomine non liceat: nisi fortè falsò & contra animi sententiā iurasse eum, planum erit factum. Qui enim uerum & sanctum iurat iusiurandū, honorem Deo tribuit: qui & testis solus sit cogitationum nostrarum, rerumq́ occultarum, & seuerus ultor periuriorum. Mos etiam ille, quo uulgò milites utuntur iurandi per solem aut stellas, improbatur diuina uoce, cùm sic dicit: DOMINVM Deum tuum timebis, « & illi soli seruies: ipsi adhęrebis, iurabisq; per nomen illius. Et hæc « quidem tum de iusiurando, tum de rebus aliis, ex plurimis pauca: sed tamen, ut mihi uidetur, non inepta, & legibus uel emendandis uel ferendis non inutilia, libanda mihi in præsentia uisa sunt.

CAPVT XVI.

De iudicibus, & iudiciis.



VONIAM autem frustra leges ponerentur, nisi essent qui ex eis iudicarent: ideo iudices, legum ministri, in Rebuspub. sunt constituti, quos prudentissimos ac optimos uiros esse oportet, qui nec in hanc nec in illam deflectant partem, sed ad leges & ęquitatem oculos intendant. Quòd si nihil imperito homine ineptius, nihil improbo iniquius, quanto hæc magis improbanda in iudice: qui dubia explicare, ex prauis recta facere debeat? 1
Sint igitur iudices tales, qui legum, ex quibus iudicent, maximam habeant peritiam: non minorem etiam usum actionum & iudiciorum. Ridiculum est enim, te ex legibus seu pontificiis seu ciuilibus, seu quibusuis aliis, sedere in aliquem iudicem, cum rudis sis legum illarum. Nec enim cæcus de coloribus, nec surdus de discrimine sonorum iudicare possunt. Sint iidem qui nec odio, nec ira, nec amore, nec misericordia, nec ulla peruersa affectione, sed sola ueritate ducantur, causis cognoscendis & diiudicandis: qui munera accipiant nulla: commendationes pro aliquo factas contemnant: solius iustitiæ & Dei iudicis iustissimi respectum habeant. Sunt autem uel 2
præcipuæ iudicis partes, causam partis utriusq;, petitoris et rei, exactè cognoscere. Neq; enim fieri potest, neq; rerum natura fert, ut quis de rebus rectam sententiam ferat, quarum uel neutram, uel alterutram tantùm cognitam habeat. Alteri partium fauere, alteri 3
iniquiorem esse, nequaquam iudicis est: hoc est, eius qui se medium inter aliquos profiteatur: sed est potius adulatoris, & iusticiæ peruersoris. Itaq; Alexandro Macedoni in more fuisse perhibetur, ut si altcrutra partiū ad illum questum uenisset, unā illi aurem accōmodaret: se enim alterā alteri partium integram seruare uelle dicebat. Quod & in Areopagitis in primis laudatur, qui in tenebris, non luci

luci cauſas cognoſcebant: ut non dicētium, ſed rerum quæ diceren
4 tur, rationem habere putarentur. Petitori inuito iudex formam a-
ctionis præſcribere non debet: ſed ut in poteſtate petitoris eſt actio
nem intēdere cui uelit, ita integrū illi ſit, quouis actionis genere ex-
periri cū eo quē accuſet. Qui iudex ſecus faciat, ſuſpicione huic be-
ne, illi malè fauendi non caret: qua quidem re nihil eſt deteſtabilius
in iudice. Sint pœnæ in accuſatores conſtitutæ, iniuſtè & parum
uerecundè rem agentes, ſi cadant cauſa: potius quàm ut actiones in-
5 uitis illis uel mutentur, uel præſcribātur, multo minus tollātur. Iu-
dicis quoq; eſt, lites quantum poſsit extinguere, parteſq; ipſas uel
cauſa iam cognita ad cōcordiam hortari: nec ante ſententiam, quid
6 ſentiat, quid'ue mentis & animi habeat, ſignificare. Si concordia
inter partes deſperatur, tum uerò iudex pro tribunali quanta ma-
xima poſsit grauitate, ſanctitate, integritate eam ſententiam ferat,
quam ſummo illi & præpotenti iudici Deo ſe probare poſſe confi-
dat: neutri partium faueat: nec eandem ob rem hunc fuſtuario, il-
lum uerbulo caſtiget: ſolius ueritatis rationem ducat: hanc'que ſi-
bi uiam ad illa beatorū domicilia tutam & expeditam putet. Quòd
ſi quid ſecus quàm ueritas & iuſticia ferat, dixerit, fecerit'ue, uolu-
ptatem fortaſſe non diuturnam, nequiter uerò factum diuturnum
7 & perpetuum & in hac & in futura uita ſecum fore exiſtimet. Ad-
dat autem iudex ſententiæ à ſe latæ cauſam, quam ſequatur. Etenim
nihil ſtultius, nihilq; peruerſius eſt, quàm ſententiā ferre, cuius cau
ſam ignores, aut non intelligas. Quod ſi eam cognitam habes, iu-
ſtamq; & legitimam eſſe cognoſcis, reticenda non eſt: ut non tan-
tùm tibi ipſi ſatisfacias, ſed omnibus planum fiat, te & ſtatum con-
trouerſiæ rectè intellexiſſe, & animū tuum ad normam regulamq;
certam direxiſſe. Æquiore etiā animo, qui damnatus eſt, feret tuam
ſententiam, cùm condemnationis ſui intellexerit legitimā cauſam.
Qua ignorata, facilè homines impelluntur ad prouocationes uſita-
8 tas, ab inferiore ad ſuperiorē iudicem. Iudices rerum eccleſiaſtica-
rum, nunquam (quod quidem ſciam) cauſas, niſi de ſcripto lata ſen-
tentia, definire conſueuerunt. Quos cur iudices rerum profanarum
non imitentur, cauſa nulla eſt. Magis enim cogitata & meditata ui
dentur ea, quę de ſcripto proferūtur: nec in dubiū uocari poſſunt,
quę ſcriptis mandata ſunt. Scio poſt iudicis cuiuſdā, de cauſa pro-
pè criminoſa, ſententiam ſine ſcripto dictam, inter litigantes certa
men extitiſſe magnum: dum uterq; pro ſe uerſutia quadam, menti
notarij caligines offundere ſtuderet. Notarius uerò uix litiganti
bus illis, ſine offenſione utriuſque, aut certè alterutrius, ſatisfecit:
imò ne uix quidē. uterq; enim aliquid deſiderabat: iudex uerò iam
aliò diſceſſerat. Hæc difficultas auferetur, ſi iudex de ſcripto dixe-
rit, ac notario ſcriptam ſententiam commiſerit. Vidi & illud, cum
iudex

iudex pro tribunali sententiam pronunciaturus, aliquoties admonitus quædam addiderit, quædam mutauerit. Rectè quidem. Sed quid si monitori id in mentem non uenisset? an iudex in officio non claudicasset? Fluxæ sunt cogitationes humanæ: memoria uacillans, ac in negotiorum infinitate uix sibi constans. Quæ igitur inuenta, excogitata & cognita sunt, nisi scriptis tanquā custodibus fuerint commissa, facilè dilabuntur & diffluunt. Quid quod scriptione ipsa, & literarum quasi exaratione, non tantùm memoria cōfirmatur: sed ipsi scribentes admonentur, ad peruestiganda multa, quæ sola mentis agitatione uix possent odorare? Fugiant, non minus quàm 9
uenenum, munera iudices. Idq; omnino legibus cauendum esset, ne quid in muneribus acciperent. Corrumpunt enim ferè iudicia, qui muneribus leniti sunt: quemadmodum dixit ille,

Munera, crede mihi, placant hominesq; deosq;.

Imò & salaria eis iusta essent constituenda, ne quid ex iudicijs exercendis expectent, quo uel ad condemnandum aliquem iniustè, uel ad absoluendum excitarentur. Commendationes quæ fiunt pro 10
alterutra partium, negligat iudex. Non ab re esset, lege cauere, ne quis audeat commendare iudici causam alterutrius partium: ac ne rex quidem. imò hic minimè omnium: cuius tanta sit authoritas, ut facilè moueantur omnes in eam partem, quam sciant regi cordi esse. Est autem peruulgatum prouerbium, cogi inferiorem à superiore, à quo rogetur. Cum autem nullum sit arctius uinculum 11
ad officium debitum præstandum, iureiurando: obligandi sunt eo prius iudices, quàm hunc ineant magistratum. Qui prudens ac sciens non rectè iudicium fecerit, qui item aliquid in muneribus acceperit, hic ad regem & totum conuentum delatus, ac iure uictus, & magistratu est amouendus, & iustis pœnis usque ad capitis amputationem afficiendus. Sit autem unicuilibet potestas accusandi talem iudicem. Ne autem ei sit impune, qui uel commendatione uel muneribus, iudicis animum corrumpere tentauerit: sit & hunc cuilibet liberum accersere, uel in capitis iudicium. Exquisitum est illud supplicium, quo Cambyses Persarum rex Sisamnem Asiæ prioris partis præfectum affecit. Quem cum largitione corruptum iniquè iudicasse cognouisset, pellem de corpore eius detrahi, eam'que in tribunali extendi uoluit. ac in locum occisi, filium eius iudicem suffecit: ea lege atque omine, ut contemplatione paternæ cutis caueret, ne simile aliquando iudicium subire cogeretur. Ita rex barbarus atroci ac noua pœna iudicis, ne quis postea corrumpi iudex posset, prouidit. Illud quoq; sanciendum, ut nemo 12
causæ suæ iudex esse audeat. Tres enim in omni iudicio personas esse conuenit: petitoris, rei, & iudicis. Periniquè itaq; faciunt, qui causas suas agentes, homines imperio suo subiectos condēnant.

Valer. de Seueritate, & Charion in Chronico.

Non

Non est hæc libertas illa, quæ in ore omnium est: nec iuris æquabili
tas, qua stant bene fundatæ Respub. sed seruitus barbarica, qua do-
minus fingitur potestatem habere uitæ & mortis seruorum, damna
tionis & absolutionis. Hæc seruitus ex Christianorum Rebuspub.
multis Cæsarum legibus explosa est. itaque si Christiani sumus, à no-
bis quoque, nostrisque finibus eam expellamus. Omnes certè homi-
nes libertate aliqua gaudere debent: omnes enim ad imaginem Dei
conditi sunt, omnes à pecudibus brutis ratione & uoluntate secer-
nuntur. Quanto uerò magis Christiani populi, à Christianis domi-
nis numero mancipiorum eximendi? Vno enim precio empti sunt
cum dominis: eorundem Dei mysteriorum participes sunt. Quan-
quam ut rerum aliarum, sic libertatis sunt gradus quidā: &, quem-
admodū Paulus inquit, stella differt à stella claritate. Quam igitur
libertatem colono tuo relinquis? Non est liber à decumis soluen-
dis, non à uectigalibus & tributis pendendis, non à laboribus tibi
subeundis: nulla illi potestas est petendorū honorum, quam tu ha-
bes integram. Quæ igitur libertas reliqua est? An non ea, quæ in le
gum ac iudiciorum æqua descriptione consistat? Huius uerò quod-
nam caput constitues, quàm ut ei ius potestasque sit te uocandi ad le-
gitimū iudicem? Et coloni, & omnes plebeij à nobilibus uulgò pro
canibus habentur. Hinc illæ uoces impurissimorum hominū: Qui
rusticum (sic enim plebeios omnes uocant, quamuis à rure remo-
tos) necauit, perinde est ac si canem necasset. O uocem excisione lin
guæ puniendam: quæ quidem uox ex cædium iniqua æstimatione,
& iurium inæqualitate orta est. Si igitur adimimus colonis ius uo-
candi dominos ad iudices, adimimus eis omnem libertatem. Si do-
minis damus potestatem iudicandi eos in re sua, tollimus rationem
omnem iusti iudicij: quod cùm personas tres requirat, rectum non
erit, ubi idem iudex fuerit qui accusator. Quocirca & coloni, & om
nes subditi, à tyrannide huiusmodi dominorum liberandi sunt. Li-
ceat & domino subditum, & subdito dominum ad iudicem legiti-
mum citare: aliter enim forma iusti & recti iudicij non seruabitur.
Vix enim est aliquis, qui suæ causæ iudex, non sibi sit æquior quàm
reo. Quòd si quis est: tamen cuiusque interest, non tantùm iniuriam
fugere, sed & suspicionem iniuriæ. Qui id negligunt, id consequun-
tur, quod olim de seruis proditum est, ut quot subditos habeant,
tot hostes. At id in præsentia non apparet: utinam uerò nunquam
detur occasio ut appareat. Sed prudentum est, rebus futuris consu-
13 lere: & ad dubia Reipub. tempora amicos sibi parare. Iam illa sunt
consideranda, utrum iudicibus ijsdem disceptantibus, omnes causę
discernendæ sint: an plura iudicum genera, pro qualitate tum causa
rum, tum personarum, constituenda? quemadmodum nonnullis in
prouincijs alij iudices sunt qui priuatorum causas cognoscunt, alij
qui

qui publica negotia iudicant: item alij sunt criminum capitalium,
qui etiā pœnas constituūt alias in nequā homines, alij de urbanis et
forensib. rebus tractant: rursum alij, qui inter optimates ac præstan
tes tum genere tum ordine uiros, alij inter plebem ius dicunt. Illud
item, an plures uno iudices eligendi, causarum seu omnium, seu gra-
uiorum, ut quibus de capite fortunis'ue alicuius agatur: an uerò u-
nus cum authoritate sufficiat, cui homines iurisperiti, ex quorū sen-
tentia iudicet, pro assessoribus adiungantur? Ad hæc etiam, si sint
plures, perpetui'ne omnes, an unus quasi ordinarius, alij forte ad
certa uel tēpora uel negotia delecti? Tum etiā, an ijdem, an diuersi
sint, qui causas tam suorum ciuium quàm peregrinorum & aduena
rum cognoscant? Præterea multitudine iudicum constituta, an sin-
gulos de re qualibet, uoce sentētiam ferre necesse sit, an quibusdam
in rebus clàm suffragijs decernere conueniat? Deniq;, à quibus iu-
dicibus prouocare liceat, à quibus nō? Postremò, iudici à quo pro
uocatio facta sit, an sententia quam tulit coram iudice qui appella-
tus est, tuēda sit, nec'ne? Hæc inquam, & similia consideranda, ac de
eis diligenti cōsultatione decernendum. Considerationis est & il- 14
lud, an iudici præter partium proposita & responsa, liceat aliunde
ueritatē inuestigare. Sæpe enim causæ iusticia aut in occulto latet,
aut opprimitur alterutrius partium uel errore, uel cauillationibus,
iudici quidem cognitis & perspectis. Quas si iudici explicare fas es-
set, facilè indicaretur uia perueniendi ad rectā sententiā. Sin propo
sitis tantùm & responsis partiū niti ei necesse sit, sententiam quoq;
iniquam sciens prudensq; sępe ferat necesse est. Memorabile est iu
dicium Salomonis, regis Iudæorum sapientissimi, quod de uiuo
puero inter mulieres duas exercuit. nam cùm utraque contenderet
suum esse, neutra autem probare posset intentionem suam, simula
uit se in partes duas scissurum, ac inter illas partiturum. Cumq; alte
ra mulierum annueret, altera renueret: atq; hæc sua parte libenter
se cessuram alteri, modò ne puer secaretur, diceret: agnouit Salo-
mon uerè maternam uocem, scissionem renuētis, eiq; uiuum pue-
rum adiudicauit. Multæ in causis existere solent cauillationes, exco
gitatę astutia & malitia partium in suam ipsorum perniciem mutuò
incumbentium. Quibus nisi occurratur, lædi iusticiam necesse sit.
Itaq; prudentis est, opinor, iudicis, detegere omnia quæ iusticiam
uel promouere uel impedire queāt. Neq; uerò alterutrius partium
studiosus, sed iusticię patronus esse uidebitur, si ex ęquo utriq; con
sulens, omnia explicauerit quæ faciant ad iusticiam, sine ullius per-
sonæ respectu, obtinendam & adipiscendam. Ac iudicium qui-
dem illud Salomonis, etiamsi præter partium proposita, nō tamen
sine ratione factum est. est enim ex suspicione et coniectura minimè
leui profectum. Imò uerò tantum argumenti ac rationis habet, ut

omnes rectè sentiêtes illud approbare cogantur. Fit eius mentio &
3.Reg.3 in sacra historia: & in Decretalibus epistolis, de præsumptionibus.
c. Afferte. Cæterùm ubi coniecturæ nullæ sint, nullaq; ratio appa-
reat, sed iudex tamen pro certo nouit rem aliter se habere quàm ab
alterutra partium probatum est, aiunt ei iudici, qui summam in ter-
ris habeat potestatem, & à quo ad neminem prouocatio sit, pro cau
sæ ueritate sibi comperta, sententiam ferre licere, cuius scilicet ratio
nem soli Deo reddere debeat: cæteris non licere. Sed de hoc quoq;
15 est diligentius quærendum. Haud scio an mos ille improbandus
sit, iudiciorum rarius exercendorū. lites enim in longum extrahun-
tur, impensæ immodicæ fiunt: causæ ipsæ prorogationibus (quas
uulgus limitationes uocat) dierum legitimorum, uarijs & innume-
ris, sæpe magis quàm rebus ipsis, implicantur, difficillimæ & pro-
pè inextricabiles redduntur. quo fit, ut à multis, desperatione pro-
fectus, deserantur. Omnino singulis in municipijs iudices certis in
locis pro tribunali sedere semper deberent, ac quando & quoties o-
pus esset iusticiam omnibus administrare, omnibus potestatem se
conueniendi facere, omnium desideria audire. Magno digni sunt
odio isti, qui rerum quamlibet leuium causa, difficiles se in adeundo
præbent: causas exactè cognoscere non curant, iusticiamq; in diem
ulteriorem rejciunt. Non est hoc agere personam iudicis: sed eius
qui sibi rebusq; suis consulat, & ad suum emolumentum omnia con
16 ferat. Omnis multitudo, ait uetus uerbum, parit confusionē. Itaq;
si litigatores sunt multi, ne & tempus inutiliter perdāt, & iudicibus
sint molesti, proponant iudices in albo curiæ suæ, ordinem iudican
darum personarum. idq; per municipia eorum qui rei sunt (sic La-
tini uocāt eos qui accusantur) causis digestis: deinde municipijs in
ecclesias parœciarū distributis: respectu scilicet habito, in qua quis-
que reorum parœcia sit ad iudicem citatus, seu coràm, quod audio
seruari in Lituania: seu in possessionibus, ut mos est Polonicus. Ita
ordine constituto causarum, nullæ turbæ erunt ad tribunal iudicis:
quisque sciet, ad quam diem se sistat: alijs diebus negotia iudicibus
non obturbabit: tempusq;, si uolet, utiliter dispensabit. Neq; præco
num clamores desiderarentur: quisq; citatorum loco & ordine suo
17 adesset. Qui negligeret, contumax pronunciaretur. Hic de iudici-
bus generalibus, ad quos ab alijs iudicibus omnes regni ordines
prouocare possint, ab illis autem ad neminem alium, dicendum est,
de quibus memini in conuentibus aliquando agitatum esse: sed res
nescio quibus rationibus uel impedita est, uel extracta. Et tamen
eam esse & priuatis unuscuiusq; rebus & publicis pernecessariam,
ingētiumq; utilitatum plenam, facilè ostendi potest, si iudiciorum,
13 ad quem modum hodie fiunt, incommoda considerentur. Tot e-
nim tantæq; causę ad conuentus uniuersorum deferri solent, ut nec
tempus,

tempus, nec ipsi iudices qui deliguntur, sufficiant cognoscendis omnibus,& dijudicandis. Conuentu enim finito, cùm causæ sint innumeræ iudicandæ,earum tractatio in præsens omittitur,& in cõuentus ulteriores profertur.quo fit, ut multi causas suas uel componant,tametsi iniquis conditionibus: uel prorsus aduersarijs tradãt, moræ & impensarum ingentium impatientes. Quòd si causæ tenues essent,leuius id ferendum foret: sed plerunq; grauissimę sunt, uel de possessionum terminis, uel de integris hæreditatibus, uel de iniurijs minimè ferendis. Iam inter iudices qui in conuentibus de more deliguntur,solẽt interdum esse qui non obscurè dictitẽt,multas causas esse supra captum cognitionis suæ. Cùm autem & ratio & æquitas id postulet,ut publicum hoc totius orbis Sarmatici consiliũ instructũ sit rebus omnibus ad causas omnium & ad negotia pertractanda:certè periniquum fuerit, si qua causa uel cognitorum imperitia claudicet,uel tempore exclusa agi non posit. Optimo igitur iure postulasse putandi sunt, qui quasi decemuiros ex omnibus regni ordinibus legi uoluerint: qui nõ tantùm per dies comitiales, sed toto anni tempore causis ex omnibus nostris prouincijs ad se delatis, cognoscendis iudicandisq; operam præberent. Inductus est mos eiusmodi iudiciorum à uiris & legumlatoribus prudentissimis olim in Respub. Græciæ. Erant apud Athenienses Areopagitæ,multis præclarissimis iudicijs celeberrimi. Itaq; & deos iudicasse,& dij primùm illud iudiciũ exercuisse, à ueteribus perhibentur. Erant & Amphictyones. publicum consilium ex septẽ Græciæ ciuitatibus conflatum. Horum exemplo iudicũ centuriæ in plerisq; Rebuspub.cõstitutæ sunt,& ad hæc usq; tempora durant:ut totius nationis Germanicæ Spiræ,quę urbs est ad Rhenum sita: omnis etiam Galliæ,Lutetię,in eo loco quem Perlamenti nomine appellãt. Cur igitur & nos non imitemur Rerumpub. optimè constitutarũ exempla? Cur non curemus,ex omnibus ordinibus deligi prudentissimos quosq;, & legum & omnium doctrinarum peritissimos, qui causas ex omnibus nostris prouincijs ad se appellatione delatas iudicarent: quos non tantum doctos, sed multis uirtutibus prædi tos esse oporteret, ut & possent & uellent iusticiam unicuiq; administrare: apud quos diuitis & pauperis, nobilis & plebeij, ciuis & peregrini, domini & serui discrimen esset nullum, sed qui constantem & perpetuam uoluntatem haberent tribuendi unicuiq; quod suum est: qui non temporibus dispartitis,sed omni tempore totius anni ex lege iudices sederent: qui ex æquo potestatem haberent in omnes populos in eadem Repub. uiuẽtes: ad quos prouocationes essent ab omnibus magistratibus,ab illis uerò ad aliũ neminem. Horum uerò non tantùm munus iudicandi esset,sed & reconciliãdi discordes,& tumultuantes compescendi,& litium causas precidendi

ac nisi res aliter componi possint, tum uerò pro tribunali sedendo causas cognoscendi, ac unicuiq; ius suum reddendi. Hac ratione & querelis de iudiciorum prorogatione obuiam (ni fallor) iretur, & causidicorum artibus minimū loci relinqueretur. Via etiam præcluderetur ijs, qui Romā usque uel in certas prouincias cursitent, non rarò quidem leuissimis de causis, semper uerò iactura maxima cùm pecuniæ tum morum. omnia enim domi relinquunt neglecta, & amicos, & familiam, & ecclesias, & Rempublicam. Sed sunt qui hoc genus iudicum parum necessarium esse putent, quòd res omnes ijs iudicijs, ubi de more Palatini cū Castellanis & reliquis magistratibus congregantur, expediri possint. Verùm in multis id genus magistratibus sępe diligentia iudicandi, & multa alia desiderantur. Deinde quia domestici sunt, partim necessitudines, partim offensiones mutuæ, animos illorum à uero abducere possunt. Quod non tam facilè caderet in eos, qui ex omnibus municipijs, iudicio uniuersi conuentus deligerentur. Alij ab eiusmodi iudicibus propterea abhorrent, quòd periculosum uideatur tales iudices perpetuos esse, qui in omnes partes securi, aliorum iudicia non timerent. Verùm qui ita loquuntur, non tam rem ipsam de qua diximus improbare, quàm abusum metuere uidentur. Negari enim nō potest, multas multorū hominum causas de conuentu in conuentum reiectas, desperatione quadam & sumptuū magnitudine desertas esse: quæ si iudicia centumuiralia, eaq; perpetua exercerētur, & sumptu minore, & tempore breuiore expedirentur. Deinde & illud constat, quemadmodū Reip. interest, artifices rerum omnium certos & probatos esse, qui artis suę opera faciāt: ita eidem conducere, ut sint certi quidam, qui studium iudicandi profiteantur, ad quos prouocari à iudicibus alijs omnibus possit. Quorū si uel tyrannis metuitur, uel perpetua in hoc officio mansio suspecta habetur, sint sanè tēporarij. Sit in illos iam ex centurijs iudicum exactos, potestas animaduertendi. Id enim olim Romæ usitatū fuit, ut quamuis omnis potestas sacrosancta esset: tamen abeuntibus magistratu actio iniuriarum, maleq; obiti officij intendi posset. Cuius rei metu continebantur in officio magistratum gerentes: uiam uirtutis deserere non audebant: nec in tyrannidē facilè prolabi poterant. Igitur si non placet iudices hos perpetuos esse, sint ad tempus trium aut quatuor annorum. Quorum si quæ uitia timentur, non minus & aliorum cuiusuis generis timenda sunt. Vix aliquis inter iudices in cōuentu uniuersorū assumitur, qui non ijsdē uitijs laboret, quibus isti de quibus agimus laborare possent. Ergo si hi rejciuntur, & illi in totum rejciendi essent. Quòd si metuimus tyrannidē iudicū, si perpetui constituerentur: tollamus igitur magistratus omnes perpetuos è Repub. à quibus non minor quàm à iudicibus tyrannis metuenda

est.

est. Quin ergo abusui, quantum licet, occurramus: rem autem necessariam & salutarem amplectamur? Mihi quidem tyrannidi occurri posse uidetur, si non ij deligãtur qui ambiant, qui'ue impotentius se in rebus alijs gerere uisi sint. Ac ne quid loci sit aliquibus inuadendi hoc munus, nõ abs re uideretur, ut forte primùm eligerentur ij qui postea iudicio eligerent iudices, quos optimos & prudentissimos esse putarent. Qui contempto hoc iudicum genere, à rege uolunt singulas causas cognosci, non secus faciunt, quàm si ingenti numero hominùm ægrotantiũ, uellent aliquem unum medicum præficere, peritissimũ quidem illum: sed cum ille omnibus operam dare non posset, mallent maximam illorum ægrotantiũ partem perire, quàm ut ille impertiret doctrinam & rationem medendi alijs, qui uicem eius implerent hominibus curandis, & ad sanitatem restituendis. Videmus regem nullo modo sufficere posse tot tantisq; causis cognoscendis. Videmus multos, priusquam causę suæ à rege cognoscantur, opprimi uarijs modis ab aduersarijs, confici tædio, gladio, uel alio mortis genere perire. Quæ igitur, malũ, uesania est, cùm regem alijs rebus occupatissimum, tot causis iudicandis præesse minimè posse uideamus, ut non id curemus, quò ille hanc prouinciam alijs mandet? atq; tales iudicum decurias constituat, qui finem imponant controuersiis? Eligerentur autem ex omnibus ordinibus in has decurias: siquidem omnes ordines iudicare deberent. De numero eiusmodi iudicum si quæratur, uidentur nouẽ sufficere tanto muneri. Nihil tamẽ refert, hunc numerũ minui, augeri'ue: aut etiam ex singulis municipijs singulos deligi. Veruntamen, si uerum est omnem multitudinẽ párere confusionem: cauendũ est, quoad eius fieri possit, ne sint longa subsellia iudicum. Melius & citius explicabũt rem quamuis implicatã, pauci periti & experientes, quàm multi imperiti: qui tantum numeri causa locum iudicũ occuparent. Solent tales, serere sermones, & dilatare, nihil ad rem pertinentes. Solent peritioribus obstrepere. Deinde numerãdis sententijs plus intenti quàm ponderandis, sententia quam sequantur ut ualeat, cõtendere solent. Sed nos numerum certum definire non possumus. Proponimus autem exempli causa nouenarium, ut quod de eo dicemus, de alio quoq; dictum intelligatur. Sint igitur iudices, de quibus agimus, nouem. Eorum autem tres ordinis ecclesiastici, tres equestris, tres plebis: à quo numero iudicium uel collegiũ Nouemuirale uocaretur. Imparem numerũ proponimus propterea, quòd in paritate discordantium sententiarum semper aliquis quærendus esset, qui ad alterutram sententiam se adiungeret: qui tamen ad imparem numerum minimè est necessarius. Nam etiamsi discordes essent iudices, maior numerus uinceret minorem. Conficiendum autem diximus hunc numerum ex ordinibus omnibus ideo, ut quisq;

ternarius sui ordinis homines iudicet. Nihil tamen impediret, quò minus singuli ternarij iudicandis suis hominibus, alijs ternarijs uterentur pro assessoribus ac consultoribus. Nam etsi iura & leges uariæ sunt, ex quibus iudicentur ordines illi: tamem similitudine ex unis legibus in alias transferri possunt. Optandum aũt est, ut unę leges scriberentur omnib. populis, qui uni principi subiecti sunt, quẽadmodum membra corporis unius eodẽ spiritu uegetantur, mouẽtur, & gubernantur. Cuius rei efficiendæ magna haud dubiè occasio præberetur his nouẽ uiris, qui unà semper essent, de rebusq́ & causis omnib. inter se cõmunicarent. Multa incõmoda accidunt ex prorogationibus iudicialibus usitatis. Sedeant igitur iudices generales perpetuò ad ius dicendum: nullo quidem die excepto, nisi ijs qui in iudicijs ecclesiasticis pro ferijs habentur. ut sunt dies festi omnes, & nonnulli profesti: nec non tempus messis, quod à festo Margaretæ ad festum Bartholomæi extenditur. In hunc numerum tempora belli & cõuentus includẽda uidentur. Tempus cognoscẽdi et finiendi unãquamq; causam, quę ad hos iudices perferretur, trimestre esset. Vnus mensis toti causæ cognoscendæ daretur: altero mense de sententia deliberaretur: tertio ferretur eadem, quam de scripto recitari par esset. Neq; enim scribæ, nec partibus ulla esset dubitatio, de sententia scriptis mandata: cum quidẽ de ijs quæ sine scripto feruntur, soleãt esse non modicę partium altercationes. Ne autem partes quæ litigarent, sumptibus iudicialibus onerarentur, mediocre aliquod precium cõstituendũ esset, seu pro scriptura, seu pro operis iudicũ: ultra quod preciũ nefas esset plus exigere. Potestas horum iudicum esset, cognoscendi, iudicandi, & sine debito terminandi causas omnes ad se perlatas, sine ulteriori prouocatione. Itaq; à sententijs eorum prouocari nemini liceret, nisi fortè res noua esset, & inaudita: nec unquam in iudicio uersata, nec legibus comprehensa. Tum enim iudices ad regem & conuentũ uniuersorum appellari permitterent, causamq́ partiũ propositis & responsis unà conscriptis, remitterent. Sententia autẽ de causa eiusmodi à rege lata, iudicibus deinceps pro lege esset, ad causas similes iudicandas. Sedes ac domicilia iudicum de quibus agimus, collocarentur in aliquo loco salubri, & rebus necessarijs abundanti: ac in primis qui ęqualiter, quantũ fieri posset, à municipijs ac prouincijs omnibus Sarmaticis distaret: qualis uel Cracouia, uel Petricouia esse uidetur. Ædes singulis propriæ curarentur: coniunctæ illæ quidem & continentes, ut solent esse collegiorum. Haberent ædes illæ ipsę, commoditates omnes pro ipsis iudicibus, & eorũ scribis: pro uxoribus, item eorũ (siquidẽ essent mariti) liberis, ac omni familia. In loco medio, qui inter ædes illas esset tanquam insula, templum ædificaretur, ubi iudices cum suis omnibus rei diuinæ uacarent: suasq́

actiones

actiones Deo immortali cōmendarent, à quo est rectum iudicium, & bona omnia. Proximè templum esset curia, in qua iudices ius dicerent, ac iudicia exercerēt. Quoniā autem nemo militat stipendijs suis, dignusq́ est operarius mercede sua, Reipub. interest, consulere necessitatibus iudicum generaliū. Primùm igitur singulis in uicinia darentur pagi singuli, ubi pro tempore rusticarentur, hortos & agros colerent: eaq́ tanquam in promptuarijs haberent, quę ad uictū essent necessaria. Si pagi eiusmodi aliunde haberi non possent, à ditioribus uel Abbatibus uel Episcopis petendi essent. Sin minus impetrarentur à præsentibus, facilè ab ijs obtinebuntur qui in horum loca proximi successuri sunt: siquidē sacerdotio nō prius ornentur, q̃ fidem faciant, se id Reip. causa donaturos esse. Quanta autem ijsdem iudicibus pecunia annua danda, & unde cōquirenda sit, in tertio libro dicemus. Quoniam autem ambitiosorum & fucorū magnus est ubiq́ numerus, ne cōmoditates quas diximus, aliquos allicerent ad petendum hoc munus iudicandi, danda esset potestas iudicibus à conuētu electis, ut ipsi deinceps suo iudicio in locum demortuorum alios sufficerent & eligerent: ea quidem fide, quam iureiurando dedissent, cùm in hoc collegium iudicum allegerentur. Quam electionem uel conuentus, uel si eius tempus procul abesset, rex sua authoritate confirmaret: electumq́ ac confirmatum iureiurando, ad modum suprà expositum constringeret. Ac ne ob eius absentiam iudicia negligentius fierent, ad iudices alios continuò remitteret. Est autem hoc pernecessarium, ut quemadmodū alij artifices melius de arte sua, quàm eius imperiti, existiment: ita iudices, eos sibi collegas asciscant, quorum industriam, peritiā & probitatem in iudicijs perspexissent. Aliter ambitioni occasio non prę cideretur: eoq́ tandem ueniretur, ut quemadmodū fit in sacerdotijs, ita in hoc honore multorū prensationes uideremus: hiq́, quorum potestas esset, non quos idoneos putarent, sed uel quibus fauerent, uel à quibus maximè ambiti essent, eos iudices facerent: ueniretq́ hoc munus pedetentim ad homines malos, iudicandi imperitos, & ignauos. quod quam perniciem afferret Reip. ex ijs æstimare licet, qui honoribus titulotenus gaudent.

CAPUT XVII.


De conuentibus uniuersorum.


IVDICIIS rectè constitutis, conuentus breuiores essent: quos tamen ipsos omni anno haberi necesse foret. primùm ad inspicienda regni, si quæ emerserunt, uulnera: & ad medicinam eis faciendam. Deinde, propter oratores externos, qui à suis Principibus ferè in conuentus solent mitti. Ad hæc, ad uoluntatum exterorum populorū erga nos disquisitionem: tu-

ta'ne sint nobis ab illis omnia? an uerò aliquid ab illis metuendum? num quid difficultatũ aut damnorum nobis sit ab illis'illatum? Bellum num contra aliquem decernendum? an rationibus alijs occurrendum hosti? Num aliquod tributum Reip. causa sit imperandũ? Sunt & illa, quæ extra conuentum uix tractari possunt, iudicia famæ ac honoris, quę in omnibus Rebusp. principibus ac regibus reseruata sunt: magistratuũ quorundã distributio: rationum fisci examẽ, & reliquæ summæ inspectio: ut inde cõijceretur, num sit necesse aliquam pecuniam contribui. Verùm constitutis iudicibus generalibus, conuentus multo breuiores essent: una & altera hebdoma da'sufficeret conuentui. ad quem oratores municipales tanto numero, ut solent, uenire minimè necesse esset. Et qui uenirent, eos aliquid à fisco accipere, ualde incommodum Reipublicæ. Quanta enim summa illis sumptuum nomine numerari solet? Quæ si in militem, aut ædificia, res'q; necessarias conferretur, non malè consuleretur Reip. Facerent & ipsi de suo sumptus reip. causa, à qua bonis & priuilegijs multis sint aucti, & ornati. Multi procerum conuentus tempore multos florenorũ millenarios exponere solẽt, utpote conuẽtibus extractis in multas hebdomadas. hos sumptus in alias Reip. necessitates conferri, pulchrum & utile esset. Sed de conuentus rationibus hactenus: ad iudicia redeamus.

CAPUT XVIII.

1. De accusatoribus & defensoribus, tum suas causas agentibus: 2. tum publicas. 3. De censoribus. 4. De causidicis.


LTRA personã iudicis, duæ in iudicio personæ necessariò requiruntur, accusatoris & defensoris. Vterq; rem simplicissimè exponere debet. Si quid
1 per alterutrũ falsò ac per calumniã, decipiendi uel iudicis uel aduersarij causa, expositum dictum'ue fuerit, id nec diu latère potest, nec impune erit. Est enim Deus ille iudex æquissimus, & oculatissimus, omne puniens mendaciũ, nulli parcens iniquitati. Multi tum petitorum, tum reorum, utuntur procemijs ad rem, qua de agatur, nihil pertinentibus. Recensent sua suorum'q; maiorum merita in Rempub. quæ si sint minus illustria, commemorant ea quæ aliquis unquam suorum gentilium, quamuis sanguine à se remotorum, præstitisset uel Principi, uel ipsi Reipub. atq; ut id pudore fiat minore, sępe per alios id curant suæ causæ actores, qui illis ornamenta ac triumphos gentilicios uel per uim applicent: ex quibus tandem acutè argumententur, puniendum esse illum qui accusetur, seuerissimè, si quidem partes accusatoris agunt: uel absoluendum, si defensoris. Non rarò accidit, ut audiendis eiusmodi cantilenis,

Polloni tollant equites peditesq; cachinnum.

Cùm

Cùm autem tales præfationes ad rem institutam faciant nihil: sed uel emerendi fauoris iudicis, eiusq; mentis à ueri cognitione auertendæ, uel aduersarij opprimendi causa, aut certè ad tempus extrahendum, iudiciumq; frustrandũ adhibeantur: tollendæ sunt è medio, & à foro iusticiæ propulsandæ, uoceq; præconis (quod olim iussu Areopagitarum Athenis factum est) interdicendæ: ac partibus ipsis imperandum, ut de re ipsa loquãtur apertè & simpliciter, sine fuco omni, omniq; fallacia. Omnino iudicis est, sine amore ac miseratione, sine ira, odio, inuidia, sine pertinacia de rebus purè & nudè propositis, ex suis ipsarum rationibus ac argumentis, non ex personarum, nec meritorum aut demeritorum alicuius respectu, iudicare. Sedet enim, non ut cupiditati alicuius obtemperet, sed ut reddat unicuique ius suum. Olim datis clepsydris, præscribebatur partibus tempus ad dicendum: ne longitudine orationis abuterentur, ad offundendas iudici tenebras. Verùm iustissimum fuerit, lege cauere, ne cui de re sua dicenti, extra rem egredi, neu præsidijs aliunde accersitis uti liceat. Facetè admodum à Martiali notantur, qui uel exordijs, uel perorationibus illis delectantur, ad rem nihil spectantibus, hoc epigrammate: *Mar. lib. 6.*

Non de ui, neq; cæde, nec ueneno,
Sed lis est mihi de tribus capellis:
Vicini queror has abesse furto.
Hoc iudex sibi postulat probari:
Tu Cannas, Mithridaticumq; bellum,
Et periuria Punici furoris,
Et Syllas, Mariosq;, Muciosq;
Magna uoce sonas, manuq; tota.
Iam dic Posthume de tribus capellis.

Petitoris est, actionis, qua utatur in reum, nomen disertè exponere: rei etiã, exceptionis caput apertè declarare. Hoc enim prætermisso, uersabitur uterq; tanquã in tenebris: nebulæq; iudici offundentur, ignaro quid in iudicando sequi debeat. Illud etiam minimè ferendum est in accusatoribus, defensoribusq;, ut magna hominum frequentia stipati, aut etiam armis accincti, ueniant in iudiciũ. Quorsum enim & cateruæ eiusmodi & arma pertinere intelligenda, quàm ad metum incutiendum & iudici, & aduersario? Audiui magnum quendam, & iudiciorum expertum uirum, cùm narraret, inter potentes & infimæ sortis homines nullum eiusmodi iudicium longissimo iam interuallo celebratum esse, in quo potens quamuis nocens condemnaretur: concordia causas tales ferè expediri, ut ad potentem lucri aliquid perueniat, uel summa aduersarij iniuria. Sin causa potentem cadere contingat, tunc tam iudici quàm aduersario insidias strui, & pericula intentari. Ergo omnes cateruæ, omnia ar-

ma, à subsellijs iudicum amoueantur. Soli adueniant, inter quos res agitur, ad eum locum, ubi respectus nullus est personarum. Decet enim iudicem, maiestate sui magistratus, ac legibus ipsis, ab omni ui tectum esse: quo liberius de re omni sententiam ferat, iusticiæ congruentem. Decet, conditioni hominum quamuis tenuium contra periculosissimas omnium potentias consulere ac prouidere: decet omnes ad iudicem uenire, tanquã ad tutorem iusticiæ, atque ad eum qui ius dubium explicet, peruersisque hominum affectionibus mo-
2 dum imponat. * Non minus necessarium, ut in eos qui in Rempublicam uel honoribus obtinendis, uel facinoribus alijs perpetrãdis aliquid commisissent, publicè accusatores constituantur. Etsi enim iure optimo omnes ad publicas accusationes admittẽdi sunt, quòd crimen & iniuria ad omnes pertineat: tamen quia & nomen accusatoris sustinere graue sit, & officio fungi multo grauius: minore inuidia laborabunt, quibus hæc persona à Rep. erit imposita. Idem de defensoribus sentiendũ, ut constituantur qui reorum causas tueantur. Qui reus non est earum facultatũ, ut soluere posit aduocato, qui se tueatur, huic Respub. curet eiusmodi patronum suo sumptu: ne quis ob inopiam uel sua imperitia, uel iudicis errore, minus iustè condemnetur. Curent autem tam accusatores quàm defensores, ut se strenuos gerant muneribus suis exequendis. Tam enim interest Reipub. sontes puniri, quàm insontes absolui. Sola accusantem niti ueritate, honestum est: conuicijs autem & maledictis indulgere, turpe & inhumanum. Romæ quidem honorificum sibi putabant uiri principes, tam accusare ciues noxios, quàm defendere innoxios. Et certè magnificum est in primis, omnibusque tum priuatis, tum qui in magistratibus sunt, gloriosum, eum à quo nulla priuatim iniuria læsus sis accusare: eum etiam defendere, à quo commodi nihil expectes: sed solius Reipub. causa illum adducere in iudicium, hunc periculo liberare. Itaque M. Cicero Verrem accusauit: defendit Sestium, Murænam, & alios permultos. Idem fecisse C. Iulium Cæsarem, illum Romanæ monarchiæ primum conditorem, Cic. testatur. Cato iunior tribunus plebis, cùm iureiurãdo professus esset, se ei quicunque largitione adipisceretur magistratum, diem dicturum esse, accusauit L. Murænam consulem designatum ambitus, quòd per largitionem obtinuisset. Sed Muræna M. Cicerone defendente absolutus, tantum abest ut se inimicum Catoni præberet, ut & in consulatu omnia ex eius sententia gereret, & in reliqua uita illum obseruaret. Vidit nimirum Muræna, Catonem non animo inimico, sed Reipub. studioso, ad accusandum descendisse. Itaque uir bonus, eius' que cuius accusabatur criminis minimè sibi conscius, nihil de beneuolentia in Catonem sua remisit: sed magis etiam se illi debere prætulit, quòd Reipub. causa contra omnes qui eam læsisse putarentur, acerrimè

accerrimè pugnaret. Nec incommodum esset, si, quemadmodum 3
Romæ olim, & in Græcis Rebuspub. apud nos quoq; Censores uel Nomophylaces constituerentur: quorum munus esset, nõ tantùm mutas legum literas obseruare, sed corruptoribus contrauenire, uimq; & dignitatem earum tueri: ac eis ita consulere, ne aut desuetudine abrogentur, aut temeritate et audacia alicuius uiolentur. Ad hæc etiam, facta hominum, quod in primo libro tradidimus, notare, ad legesq; reuocare: atq; accusatores, quid facto opus esset, admonere. ita inuidia inter multos partita, magis tolerabilis foret. Si le- 4
ges ea breuitate & perspicuitate conscriberentur, ut facilè disci, & à quouis intelligi possent: certè illud quoque fieret, ut multi causas suas iudici exponerent, neque necesse haberent causidicorum opera uti: qui profectò suis fucis causas sæpe intricatiores reddunt, & in multos annos extrahunt. sic enim ex fortunis clientum suorum ditescere didicerunt. Itaque interest Reipublicæ, iuratos causidicos habere: atque precia constitui, ultra quæ nihil à cliente illis petere liceat.

CAPUT XIX.

Executores sententiæ à iudice latæ: & hic de carnifice.



RECTE illud constitutũ est, ut de quo à iudicibus sententia lata est, id alij magistratus exequantur. Quo enim minus laborabunt ex inuidia ij qui res ab alijs iudicatas perficient, eo facilius exequutionibus fines imponentur. Nescio an carnificũ hic mẽtio sit facienda. nam & illi ministri iudicũ sunt, quorum imperata exequuntur: & nisi illi essent, iudices sententiam suã, ne inanis esset, exequi oporteret. Quòd si magistratus in hunc usum gladium gestat, ut nocẽtes puniat: certè qui carnifici à iudice porrigitur gladius, is magistratus esse putãdus est. Non igitur propter eam functionem ex cœtibus aut ecclesia eijciendus est. Finge enim omnes seu infamia, seu sacrorum interdictione deterritos, carnificum munus fugere: quis tandem facinorosos uel suspendet, uel detruncabit, uel alijs supplicijs afficiet? an ipse iudex? an nemo hominum? omnino ut ne scelera impunita essent, oporteret publicè carnificem constitui. Non igitur munus eius abominandum: neque ipse fama, consuetudine hominum, aut sacris expers esse debet. Hoc dicendum erat, propter peruersa (ut ego puto) quorundam iudicia, qui non tantùm societate ciuili, sed sacris cœtibus, & mysterijs à Deo institutis, carnifices prohibendos putent: non aliam ob causam, nisi quia iudicum imperata faciant.

CAP.

CAPUT XX.

Poena exigenda à condemnatis.



OGANTUR autem omnes qui condemnati sunt, iudicatum facere, seu poena luēda sit capite, seu pecunia, seu quouis modo alio. Nihil enim pernicio-sius est Reip. quàm cum quidam potentes poenas Reip. non pendunt. Video etiā illud multis placere, ut ne quid mulctarum uel ad iudicem, uel ad accusatorem perueniat: sed uel ad partem læsam, uel ad Rempublicam. Sic enim nec accusatores intendere alicui actionem, nec iudices aliquem condemnare suorum commodorum causa uidebūtur. Poenam Reip. debitā nemini remittere fas sit, nec Regi, nec ulli magistratuū: multo minus hominibus priuatis. Quod cum in uniuersum accipiendum sit, tum uerò de homicidijs, adulterijs, uirginum uitiatarum, & id genus scelerum poena: quæ ut prorsus exigatur, permultum interest Reipublicæ. Causa iudicata, multa apud nos impedimenta sunt, quo minus executionibus fines imponantur. Est itaq; regis, in eos animaduertere, qui iudicatū soluere recusent. Qui si possessionibus careant, uinculis, uerberibus & supplicijs meritis afficiantur. Si fundos & bona habeant, ea (siquidem de recuperatione agatur rerum amissarum) publicè possideantur à rege: ac res iudicata ex ærario soluatur ei, cui debetur. Improbant quidā quod diximus, quasi hæc sit uia ad tyrannidem, quam principes, prætextu defendendi inopes, facilè possint occupare: uerùm si rectè iudico, non prætextus, nec occasiones inopes defendendi ad hunc modum captantur: sed res iudicatæ stabiliuntur, quibus status Reip. maximè continentur. Quorsum enim sententiæ feruntur, decreta interponuntur, si qui damnatus est, iudicatum facere recuset? Quotus autem quisq; damnatorum est, qui non recuset? Vix est aliquis, quamuis iustissimam causam habens, qui ex edicto in possessiones damnati uenire permittatur. nam uel eas adire prohibetur: uel si adeat, altero die exturbatur. Atq; illud oppidò quàm ridiculum, etiam regiæ potestati (brachium regale uocant) possessionē ob rem iudicādam capere, uel à uetula uno uerbulo prohiberi posse. Et duplicantur quidem à iudice, aut etiam triplicantur mulctæ exturbatoribus: uerùm haud scio, an qui eas unquam depēderint. Iniuriam uerò passi, non tantùm de fortunis, sed de capite periclitari coguntur: nec domi nec foris tuti esse possunt ab illis, qui intulerunt. Multis ista uadia (sic enim mulctas uocāt) duplicata, triplicata, seu etiā decuplicata, magis ad iusticiam extrahendā quàm promouendam excogitata uidentur. Multi summa uoluntate duplicationibus istis caruissent, si modò ius suum recuperassent: sed res iudicata sæpe hæret in salebra.

CAP.

CAPVT XXI.

1. Leges à quibus emendandæ. 2. Methodus earum unde sumenda. 3. Scribantur uerbis perspicuis, & rationibus additis. 4. Et de rebus similibus similes. 5. Et unis populis una. 6. Plus debent ualere, quàm mandata principis.



ED caput horum omnium est, ut leges emendentur, uiáque & ratione cõscribantur. Qua de re sæpé actum est in cõuentibus anniuersarijs: sed semper multa desiderata sunt in illis correctionibus. Nonnulla ex quorundam libidine magis, quàm ex æquitate constituebantur: uetera abrogabantur, noua excogitabantur. Hinc fit, ut tot leges, tot constituta sint, ut nullius industria aut memoria sufficiat omnibus complectendis. Neque tamen ea diuturna sunt: pleraque anno uertente in nihilum uertuntur, iudicibusque magnam afferunt dubitationem, ignaris quid iudicando potissimum debeant sequi. His adde mandata principis, in alicuius gratiam data: quæ & ipsa distrahunt iudicis animum, quasi in biuio hærentem: qua uia ad sententiam ferendam sit ingrediẽdum, & an mandatis an constitutis magis obtemperãdum. His rebus occurri non potest, nisi ratio alia inita fuerit legum figendarũ. Qua de 1
re multa mihi cogitanti, nihil magis commodũ Reipub. uisum est, quàm si ex omnibus ordinibus peritissimi quique deligantur: non ij tantùm qui iudiciorum formas & cautiones, quique leges & cõsuetudines patrias cognitas habeant: sed qui legum aliarum sint periti, ut Pontificiarum, Romanarũ, & gentium aliarum: qui & historias omnium ætatum, & philosophorum de moribus ac legibus disputationes, & sacrorum Bibliorum sanctiones habeãt perspectas: qui exterarum nationum mores uiderint, & urbes: denique qui sint ab omni eruditione liberali quàm paratissimi. Tales enim fuisse ueteres & legislatores, & Iurisperitos, qui & Græcis & Romanis leges conscripserunt, monumenta illorum testantur. Itaque & leges rectè & ordinè scripserunt, & eas posteritati longùm uicturas commendarunt. Certè aut ab hominibus eiusmodi aliquid cõstituetur ad perpetuitatem, aut à nemine alio. Quid enim certi & diu duratu ri potest ab istis constitui, qui magis in rei familiaris cura, & fortè etiam nonnihil in foro uersati sint: earum uerò artium, quæ fontes legum & omnis æquitatis continent, sint ignari? res ipsa sępius iam declarauit. Igitur, si placet, liberemus hac legum emendandarũ cura, ferè quotannis redeunte, homines equites: eisque res bellicas, tanquam materiã quã tractent, & in qua se exerceãt, relinquamus. prouinciã uerò legalẽ omnẽ, iurisperitis, philosophis, historicis demus: hominibus maiore, ut par est, iudicio, mitioribus, & minus perturbatis affectibus, quàm reliquum hominum genus: ut ueri simile sit, & prudentiùs, & minore, aut certè nullo personarum respectu eos

Reipub. consulturos: meliusq́ in re omni ęquitatem perspecturos, quàm eos qui in luce hominum uiuentes, plus uel temporibus, uel amicis, uel affectionibus priuatis inseruire cõsueuerunt. Multi damnant Vlpiani sententiam, qua scripsit, principem legibus solutum esse: quę etsi commodum sensum habeat, ut infrà ostendemus, tamē quia Vlpianus pro tutore habitus est ab Alexandro Seuero imperatore, putant eum magis gratiæ causa quàm ex ueritate ita scripsisse. Sed de hoc uiderint, quibus hæc sunt magis perspecta. Tametsi uix putem, sensum dicti illius germanum ex paucis Iuriscõsulti uerbis elici posse: cùm quidem integra iurisperitorum temporis illius scripta desiderētur. Quòd si à talibus legumlatoribus metuendum esset: principes etiã multis affectibus sæpe impediantur, quo minus uideant quod rectum sit: de quorum nescio quo proditum est,

Aelius Lampridius in Alexãdro Seuero.

— *Fixit leges precio, atq; refixit:*

haud sciam cui melius committatur tractatio legũ, quàm quibus dixi, hominibus in omni doctrinę genere uersatis, ab ambitione et aura populari alienis. Addamus, si uidetur, ad illos, eos quoq; qui in foro sint multum uersati. Est enim horum quoque artificum hæc tractatio propria, in qua ingenium & artes poterunt exercere suas. Aliqui iurisperiti aut legislatores memorantur, qui leges cõposuerint principibus cõmodas, populis subiectis incommodas: nonnulli metu, alij spe, alij amore, quidã alijs affectionibus impulsi: quales & hi fuisse uidentur, qui odio plebeiorum multa indulserunt ordini equestri. Et tamen leges omnes receptæ sunt ab hominib. partim stultis, partim meticulosis, aut alijs & alijs cupiditatibus concitatis. Sed uulgus imperitum & imbelle, facilè impelli cogiq́ potest ad omnia perferenda. His rebus omnibus prudentis est legislatoris occurrere, ne quid cõmittat legibus ferendis, quod bono & æquo repugnet. Non licet illi partiũ esse studioso, qui toti Reip. cõsulit. Decet eum omnibus perturbationibus uacuũ esse, qui ad solam æquitatis normam omnes leges dirigere debet. nõ enim est locus nec bonis consilijs, nec æquitati, cùm animum prauæ ac distortę affectiones occuparunt. 2 Neq; illud dubitandũ est, multa ex legibus Romanis mutuanda esse: imò uerò si quid solidi & constantis efficiendum est, uia & ratio, quam Græci methodum uocant, tota ab eis sumenda est. Neq; ego ignoro, multa in iure Romano desiderari à multis. Iustinianus imperator breuitatem desiderabat: ideo ueterũ iurisperitorũ iustis uoluminibus (ut ferunt) exustis, in cõpendium ius redigi curauit. uetuit etiã, ne quis, pręter breuiaria & epitomas, in leges aliquid scriberet. Alij alia desiderãt: ideo & Saxones, & Frisij, & alij Germaniæ populi, quãuis Romano imperio subiecti sint, legibus municipalib. magna ex parte uiuunt. Hodie tanta est turba commentariorũ, quæ ius magis confundant q̃ explicent, ut nõ immeritò

meritò compendium legum aliquod à multis prudentibus requira-
tur. Et tamẽ si quis ad leges suę Reip. scribẽdas animũ adijceret, hic
certè legibus Romanis multũ iuuaretur. multa enim in eis extãt ue-
terum iurisprudentum & imperatorum prudentissimè consulta &
decreta. Erant uiri illi perquàm diligentes, & ab omni liberali eru-
ditione, etiam usu ipso paratissimi. sed quæ scripta ab illis, manibus
studiosorum teruntur, ea integra non sunt. Itaq; in eis apparet tum
legũ quarundã pugnantia, tum aliquando eiusdem rei eodem in lo
co inutilis repetitio. Cæterùm methodus legũ haud scio unde me-
lior, quàm ex Romanis legibus, petenda sit. Multa incommoda se-
quuntur doctrinæ incertitudinem. Igitur ex Romanis legibus su-
menda est uia & ratio legũ tradendarũ. Hæc autẽ & in scholis do-
ceatur, & in foro usurpetur: Commentariorum immẽsitas abijcia-
tur: simplex & aperta ratio æquitatis aperiatur. Hinc sequetur iu-
diciorũ certa obseruatio: difficultates multæ uitabuntur. Scriban- 3
tur autem leges uerbis perspicuis, quæ minimè cauillationibus sint
expositæ: & de similibus rebus, similes: & unis populis, unæ: ratio-
nesq; aliquæ addantur, legis æquitatem indicantes. Obscuritas e-
nim illa uocũ, multos nobis peperit interpretes, simulq; ansas dedit
uarias litigiorum. Est in nostris legibus scriptum, ut si quis alicui
graue dixerit conuicium, ac STATIM quod dixit non recantaue-
rit, luat pœnam marcarum sexaginta, simul'que palinodiam canat.
Vocatur quispiam in iudicium, qui conuicium factum STATIM
non recantauerit: ille apud iudicem recantat, ac uoculam STATIM
de illo instanti, quo ad iudicem uocatus, se ad primam diem stitit,
intelligendam dicit. Peruertere hoc quidem est, non interpretari.
Certè mens legislatoris erat, ut uel subitò, uel eodem in colloquio
conuicia recantarentur. Talia enim uidentur uel lapsu linguæ, uel
subita quadam animi concitatione, non studio obtrectandi, nec
de industria dicta: ideo legislator uenia digna putauit. quemad-
modum & Mimus dixit: Ignoscere humanum esse, ubi pudet, cui
ignoscitur: & Iulius Paulus iurisconsultus reliquit scriptum, Quic- ff. de reg. iuris. L. Quicquid.
quid calore iracundiæ uel fiat, uel dicatur, non prius ratum esse, q̃
si perseuerantiã apparuerit iudicium animi fuisse. An uerò tibi ui-
detur noluisse inquinare famam tuam, qui conuicio hodie in te ia
cto, canere palinodiam sponte non uoluit, nisi in ius uocatus? an
statim retractauit dicta sua, qui anno expleto retractauit? Fieri e-
nim potest, ut nõ prius eius rei iudicium quàm anno exacto exerce
atur. Atq; illud mihi admirari subit, tam ineptam interpretationẽ
uulgò à iudicibus in causis iudicandis recipi: cùm tamen & cum æ-
quitate pugnet, ut iam ostensum est: & sermonis natura minimè fe-
rat, ut particula STATIM ad illum sensum quem dicunt retorquea-
tur. Est qui ita imperet seruo suo: Confecto negotio quod tibi

imperaui, STATIM redibis ad me. Quis seruorum tam est ineptus,
ut illud STATIM interpretetur, cùm à domino noua mãdata de re-
deundo accepero? Nullus opinor, nisi qui uel sit mentis inops, uel
mandatum domini plano & dilucido sermone datum, calumnia &
malicia ludificari uelit. Facessant igitur à foro eiusmodi calumniæ,
& ineptiæ. Legibus etiam breues addantur rationes aliquę, æqui-
tatem explicantes. Nam & homines cordati libentius illis parebũt,
cùm ad æquitatem uidebunt compositas: & mali non facilè eas elu-
dẽt maliciosa interpretatione. Sit enim lex, quam dixi, ad hunc mo-
» dum scripta: Maledici conuiciatores sexaginta marcis mulctantor:
» nisi fortè dictum, contraria sententia, sine mora damnarunt. dignus
» enim est uenia, quẽ statim pœnitet facti. neq; cogitatũ, neq; de indu
» stria factũ scelus uideri debet, cuius palinodiã paulo pòst canere au
» thor nõ dubitat. Si igitur ad hũc modũ legi ratio & causa fuerit ad-
iuncta, certè ea non sinet uel illud STATIM, uel hoc SINE MORA,
falsa interpretatione corrũpi. Sed sunt, qui existimationi suæ parũ
consultũ putent, nisi conuiciũ in se iactũ, ad iudicẽ fuerit uel recan-
tatũ, uel à cõuiciatore prorsus negatũ. Quod nos quidẽ minimè im
probamus. Atq; hoc sensu legem illam sic scribendã putaremus, ut
qui ad iudicem uocatus non cõtinuò uel neget uel recantet dictum
cuius accuset, lege conuiciatoris teneatur. Quod aũt exempli causa
diximus de una lege, idem de reliquis intelligi uolumus. Cessarent
hac ratione & nocentiũ reorum, & causidicorũ, lites serentium, im-
pudentes calumniæ. haberent etiam iudices, & boni uiri, quo sen-
4 sum legis uerum defendere possent, ac tueri. Non minus & illud
necessariũ, ut de rebus simil ib. similes leges ponantur: quòd in simi-
litudine eiusmodi, prudẽtia, bonũ consiliũ, ęquitas maximè resplen
deat: in dissimilitudine temeritas, consilij inopia, iniquitas & iniu-
ria cognoscatur. Est lex apud nos de prętore, seu (ut nos loquimur)
sculteto inutili, ordine suo mouendo, deq; eius possessionibus redi
mendis. Optima lex profectò, & digna quæ in Rep. usurpetur. Est
enim boni prętoris, ius inter ciues suos dicere, cunctã ciuitatem pœ
næ metu ac pręmiorũ spe in officio cõtinere: deinde possessionum
quas prę cęteris habent ampliores, nomine, moribus nostris, in ex-
peditionẽ, cum res poscit, ire. Hæc qui prętor præstare non possit,
ferendus certè non est in suo ordine: plus enim Reip. consulendum
est, q̃ priuati hominis commoditatibus. Quod si interest Reip. id
curare, cur etiã non eadem lex ad reliquos magistratus trãsferenda
est? Omnino ex alijs magistratibus, si indigni sunt qui eos gerunt,
plura ad Remp. incommoda perueniunt, q̃ ex inutili prætore. Er-
go si iste ad eum modum, quem dixi, plectitur, cur nõ etiam inutiles
Episcopi, inutiles Palatini, inutiles Castellani, inutiles Præfecti seu
Capitanei, inutiles iudices, inutiles scribæ, ordine moueantur? cùm
quidem

quidem uniuscuiusq; istorum indignitas plus noceat Reip. quàm plurium scultetorū. Sed fortè qui legis de scultetis authores erant, domini scultetorum erant: itaq; tulerunt legem qualem uolebant, nempe sculteis formidandam, sibi ipsis minimè. Quid autem tyrannum est agere, si hoc non est? non enim ab eiusmodi legislatoribus Reipub. habita est ratio. Nam qui Rempub. rectè curare uult, & omnes eius partes curare debet, & potiores partes magis curare: ex quibus nimirum bene se habētibus, plus Reip. salus pendeat, quàm ex reliquis. Etenim si tu uel in nonnullas tantùm animum intendas, uel minores duntaxat, relictis summis, emendes, à re admodum (ut est nostratibus in prouerbio) tenui, rerum maximarum sumis exordium: extremitates corporis, & ueluti crines & ungues repurgare contendis: caput uerò ipsum, oculos & manus, quamuis se malè habeant, incurata relinquis. Videmus hanc legem non unicuiq; reddere ius suum: sed aliis metum incutere, alios in aurem utranq; securos reddere. aut igitur tollenda est, aut ad modum iam dictum amplificanda. Non decet uos, qui gubernatis res humanas, unicum tantùm hominum genus ob indignitatem punire: de illoq; solo statuere, quid eos habere, quid non, quem ad finem, & quò usq; liceat: in uos uerò ipsos tanta indulgentia esse, ut etiam si inertissimi, & in uestro officio negligentissimi sitis, nemo uos propterea in ordinē redigere posit. Quin si estis Reipub. plus quàm uestrorum commodorum amantes, à uobis ipsis hunc ordinem incipiatis necesse est. Et hæc de lege ipsa. nunc de eius interpretatione. Vulgus dominorum inutilem sculteum interpretantur, cuius fundos in suum commodū queant conuertere. Hoc uerò non interpretari est, sed legem bene scriptam cauillari. Profectò enim inutilis putandus est, qui nō facit quod sui est muneris: & ex quo nulla utilitas ad rem uel publicam, uel priuatā cuiusuis redundet. Nam si interpretatio illa locum haberet, tunc quidē dominis auaris occasio daretur, subditos, quorum bona occupare uellent, expilandi. Sed illi cauillatores addunt causam suę interpretationi, quòd se sumptus facere oporteat immodicos & in familiam alendam, & in supellectilem uariam, & in epulas. Quid'ni faciant? Atqui mala facienda non sunt, Paulo apostolo teste, ut eueniant bona: nec campanile (ut nostri homines loquūtur) spoliandum est, templi tegendi causa. Cur igitur tu hominibus panem ex faucibus eripis? cur eos ad egestatem redigis? Imò cur causam præbes eis uel ad furta, uel ad alia facinora, propter tuū seu necessariū, seu mentis errore à te fictum, splendorem? Nescis, multos ante te uiros maximos, quorum tu in locum successisti, non minores te sumptus fecisse: nihilominus splendidè uixisse, pauperes subleuasse, amicos ditasse, ecclesias locupletasse: & tamen possessionibus suorum subditorū prorsus abstinuisse? Quas cùm tu inuitis

illis eripis, an putas te inde ditiorem futurum? Imò & indies magis
egebis: & breui (niſi reſipiſcis) maledictionem Dei ſenties: nec diu
ſudore alieno fruêris. Omnino Reipub. intereſt, tales interpretes
in ultimas inſulas relegare: qui malicioſa et pernicioſa interpretatio
ne, multas peſtes bonis moribus inferũt. Ibitur autem obuiam per-
uerſis eiuſmodi interpretibus, ſi lege poteſtas eis erit adempta tum
redimendi ſcultetum ſuum, tum de eius inutilitate iudicandi. Iudi-
cium enim òmne tres exigit perſonas: nemoq́; ſuæ cauſæ iudex eſſe
debet. Igitur eius rei, quemadmodum aliarum, iudicium omne ſit le
gitimorum iudicum. Inutili porrò ſculteto poteſtas ſit, ut uel do-
net: uel iuſto legitimóue, precio uẽdat nõ domino, nec cui ille uelit,
ſed ei qui ipſimet ſculteto idoneus uidebitur. Vtile eſt autẽ Reip.
ordinem hunc conſeruare & tueri, tum propter iudicia quæ uel in
pagis uel in oppidis exercent, tum propter expeditiones bellicas.
His rebus potius conſulendum eſt, quàm licentia dominis permit-
tenda, ſtatuendi de ſcultetis quod uelint. Curabit igitur legislator,
& legem breui addita interpretatione illuſtrare, propter ſycophan
5 tas & cauillatores: & de rebus ſimilibus, leges ſimiles ſcribere. Huic
uerò ipſi danda eſt opera, ut unas leges ſcribat omnibus his pro-
uincijs, quæ unius principis dicto audientes ſint. Nam hoc profe-
ctò monſtri ſimile eſſe uidetur, ut qui in una Repub. uiuunt, quiq́;
uni principi obtemperant, diuerſis legibus utantur. Eſt enim Re-
pub. quaſi corpus alicuius animantis unum, cuius membra omnia
eodem ſpiritu uegetentur, omnes actiones ab uno quodam fon-
te procedant: aut eſt quaſi corpus hoc myſticum Eccleſiæ, uni
CHRISTO principi & capiti ſuo coniunctum. Cùm igitur unæ le-
ges à CHRISTO præſcriptæ ſint membris omnibus corporis hu-
ius quod eſt Eccleſia: cur etiam non eædem leges omnibus popu-
pulis præſcribantur, qui ſub eodem principe uiuunt? Certè una
eſt ratio iuſticiæ, ius ſuum unicuiq́; tribuens. Cur igitur nõ eadem
iura ſunt, quæ ab iuſticia unicuiq́; tribuantur? Cur poſſeſsiones,
quæ mihi iure Chelmenſi acquiruntur, eædem iure Magdeburgen
ſi adimuntur? Cur iure Polonico bona fratris mortui ſorori ſu-
perſtiti adimũtur, eadem illa iure Mazouitico adiudicantur? O-
portuit homines talium iurium conditores, tam diuerſorum, tamq́;
diſcrepantium, alios natos eſſe in oriente, alios in occidente ſole. Ta
metſi uerè ſi exiſtimandum ſit, ſimile lumen ueri cognoſcendi &
dijudicandi omnibus hominibus natura inditum eſt: ſed quia non
eodem modo excolitur, ita fit, ut alij acutius cernant alijs. Atque
utinam & leges Ciuiles & Pontificiæ eædem eſſent. Cur enim illæ,
genitis ex duobus fratribus, ſororibus'ue, matrimonium contrahe
re ſinunt, iſtæ non ſinunt? Cur illæ, ſine conſenſu parentum matri-
moniũ inire non permittunt, iſtę permittũt? Cur illæ, uitiantem uir-
ginem

ginem non cogunt ut eam habeat in matrimonio, istæ cogunt?
Denique cur illæ sermone præditis, uel sine uerbis, modò consen-
sus interueniat, matrimonio coniungi permittunt: istæ non per-
mittunt? Hæc enim, & alia permulta, à Bartholo iurisperito copio
se sunt exposita. Omnino ius esse nequit, quod ab iusticia seiun-
ctum sit. est enim iusticia quasi fons, ex quo iura manant omnia.
Cùm igitur iusticiæ regulam unam esse oporteat, qua æquum & ini
quum iudicentur: eam autem & perpetuam, & constantem: sequi-
tur, etiam iura, quæ quidem recta sint, eadem esse oportere. Nisi for
tè uarietas est rerum tanta, ut leges quoque uarijs in locis distinctas
esse oporteat. Veruntamen quantum effici potest, connitendum
est, ut de rebus ijsdem eædem prodantur leges. Nam propter le-
gum diuersitatem, & professores diuersi sunt, & multæ iuris cautio
nes, multæque tergiuersationes natæ: quæ lites infinitas, & multo-
rum annorum spacijs durantes pepererunt. Cùm autem hæc de 6
emendandis & cōdendis legibus erunt perfecta: tum illud sancien
dum, ne quid contra legem ualere possit, ne mandatū quidem prin-
cipis. Certè enim Resp. non arbitrio principis, sed ex legum præscri
pto administranda est. Tyrannica enim est sententia, qua princeps
aliquid contra leges fingitur posse. itaque tanquam fax quædam, ad
nefarias cupiditates principum animos accendens, extinguenda, &
ex Repub. explodenda est. Illi uerò qui dixerunt, principem legi-
bus solutum esse, ad perfectum & numeris omnibus absolutum
principem respexisse uidentur: quem quidem prudentissimum o-
mnium, iustissimum & optimum esse conuenit. Huic autem tali, le
ge quid opus esset: qui sponte sua faceret omnia, quę lex præcipiat?
imò uerò talis, uiua lex esset, & exemplum omnibus propositum
ad imitandum. Cęterùm cùm multi principum conscij sibi essent *C. de legibus*
imbecillitatis suæ, dignam uocem esse maiestate regnantis scripse- *& constit. L.*
runt, legibus alligatum se principem profiteri: suamque authoritatē *digna uox.*
de iuris authoritate pendere: ac principatum legibus submittere
maius esse, quàm imperare, duxerunt: atque quod alijs, id sibi quoque
minimè licere iudicarunt. Quæ sententia magis omnino principi
suggerenda est, ut cognoscat se hominem esse: hoc est, animal erro-
ribus obnoxium. utque sciat, legum ferendarum potestatem à Rep.
sibi tributam esse: easque se ferre, Reipub. cuius personam gerat, no-
mine. Cumque & ipse ad eandem Rempub. tanquam caput ad to-
tum corpus pertineat, se iure cum membris alijs uiuere debere.
Sententia Vlpiani parum commoda est. nisi fortè quis princeps ita *ff. de legibus.*
est iustus, ut Christus fuit, aut alij iusti homines: quibus legem po- *L. princeps.*
sitam esse negat Paulus. Sed intelligit ideo positam non esse, quòd
illi spiritu Dei agantur, spontéque faciant quæ iussa sunt. Sed
haud scio an Vlpianus huc respexerit, nam & mulierculam Augu-

ſtam eadem priuilegia à principe habere dicit, etiamſi legib. ſoluta non ſit. Quæ uox indicat, Vlpianum gratiæ cauſa ſic ſcripſiſſe.
Ariſt. Eth lib. 5. cap. 6. Quanto melius Ariſtoteles: Non hominem, inquit, imperare ſinimus, ſed rationem: hoc eſt, legem naturæ, & iudicium de rebus agendis uirorum ſapientum. Princeps uerò, cuſtos & conſeruator eſt iuris. Vnum enim aliquem leges habere in ſua poteſtate minimè decet: id'que tyranni eſſet, non boni principis. Decet igitur, ut & regibus, & omni magiſtratui præſit lex, qua ſe contra animi perturbationes muniant: regulam'que habeant, & ſeipſos & populos gubernandi.
Epilogus. Hæc habuimus, quæ de legibus uel ferendis, uel emendandis, de iudicijs item, & rebus ad ea pertinentibus diceremus. Libro etiam primo diximus tum de moribus, tum de perſonis quæ mores regant & tueantur. Vtinam autem hæc ab omnibus conſiderentur, & pro cuiuſque portione impleantur. Magna eſt ubique, & quaſi fatalis legum & diſciplinæ diſſolutio: quæ quidem prænuncia eſt diſſolutionis & interitus Reipub. Quo magis diligentia & ſeueritate magiſtratus opus eſt, ut ciues contineat in officio: petulantiam coerceat: diſciplinam tueatur: iudicia ſeuerè adminiſtret. Ciues uerò decet, ut magiſtratibus obtemperent: omnia quæ diximus, cum animis ſuis conſiderent: ac externis exemplis moueantur. Tempus certè hoc eſt, quo publicas clades gemere debeamus: impendentes uerò, aſsiduis gemitibus & precibus auertere. Qui enim non emendant mores, qui legibus non obtemperant, hi publicas calamitates accerſere putandi ſunt. Certè ex Repub. digni ſunt qui exterminentur: ne ob eorum malitiam & boni plectantur, & tota Reſpublica intereat. Reliqua quæ promiſimus, iam exequamur.

ANDREAE FRICII MODREVII COMMENTARIORVM DE REPVBLICA EMENDANDA Liber III. Qui est de Bello.

PRAEFATIO.

Præfatio, querelam continens de statu nostræ Reipub. Primum dicitur, cupiditatibus hominum peruersis & pacem turbari: & causam datam esse tum legibus excogitandis, tum bellis gerendis. Secundò, commemoratio additur rerum quarundam, mundi initio usurpatarum. Tertiò applicatur ad nostros mores: ubi & de pœna homicidij pecuniaria fit mentio, & de insolentia militum sub tempus belli.



VLTA hominibus data esse adiumenta à Deo opt. max. ad societatem hanc inter ipsos ineundam, alendam & conseruandã, res ipsa testatur. Quam quidem societatem si nunquam turbare ac dirimere, sicq; perpetuò in hac uitæ, facultatum atque officiorum communicatione in pace uiuere liceret, haud equidem adeò multa homini deesse putarẽ ad eam beatitudinem, quæ in hac mortalitate ab animante morti obnoxio percipi posit, consequendam. Sed cupiditates hominum insatiabiles, sæuæq; & atroces animorum commotiones efficiũt, ut nec 1
pacem cum dignitate tueri, nec rerum nostrarum eundem semper statum tenere, nec uitas nostras à periculis & discriminibus tutas perpetuò possimus reddere. Et domi quidem, ac intra mœnia quæ inhabitamus, insidiæ multæ struuntur uitæ bonisq; nostris: foris autem impetimur ab hostibus nostrum sanguinem sitientibus, nostrasq; possessiones occupare uolentibus. Multæ igitur leges conscriptę sunt, iudiciaq; constituta, quibus nos domi à ciuibus nostris tueremur. artes item bellicæ excogitatæ, arma multa cõparata, quibus hostium externorum uim propulsaremus. Ac principiò qui- 2
dem rerum, quod ex libris Originum mundi apparet, moribus tantùm uiuebatur, ac patrijs institutis. Nullæ tum leges erant promulgatæ, nec de rebus repetendis, nec de iniurijs ulciscẽdis: bella etiam nulla inter populos gesta. Patria potestas satis erat ad homines uel castigandos, uel ad officium reuocandos. Donec tandem malicia hominum increscente, & in dies magis ac magis quasi exundante, Deus mortales omnes, paucißimis exceptis, diluuio perdiderit: ac mox à diluuio, illis qui superstites erant, quiq; parentes mortalium omnium futuri erant, legem de homicidis capite plectendis posuerit: qua & uitis hominum consuleret, & societates eorum inter ipsos fundaret. Deinde multis pòst annis excitauit Nemrothũ,

ad regni solennia & curas imperij capessendas: qui homines uoluntate nolentes, ui in officio contineret. Subsequuta sunt postea bella inter populos & nationes: uiribusq́ & lacertis inter exercitus de ijs rebus pugnatum, in quibus rationi & moderatis consilijs ni-
3 hil loci relictum erat. Ac mihi quidem hæc primordia rerum tota mente repetenti, eaq́ cum nostræ tempestatis rebus comparanti, subire cogitatio solet animum, quónam modo factum sit, ut cum maiores nostri & inter exteras nationes multum uersati essent, & sedes ipsas suas non in aliquo orbe seiuncto, sed inter humanas gentes collocassent, multaq́ & ab ipsis primis hominib. & à uicinis populis in suam Rempub. accepissent, ipsam tamen legem in homicidas, omnibus nationibus usurpatam, respuerint, aliamq́ excogitauerint ab omnium populorum legibus longissimè disiunctam? Deinde illud non minorem habet admirationem, quòd cùm plerique homines ratione utentes, in recognoscendis erratis suis pœnitentia aliqua ducantur: sitq́ hæc hominis Christiani laus propria, errata sua emendare, & scelera commissa, quoad eius fieri possit, expiare: nostri tamen homines, in maxima & prorsus coruscante ueritatis luce, errore inueterato delectētur: nullas admonitiones quantumuis æquas admittere, nullaque remedia ex diuinis humanisque legibus sumpta pati uelint. Itaq́ fit, ut & homicidia innumera
1 perpetrentur, & infinitę hominibus imbellibus iniurię inferantur, & in opinionum peruersitate ac perturbatione disciplinæ uiuatur. Et hæc quidem fiunt in pace, dum adhuc nulli motus armorum apparent, nullaq́ belli suspicio increpuit. Vbi uerò uel minima belli fama cœpit surgere, Dij boni, quanta insolentia unà surgit hominũ equitum? Ociosis (sic enim eos uocant, qui moribus & lege ad bellum non proficiscuntur, quamuis res curent momenti magni) ociosis inquam hominibus minitantur: bellum indicunt presbyteris: colonis & hominibus suis pecuniam (utinam non maiorem q̃ ęquum sit) imperant: alienis prædam & cædes denunciant. Quæ quidem omnia in ipsa tandē profectione cumulatissimè præstant: & qui in rebus plerisq́ sunt flexibili uoluntate, in hac præclara profectione constantiã & fortitudinem dignam se ipsis exercent: plebem fastidiendo, aliena eripiendo: fruges & pascua, boues & pecudes, uel nullo, uel admodũ maligno dato precio, consumendo. atq́ ita solo patrio magna ex parte deuastato, ac hominib. uiolatis, exeunt foràs in hostē, summa plebis uoluntate, lamētis eos prosequētis: uotaq́, ne unquã illis in sua redire liceat, facientis: atq́ etiam mutationē rerum aliquã cupidissimè expectantis. Qua enim putatis eum uolũtate fore, qui sit multifariam offensus, in illos, qui paulo minus q̃ hostes, hominib. & rebus eorum uiolandis, se gesserunt? Iam mihi quisq́ secũ diligenter expendat, quid præclari ab ijs expectandũ sit, qui ita

dijs

dijs hominibusq; offensis prodituri sunt in hostem? Mihi quidem hæc non sine magna solicitudine dicuntur, intuenti in pericula, quę impendere uidentur nobis omnibus. Itaq; facere non possum, quin & cogitationem de ijs suscipiam frequentem: & quemadmodum infimi quiq; ad tempestatē iamiam imminentem auertendā summis nauarchis, sic ego summis ordinib. consilia ad pericula à nobis propellenda dare ausim. Quod igitur feci de moribus & iudicijs constituendis, idem de bellis gerendis faciendum duxi.

CAPUT I.

Bellum modis omnibus ut auertatur, studendum. Sin minus auerti possit, quid agendum: & pacis tempore quæ curanda: & de propugnaculis, in finibus extruendis.



VAE tamen ipsa ne unquam gerere sit necesse, pax cum exteris populis omnib. quàm maximè colenda est: nec unquam cōmittendum, ut causam illi habeant ullā, in nos aliquid hostile moliendi. Si quid fortè iniuriarū ultrò citroq; exoriatur, curandum ut illud uel iure, uel bonorū uirorum arbitrio tollatur. Solēt ad eam rem fœdera uicini populi & principes inire: qui cùm iudicem habeant cōmunem nullum, ipsi sponte sua eligunt utrinq; iudices controuersiarum: idq; uel alienos, uel sibi subiectos: quos ad tempus iudicij, iureiurando (quo fortè sibi obstricti sint) soluūt, ut illi liberius ex ęquo & bono de cunctis negotijs disceptēt. Neq; uerò cum nationib. eiusdem religionis tantùm, sed etiā diuersæ, cōfœderatoines eiusmodi licitas esse, sanctorū patrum exemplis probari potest: ut cum Abraam primùm, deinde Isaac, cum Abimelecho fœdus fecerunt, illudq; iureiurando confirmarunt. Omnino paci consulendum est, cum omnibus hominibus: paci inquam, quæ constans sit, & duratura, nec quicq; habeat insidiarū. Etenim si quis per pacis speciē aduersum nos paret bellū, cum eo pax uera nō est: sed quo longiores feriæ illi à bello conceduntur, hoc ille & potentior & instructior est futurus ad bellum. Ergo per tempus pacis diligenter aduertendū, quid agant populi cum quibus nobis est aliquid rei: quibus rebus occupati sint, cum quibus hominibus consilia cōmunicent. Quòd si cōsilia & actiones eorū ad bellum spectare uidebuntur, impediendi sunt omnino quibuslibet, modò honestis, rationibus. Itaq; & materia omnis instrumentorū belli ex nostris prouincijs illis interdicatur: quod commodè fieri potest, si ipsi nos ea opus habere dicamus. Et fines nostri tam milite quàm alijs propugnaculis muniantur. quæ res quàm deterreat uicinos, præsertim prædæ intentos, à bello, argumento sunt Scythæ: qui cùm audiunt militem nostrum in finibus uersari, domi se continent, nec terras nostras infestant. Vetus est uerbum, Occasionē facere furcs. Quod ad

ad res alias uerè transferri potest. Etenim malus animus nō ad furta tantùm, sed ad res quasque pessimas facilè impellitur occasione. Omnes igitur occasiones, quoad eius fieri possit, eripiendæ sunt ijs quorum fides & amicitia nobis suspecta est. In primis autem curandum, ut in omnibus finibus arces sint bene ædificatæ: quæ & muniantur, & rebus necessarijs tum ad uictum tum ad hostes repellēdos instruantur. Sed cùm fines omnes munire conuenit, tum eos maximè qui ad gentes spectāt à Christi religione alienas: præsertim cùm hoc Turcis solenne esse uideamus, ut in finibus ditionum suarum arces & propugnacula bello parent: quos quamobrem imitari hac in re non debeamus, causa nulla est. Sunt familiæ quædam nobiles apud nos intantum proseminatæ, ut ægrè ordinem suum tueantur: neque expeditionibus, propter paupertatem, pro dignitate sufficiāt. Atque ex eis qui orti sunt, multi auitæ uirtutis memores, artibus bellicis inclarescere uellent, si diuturnum aliquod contingeret bellum. Istis igitur cur quasi coloniæ quædam in illis locis non constituuntur? cur modi certi agrorum non assignantur, ubi arces eis extruerentur, quæ receptacula essent per tempus belli militum nostrorū: ex eis tanquam speculis aduentus hostium prospiceretur: primique illorum impetus, dum nostris militum manus subsidio uenirent, sustinerentur, aut reprimerentur. Profectò si arces eiusmodi aliquot miliarium spacio ab sese ædificarentur multæ, ita ut mox ex una in alterā, quid facto opus esset, significari, atque à præfectis in unum locum conueniri posset, existimarem præsens & firmissimum propugnaculum hostibus oppositum esse, & obiectū. Nec scio cur locus ille hominibus militaribus non magnopere sit appetēdus, ubi campus esset amplissimus uirtutis exercendæ, resque ad uitam necessariæ suppetant. Nam & melle, & pecore, & ferina, & omnis generis frumentis mirandum in modum terræ illæ abundant. Omnino regis est, in locis illis statis temporibus uersari: nam & celebriora sua præsentia redderet, & hostium impressionibus minus opportuna. Igitur à conuentu deligendi essent locorum illorum periti, qui propugnaculis huiusmodi loca & agros assignarent, pagorum & oppidorum certum numerum adderent, ac in formam municipiorum redigerent: præfectis municipiorum ac propugnaculorū militum numerum, quos sine intermissione alerent, imperarent. Quorum præfectorum partes essent, certa & explorata omnia, quæ in finibus agantur, regi aut imperatori significare: de præsidio & statione Reip. nunquam discedere. Quòd si iussu regis aut imperatoris aliquò discedendum sit, eos pro se relinquere qui tueātur, & uicariam operam ei impendant. Sed & illud omnino curandum, ut transitus per syluas, quæ hostibus obiectæ sunt, impediantur roboribus deiectis, & multo ligno instar septi congesto; ut sic hostium aduentus

ad

ad nos impediatur, aut certè retardetur. Præfectorum igitur est, ut quisque suæ præfecturæ loca in syluis, eiusmodi impedimentis obstruat, quibus tanquam muro hostium impetus propulsetur & arceatur. Hoc stratagemate Valachi usi esse feruntur contra nostros, ad Bucouinam. itaque exercitus nostri cedere eis coacti sunt. Simile narrat Titus Liuius de clade Romanorũ in Gallia, L. Posthumio consule. Verba Liuij hęc sunt: Sylua erat uasta (Litanam Galli uocant) qua exercitum Posthumius traducturus erat. Eius syluę dextra læuaque circa uiã Galli arbores ita inciderant, ut immotæ starent: momento leui impulsæ occiderent. Legiones duas Romanas habebat Posthumius: sociûmque ab supero mari tantũ conscripserat, ut XXV millia armatorum in agros hostium induxisset. Galli extremas syluas cum circumsedissent, ubi intrauit agmen saltum, tum extremas arborum succisarum impellũt: quæ alia in aliam instabilem per se ac malè hærentem incidentes, ancipiti strage arma, uiros, equos obruunt, ut uix decẽ homines effugerẽt. Reliqua persequitur Liuius. Decad. 3. lib. 3

Hæc de propugnaculis, quæ constituẽda essent ob incursus hostiũ uicinorum. Quorum res si fortè eò incumbant, ut bellum tandem nobis inferre uelle uideantur, non sit tamen præter officium, per legatos cum eis agere, ne in animum inducant id facere. Proponenda sunt eis infinita belli incommoda: iure potius aut æquitate decertandum esse hominibus, quàm armis. arbitrique aut iudices proponendi, qui controuersias disceptent. Verè enim Comicus dixit,

Omnia prius experiri, quàm armis, sapientem decet.

Hoc si à nobis erit factum, palàm omnibus faciemus, nos pacis cupidissimos esse, & à sanguinis effusione abhorrere: Deum nobis demerebimur: hominumque & nostrorum amorem, & exterorum studia nobis adiungemus. Quòd si, quibus cum agimus, hostes nobis esse malint quàm amici, omnique humana concertatione præterita, ui & armis nobiscum pugnare uelint: tum quidem arma nostra expedienda sunt. à quibus ut simus omnes in partes quàm paratissimi, ante tempus curandum est. Nam & ab hoste facilius obtinebimus quod uolemus, si nos rebus omnib. instructos intellexerit: & Reip. in primis conducit, parata omnia & bene instructa ad bellum habere: ut etiam si quid repentinum incidat, eam possimus tutari & defendere. Itaque si stat sententia, bello experiundũ esse, curandũ est ut illud in prouinciã hostiũ totum transferatur. De quo cõsilia ineunda sunt, ubi primùm belli suspicio increbuit: sed tamen minimè exequenda, nisi exploratũ sit rẽ aliter geri non posse. Quòd si nos simus ij, qui iniurias ulciscendo subditorum ac Reip. nostræ, bellum inferre (quando alia remedia frustra à nobis tẽtata sunt) cogamur: tum quidẽ principi Reip. cui gladius ob id diuinitùs datus est, minimè cunctandum est, quin hostium latrocinia armis persequatur.

CAPUT II

I. Belli iuſticia & honeſtas explicatur: quòd ut iuſtũ ſit, & fœlix, cauſam iuſtam habere debet: neq; gerendum eſt, niſi rebus præparatis, & omnibus de fine eius expenſis. II. Tum rebus primùm repetitis legitimè indici debet. & hic copioſe de rebus repetendis, & de cauſa Prutenica inter Polonos & Germanos. III. Declaratur etiam latiſſimè iuſticia cauſæ belli. 1. ut ne laudis ac imperij dilatandi cauſa geratur. id quod[1] et ab imperij difficultate, [2] & à regẽdi labore infinito, [3] & ab eorũ quibus imperandum eſt contraria uoluntate, [4] & à finium qui bello quærantur fruſtratione, [5] & à calamitatibus bellorum infinitis demonſtratur. 2. Sed bellum debet geri ad uindicandas iniurias, quæ aliter ſarciri non poſſint. IIII. Poſtremò bellum ut ſit fœlix, ab hominibus Deo reconciliatis gerendum eſt.



C belli quidem ſanctitas quàm religioſè priſcis tempo
ribus fuerit culta, multorum literis proditum ex-
tat. Nec enim niſi rebus repetitis, belloq; ipſo per
I fœcialẽ legitimè denunciato, gerebatur. Et quã-
uis grauiter peccet, qui iniuria facta belli occaſio-
nem præbet: tamen qui iniuriam illatam legitimè
ulciſcitur, qui pro aris & focis, proq; uita & poſſeſsionibus popu-
lorum ſuorum pugnat, is certè de Repub. præclarè meretur. Itaque
Abraam ille pater populi Dei, eripiendi fratris cauſa bellum hoſti-
bus intulit. Multi quoq; Hebræorum duces bella plurima geſſerũt,
libertatis gratia. Sed belli iuſtam adeſſe cauſam neceſſe eſt: qua re-
mota, non eſt quod ſperemus uictoriã. Quin ſi qua etiam cõcedere
tur, Deo fortaſſe ulciſcente per nos ſcelera eorum quibus cum res
eſſet: tamen neq; ea diu frui nobis daretur, & metuendum eſſet ne
iuſticię ille ſumus uindex conuerteret eam in extremum dedecus, et
ſummas calamitates. Igitur ſi res fœliciter gerere uolumus, cau-
ſam belli iuſtam habeamus oportet. Deinde uerò conſultandum
& de belli genere, & an plus ex eo detrimenti metuendum ſit quàm
II ſperandum commodi. Tum uerò per legatos res repetantur.
Quę aũt ratio, quis modus debeat eſſe repetendi, iam dicẽdum eſt.
Sunt quos non ulla recẽs cauſa ad bellum inſtiget: ſed uel poſſeſsio-
num, quarum nulla indicia præterquàm in chartis uetuſtate corro-
ſis extent, uel iniuriarum ſupra hominum memoriam factarum re-
cordatio. Non rectè quidem. Omnium enim rerum, quemadmo
dum & uitæ, finis debet eſſe quidam. Qui ante annos ſexcentos ſe
inuicem iniuria affecerunt, illi iudicem habẽt alium rerum ſuarum:
cui res ſunt eorum cõmittendæ, non noſtris armis uindicandæ. De
poſſeſsionibus uerò ante multa ſecula uſurpatis, quid opus eſt bel-
lare? Quid eſt enim, quod non aliquando fuerit alienæ ditionis?
Pulſi Troiani ſedibus ſuis, alienas terras ingreſsi ſunt: in quibus nõ
prius conſederunt, quàm uel bellis, uel certè multis laboribus exan
clatis,

datis. Quis nunc Troiano sanguine cretus, bello repetit sedes uetustas? Quis Didoni sanguine propinquus, obtemperat uoto illius, quod à Poeta descriptum est his uerbis:
Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor?
Sed fabulosa fortasse sunt, quæ de Troia & Didone dicuntur. Audiamus ergo quæ sacra narrat historia. Quando diuidebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adæ, constituit terminos populorum iuxta numerũ filiorũ Israel. Vbi igitur hodie termini illi, qui à Deo seu filijs Israelis, seu populis alijs sunt constituti? an non omnes mutati? Sed audiamus citeriora. Chaldæorũ olim latissimè in orbe terrarum patebat imperium. His multis bellis uictis & subiugatis, translatum est ad Persas: deinde ad Græcos, post ad Romanos. Hi uerò maximæ orbis parti imperabant, ac in prouincias remotissimas homines sui nominis cum potestate mittebant. Nunc imperium est penes Germanos. In Italia Hispani magnam partem regnant. Quis Italorum nunc iustè detrectare potest imperium exterorum, quos olim ipsi ditionis suæ habuerint? Hæc enim est rerum uicissitudo, ut qui sæpe uictores erant, aliquando uincantur: & qui uincuntur, imperata uincentium facere cogantur. Iam & sancta historia testatur, ne gentem quidem illam Dei electam, statũ rerum eundem semper tenuisse, aut terras ac sedes easdem perpetuò incoluisse. Etenim præter bella, quibus uexabantur, sæpe alienigenarum imperio subiecti erant. nam & in Aegypto crudelissima seruitute premebantur, & in Babylonem captiui abducebantur, & tributa pendebant, & regibus à uera religione remotis erant subiugati. Quid quòd testamentum Dei immortalis, hoc est hæreditas, ad exteras nationes translata est: Iudæis, quibus promissa erat, abdicatis? Nihil igitur noui est, si transferantur imperia, nec semper sint penes aliquem unum. Qui Italicas legerunt historias, narrant, olim Patauinos imperasse Venetis: nunc contrà, Veneti tenent imperium in Patauinos. Sunt terræ olim à populis Christianis inhabitatæ: quas nunc gentes transmarinæ, cædem'que barbaræ occupant. Sunt quæ tenentur à populis non quidem alius religionis, sed tamen nationis diuersæ, quàm olim. Quemadmodum enim omnia sub sole quasi fluctuant, nec statum semper retinent eundem: ita & regna & uices imperiorum mutantur, transferuntur'que à gente in gentem, propter iniusticiam, ut dicit Iesus Sirach. Quod & Daniel diuinus uates testatur, & res ipsa loquitur: Multas terras, indigenis fame, peste, bello fugatis, & nomen & rationẽ imperij priorem amisisse, nouam'que unà cum nouis incolis assumpsisse. Aegrè ferunt Germani, Polonum imperare Pruteno: ius'que suum repetunt, ex albo nescio quo regionũ imperij sui. Quasi hoc album tanti faciendum sit, quanti fieret, si quis heri uel nudiustertius relatus

Deu.
Ecclesi. 10
Dan. 2.

esset in numerũ reorum. Atqui priusquã hoc album cõditum esset, erat tempus cùm Germani Prusiæ minimè imperabant: & post istud ipsum album, consequuta sunt tempora, cùm Prusi contulerunt se ad authoritatem regum Polonorum. id quod hodie rationibus tam Prutenorum uehementer conducit, hunc habere regem: quàm Polonorum, talem habere prouinciam. Perpetua olim inter Prutenos & Polonos bella gerebantur. Et pax quidem sæpe constituebatur, sed eadem leui de causa rumpebatur: pangebantur fœdera, & rescindebantur. Erat tempus, cum rex Polonus in Mahometanos pararet bellum. Sed Pruteno in Sarmatiam erumpente, coactus est à Mahometanis ad Prutenos arma conuertere. per quã occasionem, Turcæ plures nationes Christianas occuparũt: finesq́ꝫ sui imperij eò promouerunt, quò scimus omnes. Quid quòd multis literarum monumentis ostendi potest, res olim controuersas inter Polonos & Prutenos nunquã à Germanis esse disceptatas? alius erat iudex ordinarius utrorunq́ꝫ: apud quem alteri alteris diem dicebant, querelas exponebant: cuius iudicatum faciebant. Quid igitur facient Germani? plus fumosis albis ac uetustis chartis seruient, aut potius cupiditati & gloriæ suæ, quàm rebus tam Polonorum quàm Prutenorum? Pugnabunt contra rerum naturam, uicissitudinem in rebus mortalium ferentem? Omnino & pietati & professioni Christianæ hæc minimè conuenirent: & res facultatem habere non posset, sine ingenti rerum conuersione. Neq́ꝫ ratio admittit, bellum hoc aliquem moliri posse, quin prodat animum suum rebus Christianis parum consulentem. Vtinam hoc Romanum nomen, quo nunc regitur bona pars Christiani orbis, potius conuertat uires suas in hostes imperij sui, qui uellent sublatam omnem ueri Dei religionem: quàm in socios sibi deuinctos & lege, & moribus, & officijs, & religione, & sanguine, & beneuolentia sua, auitaq́ꝫ. Olim quidem Romanum imperium nationibus omnibus uicinis, ac magna orbis parte subiugata, Carthagine etiam æmula sua sublata, cõcidit ipsum, uiribus suis intra uiscera sua conuersis. Videant & nũc Romani principes, ne si in socios, hoc est in sua uiscera stringere uelint ferrum, rationem imperij præsentem amittant: se'que, & nomen ipsum Romanum, quasi ex summo fastigio in aliquod barathrum præcipitent. Habendus est igitur modus rerum repetundarum: ne rem uel ab ouo (ut aiunt) ordiamur, uel ab eo tempore quo Altissimus ponebat fundamenta terræ. Omnino terræ quæ uel à socijs, uel ab amicis benemeritis, multa secula possidentur, coluntur, & inhabitantur, quamuis aliquo iure uideantur ad nos pertinere: tamen æquis conditionibus sunt illis permittendæ potius, quàm bello repetendæ. quòd bellum cùm maxima fortunarum iactura constet, sanguinisq́ꝫ humani effusione; tum exitum habeat

uel

uel pessimum: uel nunquā tanti æstimandū quanti erant sumptus, & sanguis effusus, & infinitæ calamitates. Hæc de rebus repetēdis.

Qui non alia necessitate ad bellum feruntur, quàm gloriç, aut im- III perij dilatandi causa, pessimè consulunt rebus mortalium. Dum enim nomen suum inclarescere uolunt, ciuium fortunas ac capita in discrimen adducunt: & cædibus ac cladibus partis utriusq; infinitis loca replent omnia: ac ne satis quidem intelligunt rem, quam tantopere concupiscunt. Nam quid aliud est amplum imperium, q̃ ingens & perpetua solicitudo, de ijs quos regēdos suscepisses? Velim igitur, qui tanta ardent cupiditate dominādi, cōsiderent & seipsos, & eos quibus imperare cupiūt, & rationē omnem regendi. Neq; enim satis est, regem aut principem salutari, pompa & ministrorum frequentia stipari: eosq; qui dicto sint tibi audientes, ad manū habere. Regere te oportet, si uelis esse quod diceris: hoc est, consulere & prospicere uitæ eorū quos gubernes, dignitati, moribus, legibus ac fortunis. Innumeræ sunt dotes, quibus reges bonos præditos esse oporteat: quę & à nobis primo libro breuiter, & ab alijs alibi copiose explicatæ sunt. Vocantur patres patriæ, ut non secus res populorum suorum curent, q̃ filiorum: pro eis excubent, commoda & uitas eorū tueantur: non quieti, non remissioni, non cōuiuijs, non uoluptatibus se dedant: sed & corporis labore, & omni animi contentione eò contendant, ut dignitatem & commoda Reip. conseruent. Multa noua, multa inopinata accidere possunt in utranq; partē. Ea regi tanquam ex specula Reip. prospicienti prouisa esse debent, ut si quid aduersi immineret, posset in promptu cōsilia habere, quibus uel auerteret, uel leniret, uel certè aptè & quietè ferret quicquid euenisset. Turpe est enim homini tantarum rerum molem sustinēti, ita se gerere, ut si quid subitò euenisset, dicendū ei sit, NON PUTARAM. Qui igitur ad hunc modum præesse uellet, ut omniū saluti & dignitati consuleret: hic quidem rem maximā & difficillimā appeteret. Sed enim eundem considerare oporteret, num in se sit tantarum rerum efficiendi facultas. Pater tuus, Auguste rex, omnibus regiæ potestatis uirtutibus spectādus, cùm fasces regni Hungariæ ac Bohemiæ à morte Ludouici regis, deinde Suetiæ quoq; ei deferrentur, respondisse dicitur: Tot sibi populos diuinitùs commissos esse, « ut optanda sit illis bene regēdis facultas: externa regna, homini suis « occupato, minimè optanda. O' uocem uiri prudentis, & excelsi a- « nimi, ac prorsus tali rege dignam. Erat ille uir multum prouidens, rerum muneris sui consideratus æstimator & expensor, artium belli & pacis sciens. Itaq; non mirum erat, populis & ditionibus suis semper consulentem, externa imperia minimè ambiuisse. Contrà sunt multi, quos delectent speciosi tituli: qui uoluptatum, & quasi spectaculorū, non rerum magnarū causa regnare uelint: qui satis se

functos munere suo existiment, si habeant qui pro ipsis res gerant. Cumq́ꝫ regionum multarū, à se longissimè dissitarū, sint præsides, multa ignorant, quæ ibi agantur: multis falsò ad se delatis credere coguntur: satisq́ꝫ esse putant, si edicta mittant, diplomata conscribant, de rebus uix tenuissima auditione acceptis. Si quę in illis prouincijs seditiones fortè excitentur, eas sedare: si qui subiti casus aut calamitates uel à ciuibus, uel ab externo hoste, uel à fortuna inuehātur, eis occurrere non possunt. Quod accidisse annalibus nostris proditū est, cùm Vuladislaus Secūdus, magnus patruus tuus, Polonis imperās, ad Hūgariæ quoq́ꝫ gubernacula uocatus accessit: ibiq́ꝫ rebus gerendis intentus, Polonica negotia omittere cogeretur. Fit enim profectò, ut, quēadmodum in fæuis tempestatibus nauis sine gubernatore, ita Resp. ubi præsens non adest gubernator, in summum discrimen adducatur: aut, quod de Phaetonte fabula narrat, seipsum perdat princeps, tantarū rerum, quibus sufficere nō queat,
1 onere pressus. Si igitur imperiū multorum regnorum ac prouinciarum procul à se distantiū difficile est, plenum molestiarū ac periculorum, ut minimè appetendū uideatur homini officio suo probè fungi uolenti: quanto minus est faciendū, ut aliquis illud ui quærat & armis? Quid enim minus decet, q̃ uelle te gubernare eos, qui id à te non petant? uelle te consiliū & operam tuā nauare ijs, qui ea non indigeant? Insania profectò dicēda est, nō magnanimitas, quę te ad id armis obtinendū stimulet, quod uoluntate & beneuolentia con-
4 sequendū esset. Multi opibus suis permagnis plura adijcere uolentes, omnia perdiderunt: nonnulli ditiones suas bello augere studentes, suis expulsi sunt. Profectò boni uiri est, nihil facere tāti, ut illius causa quietē uel suam uel aliorū interturbet: charitatemq́ꝫ, qua generi humano coniunctus esse debet, rumpat ac abijciat. Quid enim est quod pluris facies? An gloriam? Scythicum hoc quidem est, ac Turcicum, ui, flamma, ferro, agrorum uastatione, humano cruore laudem quærere. Veræ enim uirtutis est, non tam gloriam, quàm facta gloriosa, quæ cum honestate & æquitate coniuncta sint, sectari. Omnino uera gloria non est, ubi nulla habetur ratio æqui & recti. Neque in magnis uiris est, qui gesticulationes hominum, rumunculos, uanos & magnificos titulos tanti facit, ut hæc immanibus factis consectetur. Sed fortè uoluptates, aut etiam aliæ commoditates quæruntur bello. Hæ uerò firmiores sunt, & durabiliores, ubi minus curæ est, ac sollicitudinis. Iam quæ interea tua conscientia? quam tibi affert uoluptatem, qui tantopere sitias dominationem? Quid apud te Dei respectus, cui ratio reddenda omniū no-
5 strarum actionum? An uerò te non mouent scelera, turpitudines, dedecora, & calamitates infinitæ, quæ bellum consequuntur? Omnino quod in rebus alijs fit, idem in bellis euenire uidemus, ut (quēadmodum

admodum inquit ille) delirent reges, plectantur Achiui. Regibus ac Principibus seu prælio seu deditione uictis, aut ignoscitur, aut le uius ꝙ pro culpa in eos animaduertitur: qui tamen causæ bellorum fuere. imò plerunqꝫ authores bellorum omnes, impunitatem consequuntur. Insontes aũt & immerentes, qui causam bello nullam præbuere, scelerate mulctantur: dum alij fortunis exuuntur, uel populatione, uel igne, uel direptione, uel exactionibus: alij terris suis exterminantur: alij necantur tum fame, tum gladio, tum modis uarijs. Coniuges eorum impudicissimè tractantur, uirgines uiolantur, diripiuntur pueri, alliduntur infantes. Alij artes suas exercere prohibentur, agriculturam, mercaturam, cultum ingeniorum, & omnia ea unde uel uictus uel aliæ cõmoditates uitæ necessariæ quęruntur. nonnulli officinis & artibus suis desertis, ad castra, desidiæ & impunitatis causa, cõcedunt. Hinc tot orphanitates, orbitates, prolis neglectio, uirginum & matronarum prostitutio, mẽdicitas, squallor, pædor, bonorum morum uastitas. In militibus uerò, quorum opera bellum geritur, peccandi consuetudo, licentia, in Deum & diuos conuicia, periuria, latrocinia, grassatio, sacrorũ & profanorũ neglectus & contaminatio: omniũ denicꝫ uitiorum nefandorũ & capitalium sentina & colluuies. In quibus omnibus conniuere necesse est belli ducem, si milite uti uelit beneuolo & obedienti. Accedũt querelæ eorum, qui se tibi socios adiunxerũt in bello: si fortè non ea abs te præmia referant, quæ expectabant: qui & labores, & ærumnas, & impensas suas iactare non cessant. Quid dicam de magnis uiris, amicis tuis, qui in acie occiderunt, cupiditatis tuæ causa? Quid de uictis, qui te tacitis odijs semper prosequuntur: occasionibus semper intenti, ut se uindicent in libertatem? Quid deniqꝫ de ciuibus tuis, quibus pecuniam toties imperabas: toties terrorem incutiebas, ut ne obsisterent cupiditati tuæ: qui à milite uel domestico, uel externo, infinitas ærumnas perpessi sunt: quos putas animos aduersum te gerunt? Profectò ferreum animum esse oportet, qui in tot mala inspiciens, non inhorrescat ad mentionem belli: utcunqꝫ sibi uictoriam polliceatur. Cui tamen uictoriæ quis scit se fore superstitem? Sed ut superstites sint multi: tamen nulla belli commoda tanti sunt, ut cum incommodis compensari queant. Neque enim ex præda, quamuis opima, uoluptatem quis capere potest, nisi latro: neque ex carnificina & immanitate, nisi carnifex. Gloriam autem quis ex calamitate & clade aliorum nactus est, nisi apud centauros & impuros istos: qui uita deprauatissima, & facinoribus fœdissimis, rectum de rebus iudicium amiserunt? Multi tot calamitates bellorum, uiolentias, cædes, ruinas expendentes, existimarunt hominem, absque nefario scelere, bello se implicare non posse. Verùm exempla sunt in promptu, ducum clarissimorũ & sanctissimorum,

2 qui iustis de causis,& necessarijs,plurima gesserunt bella. Magis igitur causę belli expendendæ sunt,ac eius gerendi rationes. Et principis quidem est,quàm maximè curare,uigilare, prouidere, ut ne ullæ fiant iniuriæ: si quæ contingant, omnibus uiribus anniti ut sine armis propulsentur. At si iniuriæ nec auerti, nec sine armis sarciri possint,bellum omnino gerendum est: cùm quidem hominum sceleratorum,apud quos nec Dei nec hominum ullus est respectus, licentia malefaciendi aliter coerceri non queat,nec res ablatæ repeti, nec iniuriæ illatæ uindicari, nisi ad hoc armorum remedium recurratur. Etsi igitur committendum non est, ut uel cupiditas habendi, imperijq; ampliandi, uel ambitio gloriæ ac excellentiæ,nos excitet ad bellum: tamen iniuriæ populis nostris illatæ, studiumq; Reipublicæ nostræ tuendę ac defendendæ, maximos debent stimulos addere ad bellum: ut scilicet in pace uiuatur,saluis commodis & dignitate Reip. Qui enim princeps tale omitteret bellũ, nec hostium impressionem milite collecto frangere,nec res ablatas repetere,nec iniurias ultum ire contenderet:is hostibus occasionem similia facinora designandi daret: officium gladij,qui illi in manus,in pœnam malorum datus est, negligeret: nec princeps, sed Reip. desertor ac proditor putandus esset. Qui enim,inquit Cicero,nõ defendit,nec obsistit,si potest,iniuriæ,tam est in uitio, quàm si parentes aut amicos aut patriã deserat.

IIII Verumenimuerò non satis est,iustam bellandi habere causam ad uictoriam obtinendam. Nisi pœniteat nos delictorum quæ unquam cõmisimus,nisi actionibus Deo placentibus ornauerimus uitam nostram, nulla spes nobis esse potest uictoriæ. Vtitur enim Deus ministerio gentium alienarum, uindicandis sceleribus populi sui. Itaq; & nationes euocat ab aquilone usq;, sibilo suo tanquam clangore tubæ ad bellum: & Nabuchodonosorem regem Babylonis seruũ suum appellat, quem ducem elegerit cõtra Israelẽ. Describit etiam & celeritatẽ & robur, & apparatũ,& bellandi peritiam exercituũ uenientiũ:ut significet,nihil dubitandũ esse, quin uictoriã de Israele sint relaturi, aut certè eos in captiuitatem ducturi. Ergo & causa iusta existente, & bello indicto, & uita ad normam Christianã instituta, quod cum Dei nutu geretur bellum,& fœlix fore sperandum est,& fœlices successus habiturum.

Hiere.25. *Esa.5.*

CAPUT III.

Belli sanctitas,et inter opera humana præstantia,multis modis ostenditur: & hic exhortatio ad Equites, & ad Regem.



ATQVE haud scio,an quod ad eum modũ geretur,sit operum humanorum præstantissimũ, in quo latissimè pateat campus ad plurimas & maximas uirtutes exercendas. Vbi enim fortitudo maior apparere posit, quàm in mortis contemptione, cùm uitam telis

telis hostium pro patria exponi necesse sit? Vbi autem iustitia clarior lucere, ubi beneficia plura & cuncto populo gratiora existere, quam in uita paciscenda pro solo ubi ortus sis, pro ædibus in quibus altus & educatus, pro uxore, liberis, bonisque uniuersis, denique pro Repub. & religione Dei immortalis? In his uerò omnibus quanta est quæso materia fidei exercendæ? fidei inquam, in Deum illum præpotentem: sine qua tot pericula nemo uolens prudensque sustinere queat. Sed animus ad illas beatorum sedes, quæ legitimè certantibus paratæ sunt, respectans, misericordiæque Dei per CHRISTVM IESVM promissæ confidens, contra terribile illud mortis malum confirmat se: in ijsque periculis uersatur, ex quibus iter sibi expeditum uideat ad uitam immortalem. Itaque non immeritò ab Apostolo IESV CHRISTI proditum est, multa sanctos patres præclara facinora in fide, & in illa persuasione de Dei erga ipsos gratia & benignitate edidisse, regna expugnasse, ora leonum occlusisse, uim ignis extinxisse, gladij aciem effugisse, incursiones hostium auertisse, fortes in bello fuisse. Heb. xi.
Videtur etiam Deus consilio quodam secretissimo ut nationibus alijs, ita nobis quoque, hostes uicinos opposuisse, qui nos semper exercerent, & in timore continerent: ne si perpetuò in pace uiueremus, rerum omnium securi, uel uirtus nostra flaccesceret, uel ipsi in nos mutuas dextras conuerteremus. Ideo & olim populo suo delecto in terra illa promissa, ad quam magnificè illos perduxit, hostes immiscuit, qui essent illis tanquam materia uirtutis exercendæ: & Romani hostibus finitimis deletis, bella mutua inter se gessere.
Quamobrem uos, ó equites, & quicunque Rempub. defenditis armis, cum ad bellum accingimini, non ad prædam domesticam, non ad licentiam istam patrandi omnia quæ libeant, uos accingi putatote: sed ad opus sanctissimum, ad functionem muneris Deo hominibusque longè gratissimi: ex quo ad uos uestrumque genus gloria, ad Remp. dignitas, ad res uerò singulorum maximæ & plurimæ commoditates perueniant. Tibi uerò ó Rex, hæc agenda sunt: iniuriæ & pericula à tuis hominibus propulsanda, licentia seuerè punienda: eaque omnia curanda & prouidenda, quæ ad pacandam & tranquillandam Rempub. domi pertineant: ne si quid per negligentiam tuam in Deum hominesque committatur, atrox aliqua surgat tempestas, quæ & tuo capiti non parcat, Rex, & Rempub. tuam euertat. Vides enim, quantæ malorum cateruæ foris nos circunstent. Si ea domesticis malis auxerimus, quis nos liberabit ab ira Dei præpotentis? Recordare Rex, Ludouici Hungarorum regis, cognati tui, qui propter licentiam & scelera populorum suorum domestica, & perijt innocens ipse, et regnum crudelissimo hosti occupandum reliquit. Igitur per singula ditionum tuarum municipia disponendi sunt magistratus, qui et arceant iniurias, & uindicent illatas. Sed de his alio loco

loco dicemus, nũc quæ bello apparãdo sint necessaria, exponamus.

CAPUT IIII.

1. *De arte & exercitatione militari:* 2. *& quæ obseruanda sint à bellatoribus.*



T artem quidem cùm omni in re, tum militari, necessariam esse certum est. Quamuis enim ob innumeras belli gerẽdi rationes, uariasq́ue & subitas mutationes uix norma aliqua & lex belli faciendi tradi possit: tamen multa à uiris prudentibus congesta sunt obseruatione diuturna, quæ ad uictoriam de hoste referendam multum conferre possint. Quemadmodum aũt artes omnes, ita & militaris, crescit decrescitq́ue tum educatione, tum exercitatione. Parum ualent ad rem militarem homines molles, & luxui dediti: quemadmodũ Turnus dicit, dum Troianis exprobrat mollitiem suam, his uerbis,

Vergil. Aen. 9. *Vobis picta croco & fulgenti murice uestis,*
Desidiæ cordi, iuuat indulgere choreis:
Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Significat enim, homines mollicie solutos, militię parum aptos esse: nec loricæ, nec galeæ pondus eos diu ferre, nec arma sine molestia tractare posse: solem, frigus, inediam, laborem recusare. Non igitur in cubiculis ac tectis perpetuò militi hærendum. Noscenda sunt ei ualla, fossæ, tentoria: non uestibus delicatis nimium indulgendum, sed sagis & loricis assuescendum: non in umbris semper delitescendum, sed sole & gelu cutis duranda. Non immeritò enim gloriatur Numanus Remulus, se à teneris annis laboribus assuefactum, desidiam semper, mollitiem & luxum ignorasse, cùm ita inquit:

Durum à stirpe genus, natos ad flumina primùm
Deferimus, sæuoq́ue gelu duramus, & undis.
Venatu inuigilant pueri, syluasq́ue fatigant:
Flectere ludus equos, & spicula tendere cornu.
At patiens operum, paruoq́ue assueta iuuentus,
Aut rastris terram domat, aut quatit oppida bello.
Omne æuum ferro teritur, uersaq́ue iuuencum
Terga fatigamus hasta: nec tarda senectus
Debilitat uires animi, mutatq́ue uigorem:
Caniciem galea premimus. —

Sed hîc nõ de educatione tantùm Remulus gloriatur, sed etiã de exercitatione: qua ipsa ars militaris potissimũ uiget, fitq́ue maxima. Ea uerò posita est cùm in equis, tum in equitibus, tũ etiã in peditib. Sæpe equi rebus gerendis impedimento fuere: sæpe etiã stragibus causam præbuere. Ergo qui refractarij sint ac contumaces, uel timidi, uel

di, uel in defatigatione spiritu deficiantur, tum etiam laboris impatientes, ac agitationibus & cōuersionibus inepti, ex acie eijciantur: idq; per præconem proclamari perutile est, ut quisq; ante tempus equos sibi comparet idoneos. Quod si instrumentis bonis, opus cuiusq; artis bene perficiatur: profectò etiam bellis conficiendis equi boni curandi sunt, qui & alantur diligenter, & frequenti equitatione exerceantur: tum cursu et recursu ineundo, tum incitando, tum sistendo: tum de uia deflectēdo, tum per salebras decurrēdo, nec fossæ nec riuo parcendo, deniq; & in orbem flectendo, & omne opus bello necessarium usurpando. Fieret hoc modo, ut nō equi tantùm, sed sessores etiā ipsi exercerentur. Quod quàm necessarium sit in bellis, nō est obscurū. Neq; enim fieri potest, ut hilarè imperatoris capessant iussa, aut scienter exequantur militaria munera, qui sunt earū rerum inexercitati. Nam quomodo equū flectet, quo modo tela iaciet, quomodo armis utetur, quomodo hastis concurret, qui harū rerum prius periculū fecit nullum? Olim mos erat ciuitatum, ut tertiā ciuium partē ad militiā assuefacerent: qui alijs Reip. muneribus immunes essent. itaq; & ipsæ ciuitates sine milite externo tutabantur agros & possessiones suas. Nunc apud nos equester ordo totum onus sustinet Reip. defendendæ. Quæ Resp. militem habet inexercitatū, ea tempore necessitatis aut suo illo eodem imperito utatur, aut exercitatum aliunde accersat necesse est. Suo quidem imperito uti, quid aliud est, q̄ hosti cōcedere uelle uictoriam? nam nec res bene geri possunt ab imperitis, & hostibus animi crescunt, dum norunt scientiam esse bellandi nullam in ijs cum quibus concurrendū sit. Sin uerò milites externi cōducendi sunt, illis tamē nec tantum fidei haberi, nec tantum oneris imponi, nec delinquentibus tam iusta pœna irrogari potest, atq; suis: strenuè uerò rem gerentibus, plus numerari necesse est. Quid quòd illi in sua redeuntes, magnam uim secum pecuniarum asportant? Illud uerò in primis cauendum, ne milites externi regione in qua bellum gerunt, locisq; bello opportunis perspectis, rebusq; etiam omnibus quibus uel abundet uel deficiatur, deniq; rationibus belli gerendi eorum à quibus accersiti sunt cognitis, procliuiores sint ad bellū aliquando inferendum, uel sponte sua, uel ab alijs conducti. Libenter enim hostes adiungunt sibi eum militem, qui peritiam locorum habeat, rerumq; omniū regionis, in qua bellum gerere uolunt. Sed quorsum ista? Omnino, quoad fieri potest, milites nostri nominis potius conscribendi sunt, q̄ externi accersendi: modò tales sint, qui rerum militarium habeant aliquā peritiam. Dicamus igitur, ut cœpimus, de exercitatione militari. Cui haud dubiè multum accederet momēti, si iuuentus heluationibus contemptis, saltu, cursu & palæstra sese ad agilitatē & promptitudinē exercitaret: atq; ad eam rē magistris

uteretur,

uteretur, qui sumptu publico constituendi & alendi essent. Statis etiam temporibus sub dio dormire, sitim, inediã, frigus, & æstum tolerare, feris per auia lustra insequendis operam dare, oneribus & dorso & supra hastam ferendis ambulare, in armis cursitare, in equum ligneum insilire, statuam seu columnam aliquam tum iaculo tum ense tum hasta petere, ac tanquam cum hoste congredi condisceret. Aggeres item, fossasq; & faciendo & transiliendo: in ardua loca subsiliendo, & de illis desiliendo: eademq; tum occupãdo, tum ab ijs qui deturbare contendant defendendo: fugiendo item, insequendo, ad scopum præfixum iaculando, inuicem hastis cõcurrendo, ad res serias se prępararet. Sunt & illa exercitia armorum non omittenda, diuersis gentibus usitata, de quibus Statius facit Achillem ita narrantem,

Stat. Achill. 2.

Iamq; & ad ensiferos uicina pube tumultus
Aptabar, nec me ulla feri Mauortis imago
Præterijt: didici, quo Pæones arma rotatu,
Quo Macetæ sua gesa citent, quo turbine castum
Sauromates, falcemq; Getes, arcumq; Gelenus
Tenderet, & flexæ Balearicus author habenæ,
Quo suspensa trahens libraret uulnera tractu,
Inclusum quoties distringeret aera gyro.

Par etiam fuerit acies ordinare, rationem concurrendi contrarijs frontibus uel lento uel concitatiore cursu ostendere: nonnunquam etiam prælium tum hastis fragilibus sine ferro, tum globis leuibus manu funda'ue iactis committere: uocemq; sonoram in ipso concursu, hostis terrendi causa emittere. Quomodo item acies uel stantes conuertendæ, uel turbatæ rursus sistendę: ad hęc, uel hostes insequendi, uel terga uertenda sint, discere. Sæpe insequentes hostem, uel in insidias delati, uel alia ratione uicti sunt, non rarò qui terga dedere, prælio instaurato uictores euasere. Cautiones igitur horũ discendæ, & quoad eius fieri possit, seruandæ sunt. Ad custodias etiam & stationes tum diurnas tum nocturnas, quomodo & agendæ & occultandæ sint, ad speculandas & explorandas res hostium, ad insidias struendas, milites assuefaciendi. In itinere item faciendo, quomodo in locis & speciosis & angustis & inuijs se gerant, docendi. Ac in ipsis profectionibus efficiendum est, ut, quantum res ferat, milites ordine instructi, confertim & contractè incedant: ne, si in longũ distrahantur, occasionẽ dent hosti se inuadendi: fiatq; ut, cùm neq; primi postremis, neq; postremi primis in tempore opem ferant, omnes separatim trucidentur. Si uerò per angustias uiarum exercitus ducatur, opportunitates locorum diligenter occupandæ sunt. Deniq; discendum, quomodo effici possit, ut magni exercitus parui hostibus uideantur: & contrà, quomodo qui parui sunt, magni

gni in speciem appareant. His enim modis hostes aliàs ad pugnam eliciendi, aliàs terrendi sunt. Erat & illa apud ueteres exercitatio, ut milites in flumina, quæ fortè in proximo erant, descenderent, non tantùm sordium ex sudore eluendorum, sed etiam natationis discendæ gratia. Quæ quàm necessaria sit in bellis, norunt quibus unquam res cum hoste fuit ad loca aquosa. Assuefaciendus est miles, ut signa ab imperatore data obseruet: quorum partim ad prælium ineundum, partim ad recipiendum se in castra, deinde & ad castrametandum, & ad discedendum produntur. Fiunt autem aliâs uerbis, aliâs tubarum clangore, aliâs etiam notis alījs: ut uexilli hastęue depressione, ignis extinctione, & his similibus. Sunt alia exercitādi genera, de quibus, qui in bellis magis uersati sunt, exactius narrare possunt. Ad eiusmodi autem exercitationes ludi solennes in nonnullis Rebuspub. constituti sunt: præmia etiam certantibus proposita. Itaq; & nostræ Reip. ludi similes non essent inutiles, quibus iuuentus armis omnis generis exerceretur. Tempora etiam quotannis cōstitui è Rep. est, quib. ad certa loca omnes qui lege Remp. defendere debēt, conueniant: ac se unusquisq; pro modo facultatum suarū cum equis, ministris & armis, tam ījs quibus tegatur corpus, quàm quibus hostis feriatur, ostendat quàm sit ad bellum instructus. Cautionis est, diem unum edici, quo in omnibus municipījs hæc agantur: ne si diuersis diebus fiant, sumāt alīj ab alījs mutua belli instrumenta. Præficiendi etiam sunt uiri graues & rei militaris periti, qui exercitus lustrent, numerum eorum qui in armis esse debēt recenseant, acies tanquam ad prælium instruant, & quomodo confligendum sit, quid etiam agendum cum hoste doceant: & hastiludia & cataphractorum conflictum fieri iubeant, & alias militares exercitationes instituant: sine quibus instrumenta, quamuis optima, nihil ualent. Certè eorum exercitiorum causa milites limitanei, qui in prælījs uersati sint, accersendi uidentur. Itaq; ex singulis municipījs, ad eosdē limites equestris ordinis homines proficisci par est: nō omnes quidē simul, sed hoc anno hos, annis cōsequentibus alios post alios: ut per uices stipendia faciendo, & Reip. seruiant, & exercitationem armorum induant. Atq; in huiusmodi exercitījs Palatinos, Castellanos, pręsides municipiorum, & quicunq; sunt cum potestate, præstò esse conuenit: ut omnia cum authoritate & maiore cum diligentia agantur, milites'q; sint dicto obedientiores. Nam cùm militis sint partes, & sistere se, & progredi, & hostem ferire, & regredi, et alia pro re et loco agere: profectò qui in his quasi umbris præliorum uersati non sunt, fieri non potest, ut cùm ad solem & puluerem, hoc est in aciem & in ipsum discrimen erit uentum, bene & fortiter se gerant. Metellus imperator aduersus Iugurtham à populo Rom. in Numidiam missus, acceperat ab Albino ante se impe- *Sallust. in bell. Iugurth.*

ratore, militem inertem, licentia atq; lasciuia corruptum, periculi & laboris impatientem, sine imperio & modestia habitum. Quo cum commodè uti non posset aduersus hostem, non prius bellum attingere uoluit, quàm eum à luxu auocaret, laboriq; necessario assuefaceret. Primùm igitur (sic enim narrat Sallustius) edicto adiumenta ignauiæ sustulit: ne quisquam in castris panem, aut quem alium coctum cibum uenderet: ne lixæ exercitum sequerentur: ne miles gregarius in castris, ne'ue in agmine seruum aut iumentum haberet. Cæteris arte modum statuit. Deinde transuersis itineribus quotidie castra mouere: iuxtà ac si hostes adessent, uallo atq; fossa munire: uigilias crebras ponere, et eas ipse cum legatis circuire: itē in agmine in primis modò, modò in postremis, sępe in medio adesse, ne quisquam ordine egrederetur: ut cum signis frequentes incederent: miles cibum & arma portaret. Ita prohibēdo à delictis, magis quàm uindicando, exercitum breui confirmauit: quo deinde optimo aduersus Iugurtham usus est. Sic ille. Et hæc quidem sunt, quæ bellaturis inhærere, in eorumq; ui ac natura inesse uidentur. Nam alia sunt extranea illa quidem, sed tamē necessaria & ipsa, quæ
2 ab eis, in primis autem ducibus belli cognoscantur. Primùm quidem, militum tum suorum tum hostium natura, ingenium, mores, uirtutes & uitia. nam ex ijs multa in utramque partem, quæ uictoriā uel promoueant, uel impediant, colligi possunt. Deinde regionis in qua bellum gerendum sit, situs & natura: montosa sit, an plana: quos fluuios, quas syluas, ciuitates, castra habeat: mores item ciuium & incolarum. Iam locum uel castrorum ponendorum, uel acierum ordinandarū, quantum fieri posit, prænosse in primis conuenit. Ex his enim omnibus multæ rerum gerendarum occasiones arripi possunt. Non omnis locus obsidionem fert, non ad omnem machinæ admoueri possunt. aliter cum Vlysse, uafro illo: aliter cum Aiace, forti quidem uiro, sed minimè insidioso, res agenda est. Polyphemum immanem illum, & ferum, ut uincas, potum illi quo inebrietur præbeas oportet. Multa igitur pro genere belli, & hostis, cum quo bellum geritur, definienda sunt. Nam cum his qui ad fugam minimè apti, statariam pugnam faciunt, aliter res gerenda est, q̃ cum Turcis & Scythis, qui fugam simulando, & interficiunt se persequentes, & pugnam instaurant, & incautos facilè sua multitudine circundant. Hæc omnia prudentibus bellatoribus tenenda & cognoscenda sunt: quorum consideratio plus sæpe ad uictoriam ualet, quàm robur, et hominum multitudo. Ideo et Turca, tametsi multitudine hominum, & instrumētis belli superet omnes ferè monarchas: tamen arte & opportunitatibus plures uictorias adeptus est, quàm potentia. Nouit ille nationum omniū, cum quibus res illi futura sit, mores: nouit regionum & locorum situs. ea

sibi

sibi per exploratores, uel hominib. Christianis cōductis, depingi curat: nec unquā ad nos uenit, nisi omnia cognita prius habeat, & perspecta. Ita scit ubi acies ordinandæ, ubi decertandū, ubi resistendū sit. Sæpe ex nostris morib. certā sibi uictoriā pollicetur. Nam & helluationes, & luxū omnis generis, & discordias nostrorū habet perspectas. Hęc igitur uitanda sunt, & occasiones omnes cognoscendę. Pleriq; mirātur tantā olim Romanorū uincēdis populis fœlicitatē fuisse, ut sibi orbem terrarū subegerint. Etsi aūt fortunā Romanorum permagnā fuisse certum est: tamen nisi exercitatio & disciplina militaris tanta apud eos fuisset, quanta uix apud alias gentes: nisi opportunitatū omniū belli gerendi obseruantissimi fuissent, nequaquam potuissent tam benè uti fortuna sua. Itaq; multi scriptorū tradunt, eos non tam multitudine militū, q̃ arte & peritia uictores extitisse. Et Vegetius narrat, in omnib. scriptorib. inueniri, singulos Coss. Romanos aduersus hostes copiosissimos non amplius q̃ binas duxisse legiones, additis auxilijs sociorū; quæ uel æquabant, uel plura erant. Tantam Romanis fuisse exercitationē, tantam fiduciā, ut cuiuis bello duas legiones crederēt posse sufficere. Et hæc quidē Vegetius: qui ait, in Romanis legionib. sena millia, interdū amplius militare cōsuesse: imò interdū minus, ut in eo bello quod aduersus Antiochum L. Scipione consule gestū est, duas legiones Romanas, duas sociûm ac Latini nominis fuisse: quina milia & quadragenos singulas habuisse, Liuius tradit. Et hæc quidem eò à me dicuntur, ut intelligatur, Romanos parua manu, sed milite exercitatissimo, & ducibus peritissimis, ingentes exercitus sæpe fudisse. Nam & eo tēpore bellū grauissimū ab eis gerebatur, cùm & potentissimū regē, & tertiam orbis partem quasi nouum mundū inuaderent. Sed multi queruntur, artem bellandi, & hanc rem omnē de instruendis aciebus, nostra tempestate parum utilem esse, propter uim tormentorum æneorum, quibus multa hominū millia prosternantur. Quod etsi uerum sit: tamen & illud confitendum est, multa prælia cōmitti citra telorum emissionem ex eiusmodi tormentis. Deinde & ueteribus fuerunt quædam tormenta, qui tamen arte instructis aciebus pugnabant. Imò Turcæ quoq;, qui multum tormētis utuntur, Macedonico more instruere acies dicuntur: nullam etiam armorum exercitationem omittunt. Et scholas eos habere ad id destinatas, ubi iuuentus erudiatur ad bella, certum est. itaq; neq; hominibus nostris ea res omittēda. Iam de armorum genere, de exercitu instruendo, de numero & equitum tam leuis quàm grauis armaturæ, & peditum, & bombardariorū, & sagittariorum, et funditorum, & gerophorontum, & fossorum, deq; rebus alijs ad conficiendum bellum necessarijs præcipere, non est meum. Sunt artifices earum rerum, à quibus ea discere conuenit. De arte & exercitatione hactenus.

CAPUT V.

De moribus & disciplina militum.



QVONIAM uerò neutrum horum aliquid magni efficere poteſt, ſine bonis moribus, ac ſeueritate diſciplinæ: ideo militibus talis uita degenda eſt, quæ declaret eos Dei timentes eſſe, & honeſtatis amantes. Qui in acie uerſari audēt, Dei timoris & proximi amoris expertes, & ſe & patriam in certiſsimum diſcrimen adducunt. Nam conſcientiæ uitæ malæ, eos exagitabunt, gladios & arma è manibus eis excutient: terroribus non tantùm ab hoſte, ſed ab ipſis etiam umbris & foliorum ſtrepitu eos implebunt. Quemadmodum ipſemet Deus ad eos, qui præceptis ipſius non obtemperent, loquitur: Corruetis coram hoſtibus ueſtris: ſubijciemini eis: fugietis, nemine perſequente: terrebit uos ſonitus folij uolantis. Sint igitur milites Dei amantes, eius'que præceptorum obſeruantes: nomen ipſius ne blaſphement, ne'ue in uanum ſumant: ſobrietatem ament: luxum & lautitiam tum ciborum, tum rerum aliarum, ne ſtudioſè conſectentur: ſcorta è caſtris abigant: libidinibus ne ſe polluant: modeſtiam in rebus omnibus ſeruent: neminem concutiant, nullius res auferant, contenti ſint ſtipendijs ſuis. Si quis aduerſus hæc fecerit, uel punitor pro culpæ ratione: uel ſi res ſit leuior, ab imperatore contemnitor, nullaq́ꝫ beneuolentiæ ſignificatione comprehenditor. Carthaginenſes, milites ſuos, quandiu militarent, uino abſtinere uolebant. Mahometes etiam genti ſuæ in armis omnem pulchritudinē & Reipublicæ & religionis oſtendens, uino eis perpetuò interdixit: cuius uſum rei militari quadam ſagacitate uidit obeſſe. Cyrus Perſa uictis Aſſyrijs, prædaq́ꝫ & omnibus rebus ad uictum neceſſarijs potitus, continuit militem ſuum à menſarum lautitijs: pane & aqua cōtentum eſſe uoluit: ideo eodē ſtrenuo deinceps uſus eſt. Contrà Cyaxares cum milite Medo, quum cibis exquiſitis uteretur, crapulæ indulgeret, ueſtes delicatas mutaret: in ignauiam ſe dedit, resq́ꝫ gerēdas neglexit. Hæc quidem ſunt exempla temporū à noſtra memoria remotorū. adferrem & quædam noſtri temporis, niſi eſſent odioſa. Illud in confeſſo eſt, ex cibis & potionibus delicatis, intemperantiā naſci: eamq́ꝫ nullo negotio delabi ad mollitiem, libidines, & imbecillitatem, quę peſtes ſunt Reipub. maximæ. Quid quod aſſueti menſarum lautelis, facilè in morbos incidunt uarios, cibi mutato genere? quod in bellis euenire neceſſe eſt. Modeſtiā in bellis à ueteri populo magnā adhibitā eſſe, exemplū Vriæ Hethei docet: qui ab exercitu Hieroſolymā accerſitus, ne domū quidem uiſere uoluit: multo minus cum uxore cubare, quam habuit ſingulari formæ pulchritudine. ac à Dauide rogatus, cur ita faceret? reſpondit his

Margin notes: Leuit. 26. — Ariſt. in Oecon. — Xenoph. de Ped. Cyri lib. 4. — 2. Reg. 11.

uerbis:

uerbis: Arca & Israelitæ & Iudæi in tabernaculis manent: imperator & milites sub dio castra habent: & ego domũ meam ibo ad epulandum, & ad cubandum cum mea coniuge? at ita tibi uitam fœlicem precor, ut istud nõ faciam. Docet hoc exemplum, belli tempore & gula & uino abstinendum esse, & à uoluptatibus licitis temperandum. Quemadmodum Ioël propheta sic præcipit: Indicite conuentum, edicite ieiunium. Prodeat & sponsus ex suo penetrali, & sponsa ex thalamo. Plorent sacerdotes, Deiq́ ministri, & dicãt: Habe Deus rationem tuorum, ne nobis imperent extranei: & quæ sequuntur apud prophetam. Omnino enim & belli & cuiusq́ calamitatis tẽpore, de bellis, quibus Deus offensus, effundit in nos irã suam, magis cogitandum est: resipiscendum: uita emendanda: cum Deo in gratiam redeundũ: orationiq́ frequentius incumbendũ, ut Deus seruet populum suum ad gloriam nominis sui. Quod cum uetus ecclesia obseruaret, bella sua, bella Dei uocare minimè dubitauit. Cauendũ est aũt in primis, ne inter milites fiant seditiones: quæ solent ferè nasci, hominib. non eiusdem linguæ aut nationis sub eodem duce merẽtibus. Ideo si qui tales sunt, diuersis castris segregentur. Ad prædam aũt, aut annonam diuidendã cõuenientes, ne quid suo arbitratu agant: sed res omnis, præfectis illorum committatur. Profectò consuetudo illa cõcionandi, quę apud Romanos in usu erat, si à nostris imperatorib. usurparetur, multũ conduceret cùm ad res multas, tum ad concordiã inter milites, mutuamq́ beneuolentiam conseruandã: quæ in bellis est maximè necessaria. Turca quidem cum Christianis bellaturus, nihil magis optat, quàm ut inter se sint discordes. Nunquã ille Hungaros concordes uincere potuit: discordes uerò, magis arte & occasionibus, quàm ferro & potentia profligauit. Exercitus Christiani cùm in expeditionẽ educũtur, tantę seditiones inter duces & populos uariarũ nationũ solent exoriri, ut plus laboris sit nonnunquã compescendis illis, q̃ hoste inuadendo. Id certè eiusmodi est, ut animos nobis quidem adimat, desperantibus ab ijs finem unũ inueniri posse, qui sint tanta animorũ disparitate: hostibus aũt addat non mediocres, sperantibus eos facilè uinci posse, qui ipsi à se uicti sunt mutuis seditionibus. Itaq; discordiæ & seditiones uitandæ sunt: atq; illud efficiendum, ut miles se q̃ maximè obedientẽ præstet superioribus suis. Quid est enim uirtus militaris, sine obedientia, quàm temeritas? quę quàm inimica sit bonis cõsilijs in omni uita, in bellis etiam q̃ sit periculosa, multa exempla testantur. Militum quidem non tam consilium, q̃ opera conduci solet. Quocirca miles, quãuis ignarus consiliorũ superiorũ suorum (quæ sæpe occulta fieri necesse est) parêre debet: seu iubetur in castris se cõtinere, seu manũ cum hoste cõserere, seu in fossas descendere, seu uallum murosq́ ascendere, seu quiduis aliud factu necessariũ

Ioel. 2.
Exod. 17.
1. Paral. 5.

exequi: idq; usq; eò, ut si etiam præsens mortis periculum adeundũ sit, ne iussa capessere detrectet. Sine his enim uictoria nullo modo comparari potest: qui finis est bello propositus. Adde, quòd miles dicto obediens, cùm in omni officio facilius continebitur, tum à seditionibus minore negotio retrahetur. Miles cùm multis rebus contumax, ac iussorum negligens redditur: tum impunitate, ac mala de præfectis existimatione. Ergo & in delinquẽtes est animaduertendum: nec quicquam impunè abire permittendum, ne unum delictũ trahat post se alia: quod in omni uita accidere uidemus. Et præfectis danda opera, ut uirtute & prudentia uindicẽt se à mala existimatione. De quib. quidẽ præfectis, ordo exigit ut iã dicamus.

CAPUT VI.

In præfectis rerum militariũ, quarum rerum ratio in primis habenda. Et hîc de Palatinis, et Imperatore, et de reliquis præfectis rei militaris.



1 MNINO Reip. interest, ne uirtutis bellicæ uel prima loca, uel præmia, ambitio occupet: ut'que delectus fiat pro personarum dignitate, sine qua non est quòd aliquis speret se in precio fore apud turbam militum. Vnde igitur dignitas spectanda? Certè, nõ tam ex genere aut diuitijs, quàm ex industria, rei militaris peritia, animiq; robore in prælijs perspecto & cognito. Nemo de capite dimicaturus, præfert equum suæ domi natum, sed pauidum & fugacem: equo uel Threïjcio, uel alibi nato, acri & magnanimo. Quæ igitur, malùm, stultitia est, cùm de salute & quasi capite patriæ agatur, per gratiã promouere fucos tuos, quia domestici sunt & consanguinei: eos'que præferre alienis, industrijs, laboriosis & fortibus uiris? Facile est dici ac salutari imperatorem, ducem, chiliarchum, centurionem, decanum, aquiliferum: sed esse, ac quod res poscit præstare, id uerò longè difficillimum. Multis eiusmodi honores mandantur solius generis ac diuitiarum respectu, hominibus alioqui inexercitatis, nunquam inter tyrones uersatis, uix militiæ adscriptis: qui quales se in munere suo præstare soleant, & lippis & tonsoribus (ut dici solet) perspicuum est.

2 Cùm autem Palatini moribus nostris duces sint in bello, singuli suorum municipiorũ, omnino eos uirtutibus bellicis excellere necesse est. Nihil enim imperito duce turpius: cui consilia, uires, & artes desint rerum gerendarum. Palatini habent sub se Centuriones, Decuriones, Quincuriones, seu alijs nominibus appellatos: cũ quibus consilia communicant, quæ par est occultissima habere. Hos uerò lectissimos esse cõuenit: ac plus in omni opere militari, quàm reliquam militũ multitudinem, exercitatos. Sic enim & militẽ magis obtemperantẽ, & ad quæuis obeũda munera promptiorẽ & alacri-
3 orẽ habituri sunt. Sed in primis imperatorem, cuius nutu omne

bellum

bellum adminiſtratur, eum eſſe oportet, qui & prouidere multa, & ex tēpore conſilium capere, & multarū maximarumq́ꝫ rerum cognitionem habere, in ipſa uerò re militari principatū tenere poſsit: qui & æſtum, & frigus, & labores, & omnes belli incōmoditates plus q̄ꝫ alij ferre: qui exercitū in officio continere: qui in animos militum alacritatē & promptitudinē quaſi influere: qui, quod in rem fuerit, perſuadere uel re uel oratione queat. Quamobrē imperatoris eſt, loca & caſtris metandis, foſſa ualloq́ꝫ muniendis, & bello faciendo, opportuna ſcire eligere: populationib. modum & rationem præſcribere: teſſeras diſcernēdis hoſtib. à ſuis dare, aliaq́ꝫ ſigna in bello neceſſaria prodere: excubias mādare, ac per uices uigiliasq́ꝫ nocturnas diſtribuere: locorū peritiā habere: caſtrorū & ponēdorū & mouendorū rationē tenere: ordinē & in eundo & in recedendo ſeruari mandare: militū animos aliâs terrere, aliâs erigere: ordines tū leuis tum grauis armaturæ inſtituere: officia diſtribuere, & alios cēturiones, alios decuriones, quoſdā ſigniferos, nonnullos etiam prætorianos, qui imperatori ſemper aſsiſtāt, facere: acies pro loco & tempore inſtruere: & ad hoſtē, ſeu à fronte, ſeu à dorſo, ſeu à latere adoriundum, educere: hoſtiū acies uel turbare, uel circumuenire ſtudere: eorum cōſilia explorare, noſtra occultare: milites ſuos ad pugnā confirmare: receptui canere. Vidimus ipſi Hieronymū Laſcium, Siradię Palatinum, prudentiſsimū & fortiſsimū heroem, cùm acies ſuas iam inſtructas obequitaret: ad præliū fortiter ineundū hortaretur: decus ac præmia fortibus, inertibus pœnā ac dedecus nunciaret: occaſiones omnes obſeruaret, nulli parti exercitus deeſſet. Technas, aſtus, fallacias, quibus hoſti imponat, ſibi caueat, cognoſcere debet imperator: cautionesq́ꝫ belli gerendi tenere. Neque uerò, quia hoſti fides data præſtanda eſt, ideo dolus omnis aduerſus illum improbandus. Illud tantùm agendum, ut bellum ſit legitimū. quo ſuſcepto, nihil ad iuſticiam intereſt, dolo pugnetur, an Marte aperto. Quod & Ioſuam Dei iuſſu feciſſe, ſacra teſtatur hiſtoria: *Ioſue 8.* & Poeta inquit, — *Dolus, an uirtus, quis in hoſte requirat?*

Ergo & ſtratagemata ex hiſtorijs cognoſcenda, & cautiones belli gerendi tenendæ. Etſi enim ſæpe illæ uariantur, occaſionibusq́ꝫ extemporaneis plus nonnunquā q̄ꝫ arte ulla utendū eſt: tamen non rarò incidunt tempora, quibus ſimilitudine rerū ab alijs geſtarum, de multis neceſſarijs rebus poſſumus admoneri. Certè omni in re cautum magis, q̄ꝫ audacem imperatorem eſſe debere, multi duces oſtenderunt. In bello etiam Germanico, quod Carolus V. Cæſar anno Chriſti 1547 geſsit, manifeſtè apparuit, magis ille prudentia animi, quàm uiribus corporis, uſus eſt rebus gerendis. De urbiū, locorumq́ꝫ aliorū propugnationibus, obſidionibus, oppugnationibus ac direptionibus: de fame ab ijs qui obſidētur propulſanda: de

pluteis,uineis,tormētis omnis generis uel propugnandæ,uel,si necesse sit,oppugnādæ ciuitati necessarijs: de cuniculis ad muros subuertendos:de hostibus uel repellendis ne clàm murū ascendant,uel exturbandis si in urbē irrepsissent: de maioribus fluminibus traijciendis,de stagnis,de montibus,de locis arduis & præruptis:de officio & in uictos,& in captos,& in proditores, & in eos qui spontè sese dediderunt, de inducijs cum hoste faciendis, deq; rebus similibus,operæ precium fuerit ea legere quæ multi prodiderunt: ut Vegetius, Aelianus,Frontinus,& alij scriptores pręstantes. Quamuis enim animus uirtutis magnitudine & robore septus, ipse excitet se ad res arduas suscipiendas & conficiendas: tamen si ille erit tantarum rerum scientia auctus, exempla'que sibi proponet ducum qui in ijsdem rebus uersati sint, maiore haud dubiè fiducia aggredietur suos tueri,hostes propulsare. Equidē cùm omni præfecto in rebus & actionibus suis,tum in re militari expetendum est duci, ut sit imperandi peritus,& militem habeat dicto audientem. Habeat itaq; milites munerū militariū peritos, qui laborare, qui pericula subire uelint: qui dedecus fugiant, in re turpi uerecundia tangantur. Talium animi facilè excitantur ad imperata explenda. Contrà ignaui, imperiti,leues,& quos nullum stimulat gloriæ decus, alacres esse non possunt,nec frugi,nec assidui imperatis exequendis. Itaque ille mos improbandus est, milites conflandi ex fece omni hominum, numeri tantùm explendi causa. Multi enim uxore,liberis,officina, agricultura,re familiari relicta, in bellum concedunt: ut domestico labore & sudore uitato, licenter uiuant, prædentur, alienis rebus fruantur. Atq; haud scio,an hæc sit causa multorum bellorum infœliciter gestorum. Audiuimus ad solum clamorem Turcarum aduentantium castra nonnulla deserta, pugnas infœliciter cōmissas, arces & ciuitates occupatas.Non est difficile inuestigare causas tot calamitatum: quarum mentio erat facienda in hac tractatione imperatoris. Eius enim est,delectum facere militum,ac uidere cuius quisq; ordinis sit, quam artem exercuerit, quomodo extra tempus belli se gesserit. eorū item ingenia, animos, exercitia nosse: ut sciat, ad quā rem unoquoq; usurus sit in bello.Omnino in uitam militum quotidianam inquiri,non est inutile. Scorta uerò,uoluptatum instiitores, & alios non necessarios homines ex castris remoueri, prorsus necessarium: neq; tam est curandum de numero militum,quàm de peritia. Ipsum igitur imperatorem,cuius est curare hæc omnia, antestare cæteris necesse est, indole bona, disciplina,consilio, fortitudine,constantia, & omni uirtutis genere: ac in primis Dei timentem esse oportet, illiq; fidentem. Est enim hoc non humanum, sed diuinum opus,non inuitis, sed & uolentibus,& mandata exequendi cupidis imperare.Qui autē rebus,quas dixi, præditus fuerit,eius non

non uerbis tantùm, sed aspectu etiam, militum animi mouebuntur ad bellica, quamuis difficilia, opera.

CAPUT VII.

De expeditione in bellum significanda: & de exercitibus in agros hostium primo quoq; tempore educendis.



TERNIS literis (quæ uulgò restiū nomine uocantur) morib. nostris expeditio bellica denūciatur, ijs qui Rēp. ab hoste externo tenentur defendere. Ac primis quidem & secundis literis tātum imperatur, ut quæ ad bellum sint necessaria, ea parentur. Tertijs tempus & locus, ad quem omnes conueniant, edicitur. Non immeritò autem aliquis miretur, cur primæ & secundæ literæ eodem ferè & uerborum & sententiarum tenore concipiantur & scribantur. Quid enim in illis còntinetur, quàm ut equites apparent omnia expeditioni necessaria: & ut parati sint ad iter ingrediendū, cum tertijs literis locus & tempus eis fuerit significatum? Quasi uerò non satis sit, hæc significari literis unis. Magis igitur è Rep. fuerit, ut primis apparatio imperetur: secundis, lustrationibus dies cōstituatur: tertijs, dies profectioni, & locus ad quem omnes adsint præfiniatur. Est enim hoc capitali odio dignū in multis equitum nostrorum, qui nec equum, nec ullam rem necessariam bello habeant: sed cùm dies præscribitur profectioni, tum primùm de equis quo iure quàcq; iniuria acquirendis cogitant: rebus imbellium insidiantur: sacris profanisq; abutuntur. priusquam ueniant ad locum destinatum, nonnunquam hostis cum præda pecorum & hominum discedit. Nihil igitur Reip. cōmodius, quàm ut ante diem discessus lustrationes fiant in singulis municipijs: eo quidem modo qui suprà descriptus est Cap. 4. Oportebit unumquemq; repræsentare se cum equis, armis, & omni bellico instrumento, priusquam sit iter ineundum: nec profectio moram & tarditatem afferet bello. Exercitus in unum coacti, ut primo quoq; tempore in hostiū agros educantur efficiendum est. Turpe est, in patriæ solo expectari hostem. quod tamen à nonnullis aliquoties factum, non ignoramus: à quibus bellum expetitur, non illud legitimum quo salutem patriæ afferant: sed hoc domesticum, cuius prætextu domi omnia uel nullo uel exili dato precio consumant: omniaq; quæ libent, agant summa cum licentia. Non sic maiores nostri, fortissimi uiri, qui rebus omnibus ad bellum opportunis instructissimi, hostibus obuiā procedebant, eorumq; solum quamprimùm ingrediebantur: ibi & uiuebant, & hybernabant, & prælia cōmittebant: nec prius domum, quàm bello confecto, redibant. Itaq; imperium hoc uirtute eorum tantum est auctum, quantum ut à nobis bene regatur & conseruetur optandum est.

CAP.

CAPUT VIII.

De magistratu domi constituendo, qui militum in bellum proficiscentium licentiam & prædam comprimat: & de lege profectionis in bellum.



IAM quod suprà strictim attigimus, magistratus certis in locis constituendi sunt, quales apud nos uidentur esse uel Castellani, uel qui uulgò uocātur Tribuni prouinciarum: qui per tempus profectionis (hoc est, ex ante diem profectioni indictam, usque ad diem quo omnes qui debent laribus paternis discedant, ac se in loco bello destinato sistant) paci domesticæ consulant, prædas prohibeant, iniurias & propulsent & uindicent. Ioannes Baptista, militibus quid se facere oporteat rogantibus, respondit: Ne quem concutiant, ne calumnientur, ut contenti sint stipendijs suis. quibus uerbis legem continentiæ, moderationis, iustitiæ & innocentiæ eis fixit: præda autem, abactione, omni iniuria ac uiolentia eis interdixit. Hodie uidemus ita bellum à multis geri, ut ex comminationibus, periculis alijs intentatis, prędis ac iniurijs maximum faciant quæstū. Optimè est à maioribus nostris constitutū, ut equites singulorū municipiorum ad suos castellanos sese adiungant, cumq; ijs unà proficiscantur: ac in proficiscendo ne consistendi aut pernoctandi causa ad ædes aliquorum diuertant, sed extra pagos & oppida in tentorijs cum equis & impedimentis resistant. Igitur castellanus prius præfectis & incolis loci illius, ubi est cōsistendum aut nox agenda, significaret, ad quam diem sit aduenturus, ut eò ex locis uicinis adferrentur res cibariæ pro equis & hominibus. Quas quidem res castellanus inter milites, prout cuiusq; exigeret necessitas, distribueret, preciumq; eis ex lege statueret. Sin cibaria aut alia necessaria ad diem allata nō essent, soli castellano esset potestas, cum aliquibus delectis, accedendi in urbes & pagos, res accipiendi & æstimandi. Hoc modo castellanus nosceret singulos milites & equites municipij sui: de temperātia & moribus cuiusq; apud regem & conuentum uniuersorum fidem certam facere posset: intemperantes mox animaduerteret: ac ad locum bello destinatum ueniens, Palatino suo in manus redderet. Sunt enim Palatini apud nos bellorum duces: castellani uerò, cogendi exercitus, & eiusdem in expeditionem educendi magistri. Hic mos militaris profectionis à ueteribus Polonis sanctè obseruatus est. Hodie ne umbrā quidem eius tenemus. Pauci cum castellano, pleriq; omnes sparsim procedunt per pagos & oppida: uel maligno uel nullo dato precio, quicquid libeat sumunt: nec leuiora profectionis uestigia relinquunt, quàm hostes, igne tantùm excepto, relinquerent. Domum reuersis, lites quidem intenduntur iniuriarum, ac damnorum datorum: sed

quis & quando finis illarū litium? processus iudiciarij quales? Nam multi equitum mutatis nominibus proficiscuntur. germanum nomen eorū nemo rescire potest: nisi fortè sit, qui de facie olim notum indicet. Lex igitur profectionis ponenda est, ac potius olim posita renouanda atq; reuocanda. magistratus constituendi, qui in trāsgressores mox animaduertāt: quiq; de hac statione defendendæ domi Reip. non prius discedant, quàm ab ijs tuta fore omnia intellexerint, qui expeditionem bellicam ad prædam domesticam conuertunt. Et hoc quidem uel castellanorum, uel tribunorum, uel quorumlibet aliorum magistratuum munus esto.

CAPUT IX.

De militibus in officio continendis, dum sunt in statiuis: & quanti momenti sit in bello fama & existimatio.



EXERCITU in unum locum coacto, uacationē militi à laboribus concedere inutile est. Quòd si hominem unum alere ociosum, molestum sit: totam uerò domum, molestius: profectò multo fuerit molestissimum, exercitum. Itaq; cùm à magnis & serijs rebus exercitui ocium est, ne milites torpescant, & in luxum ac epulas effundant se, ludi eis frequentes instituantur, ac præmia proponātur. Quod fecisse Aeneam Virgilianum constat, qui ocioso exercitui ad hunc modum indicit ludos:

Prima citæ Teucris ponam certamina classis:
Quiq; pedum cursu ualet, & qui uiribus audax,
Aut iaculo incedit melior, leuibus'ue sagittis,
Seu crudo fidit pugnam committere cæstu,
Cuncti adsint, meritæq; expectent præmia palmæ.

Huiusmodi ludis & à luxu pudendo milites abducentur, & laudis cupidine excitabuntur ad decus & officium: & crebra exercitatione tum uires corporis roburq; conseruabunt, tum paratiores reddentur ad seria certamina, tum uerò existimationem bonam colligent sibi apud hostes: quæ certè ipsa eiusmodi est, ut uel sola persæpe ingentem pauorem & consternationem hostibus incutiat. contrà ignauia, deliciæ, crapula, oscitantem militem reddunt, & amissa existimatione minimè formidandū. Est in ore famaq; cohors prætoria Turcica, quam Ianizares uocant: & certè ordo ille disciplina & exercitatione militari est commendabilis. Itaq; annis superioribus sola aduentantium fama exercitus Christiani adeò consternati fuisse dicuntur in Hungaria, ut nullo prælio facto, aliquoties loco cedere cogerentur. Ipsi etiam Turcæ mollitiem & delicias quorundam Christianorum adeò perspectas habent, ut quoties cum eis præliari cogitent, cum porcis saginatis rem sibi fore dictitent. Tantum in mentibus hominum ualent opiniones de fortitudine

titudine ignauiaq́ȝ alicuius conceptæ, & confirmatæ. Danda igitur est opera militibus, ut se ludis & exercitatione assuefaciant, consilijsq́ȝ idoneis instruant ad ardua Martis opera: ocium, crapulam, ac omnem luxum tanquam pestem præsentissimam fugiant: laborem, sobrietatem, temperantiam consectentur. Ab his enim ueluti fontibus, facilè & ad famam hominum, exterarumq́ȝ nationũ profluent: & ad munus suum probè exequendum, contra hostem fœliciter progredientur.

CAPUT X.

Stipendia ad tempus soluenda: præmia benemeritis constituenda & decernenda: ignauis & malè meritis pœnæ.



CUM igitur uirtuti militares honores sint deferendi, tum illud curandum: ut stipendium debitum omni militanti ad diem soluatur. Etenim solutionis tarditas ac procrastinatio, molesta est omni laboranti: sed in primis, grauissimũ Martis onus ferenti. Reddit militem & proteruum, & imperia ducis recusantem, & seditiosum, & ad defectionem cogitantem. Quòd si qua fiat, ut pecunia præstò non sit imperatori, omnino beneuolentia, spe, promissis retinendus est miles in officio: operaq́ȝ omnis adhibenda, ut qui salutem suam omni tempore pro patria morti exponant, pacta mercede ne fraudẽtur. Qui uerò se in hostem præclarè & fortiter gessissent, honore & præmio debito ne careant. Turpe est enim, eos qui cicatrices & uulnera acceperunt, qui se mortis periculis pro patria commiserunt, non digna uirtute sua præmia ferre: adulatores uerò, fœnèratores, & qui pecuniæ conquirendæ rationes tenent, commodis omnibus frui. Olim quidem tanta ratio habebatur fortium uirorum, qui patriæ defendendæ præclaram nauassent operam, ut ex seruis liberi, ex plebeĳs nobiles crearẽtur, alĳsq́ȝ beneficĳs augerẽtur: ac iustis præmĳs deficientibus, uel appellatione, uel cognomine, uel ornatu singulari, uel alĳs insignibus honestarentur. Hinc coronæ illæ ciuicæ, murales, obsidionales appellatæ: quibus donabantur, qui ciuem seruassent, qui murum hostis repellendi causa conscendissent, qui obsidione suos liberassent. Hinc annulorum ornatus, cuiq́ȝ pro expeditionum, in quibus interfuisset, numero concessus. Hinc tituli illi, Pater patriæ, Numidicus, Africanus. Hinc tibicines, & funales cærei: quibus, ut C. Duellius ob rem aduersus Pœnos pręclare gestam, domum à cœna uel è curia nocte redeundo, uteretur publice, concessum erat. Hinc supplicationes, ouationes, triumphi, & alia innumera, quæ & testimonia erant publica uirtutis in magnis rebus uersatæ: & significationes gratitudinis ciuium in homines bene meritos: & quasi calcaria ad Rempub. tuendam alios excitantia. Quamobrem hodie quoq́ȝ uiri fortes &

Valer. lib. 3. cap. 6.

donis

donis & honore uerborũ prosequendi sunt, & sedibus honorificis donandi, & magistratu ornãdi, & spe maiorum præmiorum confirmandi: ac ij qui se uirtute ipsi sua nobilitarunt, nobilitatis insignib. ornandi, armis quoque galeatis, uiuida bello uirtute meritis, augendi. Contrà atq; hodie à multis fiat, qui cùm galeam nunquã in periculis capite gestarint, eam tamen in armis gentilitijs depictam gestare non dubitent. Potestas etiam eis facienda, & aurea ornamenta gestandi, quæ scilicet uel hosti detraxissent (quod L. Manilium fecisse narrãt historię Romanæ, cum hoste deuicto, & torque ei detracta, torquẽ ipsam sanguinolentã, Torquatiq; cognomẽ simul induisset) uel præclaro alio facinore meruissent: & eadem ijs qui ius ferendi non habeant, detrahendi. Hoc cum erit moribus usitatum, pudebit istos ignauos aureis torquibus uulgò sese uẽditare. Certè emeritis quoq; militib. possessiones aliquæ essent cõsignandæ: ubi & ipsi ætate ingrauescente conquiescerẽt, & alijs exemplo essent ad benemerendũ de Rep. & ad fortia facta. Quemadmodũ aũt benemeriti præmijs, ita ignaui & malè meriti conuicijs & pœnis afficiendi sunt, pro culpæ ratione: ut nobiles in plebeios, plebeij in seruos reijciantur: possessiones eis adimantur, magistratu moueantur: aut, si culpa sit magna, capite plectantur. Erat moris Romani, ut si à multis flagitium rei militaris admitteretur, sortitione in quosdã animaduerteretur: ut metus ad omnes, pœna ad quosdam perueniret. Cuius moris M. Cicero in oratione pro Cluentio facit mentionem.

CAPUT XI.

1. De pecunia congerenda, in bellum necessaria. 2. Duplici ratione apud nos geritur bellum: aliàs ab equitibus uniuersis, nullo precio dato: aliàs à milite pecunia conducto. 3. Aestimationem prouentuum alij ad stipendium militi conducto persoluendum referunt: alij adid, ut unusquisq; equitum, qui belli onera legibus debeant, certum militum numerum in hostem mittat. 4. De monte pietatis extruendo, qui constat dimidijs prouentibus semel, uigesimis autem partibus prouentuum quotannis soluendis: de utilitatibus eiusmodi montiũ, de loco, de quæstoribus.



T quoniam neruus belli pecunia est, ideo dicamus de ratione eius cõgerendæ: de qua sæpe & multũ ordinibus regni frequẽtibus disputatũ est. Hæcq; 1 præcipua causa est tot apud nos conuentuũ anniuersariorũ. Etenim pręter bellũ aliquod ingens & asperũ, quod immineat uel à Turcis, uel ab alio hoste, habemus Scythas hostes finitimos, in omnes belli occasiones intentos: apud quos non seritur, nõ metitur, laboribus honestis par citur, ex rapto uiuitur: nec legibus apud eos, nec fidei locus est magnus. Hi quoties sentiunt neminem militum nostrũ in stationibus adesse, adsunt ipsi mox: ac impressione facta, uastant omnia ferro ac

igni:prædasq́ꝫ q̃ꝫ maximas possunt,& pecorũ & equorum & homi num abigunt. Atqꝫ hi sunt hostes nostri perpetui, qui nec rebus repetitis, nec fœcialibus missis, bellũ inferunt: ac potius latrociniũ in nostris terris exercent. Aduersus hos milite opus est, qui in statio-
2 nibus perpetuò excubet. Est autẽ duplex ratio apud nos belli ge rendi. Aliàs enim in bellum itur ab ijs, qui id lege debent & moribus: & horum quidem singuli suis impensis militare tenẽtur. Nam & priuilegijs multis gaudent, & possessiones habent, ex quibus id debent Reip. Atqꝫ utinam illi ipsi animũ inducerẽt, per tempus pacis impensis non necessarijs parcere, ut per tempus belli necessarię eis suppeterent. Nam si ex possessionibus suis bellũ pro Repub. ge rere debent, certè fructus ex illis perceptos non in luxũ conuertere, sed ad necessitatẽ Reip. seruare deberent. Nunc quoniã in pace ingentes ab eis impensæ fiunt in uestes, epulas, ornatũ uarium, & nescio quas res alias: fit, ut temporibus Reipub. difficilimis ægrè suũ tueantur officium. Et hæc ratio est una belli gerẽdi: quam quidem uocant expeditionem uniuersorũ, bellũ Reip. debentium. Aliàs enim non ab ijs qui legibus debẽt, sed milite conducto geritur bellũ. Numeratũ est autẽ ad hæc ferè tempora stipendiũ militi cõducto à colonis, pro iugerum numero: cuius stipendij cogendi causa, suprà diximus conuentus annis singulis præcipuè indici. Sed eiusmodi stipẽdium multis iniquum uisum est, in quo cogendo iugera tatum numerarentur: interea nec quantitatis eorum, nec bonitatis ratio haberetur ulla. Sunt agri quibusdam in locis, non tam cultione q̃ꝫ natura opimi & fertiles: sunt alibi quamuis bene culti & subacti, tamen parum benigni. Ad hæc, quædam regiones sunt melliferæ: quædã pascuis abundant, lignis, armentis, & rebus alijs, unde colo ni multas percipiant commoditates. alibi terra arenosa, nisi grauescat pluuia, malignè alit colonum suum. Iam iugera ipsa non sunt eodem modo laxa in omnibus municipijs. Quomodo igitur stipendium, quod par & æquale ab omnibus penditur, potest esse æquum: cùm quidem iugera agrorum imparia & inæqualia sint, tam spacijs terræ, quàm frugum prouentu, ac commoditatibus alijs? Igitur quæsitæ sunt annis superioribus rationes aliæ Reipub. defen
3 dendæ. Permulti erant, qui multis & grauissimis adducti causis, omnes omniũ qui sint in hac Rep. prouentus æstimandos censerẽt: atque eius rei causa uiros delectos obire, inspicere, & conscribere possessiones & reditus omnium uellent: hoc est, fructus omnes annuos, & ex reditu pecuniario & ex agris prouenientes. Nullius enim facultates ab eiusmodi censu, secundum quem tributa Reipub. penderentur, exclusas uolebant: indignum rati, ut immunis esset oneribus Reipub. qui commoda ex ea perciperet. Itaqꝫ neqꝫ regias, neqꝫ sacerdotum facultates hoc censu liberabant. Et horum quidẽ sententia

sententia diuisa erat. Alij enim, qui expeditionem uniuersorum sine multis populorū nostrorum calamitatibus, accidere posse minimè sperarent, numerandū pro rata parte ab omnibus putabant: nō semper quidem eadem quantitate, sed tamen semper pro ratione redituum uniuscuiusq;, quemadmodum necessitas Reip. postulare uideretur: atq; inde stipendiū militi conducto persoluendū. Alij, qui insolentiæ equitum obsisti, eos'que in debito officio contineri posse putarent, nihil numerato opus esse dicebant: sed unicuiq; pro modo prouentuum, certum equitum peditum'ue numerum imperandum. Qui quidem equites ac pedites, uel omnes unà, si ingens hostium impetus esset reprimendus, progrederentur in aciem: uel si leuiores impressiones (quales sunt istæ anniuersariæ Scytharum) auertendæ, certa equitum peditum'q; pars. Ad quam rem municipia omnia harum prouinciarum in septem uel octo partes (quæ uel tribus, uel alio quouis nomine appellarentur) distribuenda essent; ut singulæ, annuo tempore bellica munia sustinerent: & anno exeunte, in locum priorum sequentes uenirent: atq; ita, unis alijs succedentibus, in orbem belli uices per omnes tribus irent, & redirent. Haberent etiam singulæ tribus Palatinum unum, plures'ue, qui duces essent illarū: cùm quidem ueteribus institutis Palatini municipiorum, duces sint in bello. Ea uerò ratio bellandi, si ad effectum deduceretur, neq; admodum grauis esset; & commoditates Reip. multas afferret. Nam & iuuenes exercitatiores, & patres eorum ad arma omnis generis, equos, currus, & cætera bello necessaria paranda solicitiores redderet: & una tribu militāte, alias domi quiescere sineret: omnesq; & à luxu auocaret, & expectatione ordinis uicis suæ suspensos, negotijs'q; intentos teneret. Nam alij quidem cogerentur ipsi in hostem ire: ut qui sunt ordinis equestris, cuius hoc munus est proprium. Alij uerò, etsi non irent ipsi, tamen pro se equites pedites'q; mitterent: ut Rex, & sacerdotes. Quorum ille, in omnes Reipub. partes intentus, diu ab ea abesse nequit, nec nisi in expeditionibus uniuersorum esse consueuit: isti, ne in his quidem, sacris enim uacantes, arma horrentia Martis tractare nequeunt. Quo magis curare illos deceret, ut tales pro se uicarios darēt Reip. qui illi aduersus hostem, utilem operam nauare & possent & uellēt. Si quis uicariorum non eam quam deberet Reip. operam præstitisset, contra Remp. fecisse iudicandus, & pœna constituta esset puniendus. Et hæc quidem belli gerendi ratio annis superioribus aliquoties in Senatu tractata est. quæ cùm apta sit & percōmoda huic Reip. nunquam ab armis cōquiescenti, mirū est quamobrē sit repudiata. Sed quod culpa seu temporum seu hominū omissum est, posset adhuc publico ordinum cōsensu farciri. Cuius rei, frequentibus municipiorum legatis in conuentu, initia nonnulla ponerentur.

Qui enim ad conuentus mittuntur, possent singuli de numero & equitum & peditum dicere suorum municipioru. Ad quam rem & Palatinorum,& Castellanorum,& præfectorũ,& aliorum qui non imperiti rerum eius de quo ageretur municipij essent, sententię accederent:ita ut paruus error accideret, hac ratione ineũda. Sed longè exactius res ageretur per eos qui publicè deligerentur,ut ipsi accederent singulorum possesiones,suis oculis omnia lustrarent, aut etiam narratione aliorum discerent, caćq; omnia in tabulas inferrẽt, ac tandem in conuentu uniuersorum proponerent. Expedita uidetur ratio, quæ à præsidibus nostris usurpatur : dum ex edicto mittunt in possesionem bonorum alicuius iure uicti, eum qui iure uicisset: (uulgo uocant executionem brachij regalis) ut ubi sit marca una census annui, aut census loco ex agro proueniant cori XII frumenti, id æstimetur marcis nostratibus decem. atq; similis ineatur æstimatio aliorum redituum.Quotenæ autem redituum seu marcę seu floreni respõdere debeant equiti uni, unde etiã pedites designãdi sint, quæsitum est. Non iniquum multis uidetur, ut cuius bona tribus millibus florenorũ æstimentur, equum unum bello bonum alat perpetuò,armaq; idonea habeat,ut cum necesitas fuerit,in bellum sine procrastinatione proficiscatur: duo, quorum bona singulis millenis & quingẽtenis ualeant,unum equum dent.atq; ita quisque pro rata parte in bellum eat.Quorum bona minoris ęstimarentur, pedites essent in bello: ita quidem,ut floreni quinquaginta uni pediti respondeant. Iam commodum, quod ex censu accederet, illud certè est minimè contemnendum,quòd seu numerandum esset, seu miles mittendus,non facilè in Rempub. fraus aliqua admitteretur. Est qui possesionum suarum nomine, tenetur cum centum equitibus expeditioni interesse. Is fortè uniuersum suum comitatũ conflauit ex ijs,quorum singuli ex suis possesionibus uno equo militare debẽt. Ac nostris quidem moribus,totum illum comitatum, hoc est nonagintanouem equites, non opus esset separatim facere sumptum in expeditionem. Simul enim unusquisq; illorum duas sustineret personas:simul & in asseclis illius,cui operam suam locasset,haberetur: & suum munus sustineret, quod Reip. ex possesionibus propriè deberet. An uerò Respub.ad hunc modum non insigniter fraudatur, dum pro 199 equitibus, tantùm 100 in aciem educuntur? Quòd si æstimatio census fieret, non facilè numerus diminueretur uel militũ, uel pecuniarũ, quas quisq; ex fundis reditibus ue Reipub.deberet. Hæc de censu, atq; adeò de duabus rationibus
4 bellandi. Dicamus de tertia. Erat enim non nemo,qui quasi montem pietatis extruendum è Repub. esse putaret. Sic enim symbola uocabat, seu pecuniam,quæ ab omnibus pro modo facultatum semel quidem iusto numero conijceretur,deinde quotannis nõnullo etiam

etiam supplemento augeretur. Sed & hæc ratio, & aliæ quas narraui, quoties propositæ, toties etiam reiectæ sunt. Mira enim sunt nostræ gentis ingenia: quæ consilia noua & inaudita, quantumuis honesta sint & utilia, tamen omnino respuat. Semper igitur ad cōuentus generales recurritur. illi maximo omnium ordinū concursu agitantur: sumptus maximi in eis exercētur: bona temporis pars conuiuijs extrahitur: postremò colonis & oppidanis pecunia imperatur. Hic finis, hæc meta solet esse consultationum omnium. ad hanc ubi peruentum est, iam neque causis audiendis, neq; legibus emendandis magnopere studetur. Etsi aūt, ut dixi, difficile est nostros homines ad aliam rationem, quàm quæ hactenus usurpata est, inducere: tamen quia duas iam ostendi, explicabo & hanc tertiam, si fortè uel temporibus, uel uoluntate adduci poterimus, ut aliquam illarum amplectamur. Montem pietatis, sicuti ego accepi, clarissimus & sapientissimus uir IOANNES LASCIVS, religionis & Reip. nostræ princeps, quodam in cōuentu Petricouię habito, ad hunc modum erigendum censebat, ut quasdam uocaret summas primarias, alias secundarias, nonnullas tertiarias. Primarias dimidijs fructibus æstimabat, quas semel tantùm numerari satis esse iudicabat: cōputatis quidem in fructibus, & censibus pecuniarijs, & agrorum emolumentis. Secundarias, ex uigesimis redituum partibus conficiebat: quas omni anno solui uolebat. Tertiariæ fortuitæ essent, de quibus infrà dicemus, primarijs & secundarijs constitutis. Et quamuis nec primariæ nec secundariæ constitui possent, nisi reditibus singulorū æstimatis: adeò uix quicquam sanciri potest ad perpetuitatem, nisi primùm censu constituto: sed quoniam primariæ non nisi semel soluendę essent, non desperabat Lascius, omnes Reipub. amantes ea bonitate fore, ut libenter & prolixè eas soluerent, sine fortunarum & bonorum suorum exacta æstimatione. Si fortè propter difficultatem numariā arduum esse uideretur, ut tota summa primaria simul numeraretur: credebat tamen, sine magna molestia biennio, uel ad summum triennio numeratum iri & à Rege, & ab omnibus possesiones perpetuas habentibus, atque adeò omnibus Ecclesiastici ordinis uiris, ijs quidem qui beneficia sacerdotalia perpetua perciperent. Eximendos enim hoc numero putabat eos, qui anno uertente quasi motoriam fabulam agere, ac præsidum suorum uoluntate loco cedere coguntur. Sed qui sacerdotijs gaudent perpetuis, ab his pro facultatum uniuscuiusque sacerdotij & redituum ratione (eorum quidem qui ex agris, censibus, proueniunt) & primarias & secundarias summas numerandum esse. Idem & de principibus profanis, & de equestris ordinis uiris, possessiones agrorum & census alios habentibus, intelligendum esse censebat. Hæc erat, de monte pietatis, Lascij sententia. Quæ in eo

Fisci colligendi ratio alia ab authore traditur in Appendice.

quòd primariã summam semel tãtùm numerari satis esse dicebat, ea interpretatione explicanda uidetur, ut quisq; bonorũ aliquorũ possessor semel in uita sua soluat: in cuius locum qui succedat, semel etiam in uita soluat. & sic de aliis in priorum loca succedentibus intelligendum. Nam si in possessiones bonorum ecclesiæ uenientes, singuli pro se numerãt aliquid uel Papæ, uel aliis pontificibus: certè æquum est, ut omnes, aliquas possessiones adeuntes, numerent Reip. cuius totum hoc est, quòd inter multos nomine uel hæreditatis uel meritorũ diuisum est. Non erit autem difficile, Ecclesiasticos homines ad contribuendũ inducere, si, quemadmodũ Rom. Pontifici pẽsiones ob sacerdotia adepta, ita Reip. eandẽ ob causam pecuniam, quã diximus, soluere essent deuincti. Quis enim est, qui non libenter uel integros anni unius prouentus semel in uita sua numeret, ut deinceps, uita suppetente, eis fruatur? Ergo qui in sacerdotium aliquod uenire uellet, hoc nexu in primis obligaretur. Ne autem aliquid fraudis admitteretur contribuendo, sacerdotiorũ omniũ indices (regestra uocant) iussu lociordinariorũ scriberentur: & uel ad synodos ecclesiasticas, uel ad conuentũ uniuersorũ perferrentur: eorũq; sacerdotiorũ æstimationes per possessores legitimè citatos fierent, ac in tabulas publicas referrentur, ut tandem secundum eas solutiones fierent. Lex etiam poneretur, ut qui falsę æstimationis conuictus esset, is & periurus iudicaretur, & sacerdotio priuaretur. Ac ne tanta liberalitas sacerdotibus fraudi esset, uiolatores rerum sacerdotalium grauibus pœnis punirentur: primùm quintupli (loquimur enim exẽpli causa) solutione, deinde decupli, postremò exilio. Ex bonis autem exulis solutio fieret iniuriam passo: reliquum monti pietatis addiceretur. Si uiolator non tantùm haberet rerum, ut ex eis damnũ sarciri posset: hic ad præsidem loci delatus, ipsius sumptu & labore quæreretur: & uel in carcerem coniiceretur, uel seruituti eius qui damno affectus sit addiceretur, uel aliis pœnis subiiceretur. Præses id non faciens, præfectura priuaretur, ac contra Rempublicã fecisse iudicaretur. Quòd si homines ecclesiastici, quibus immunitates legibus ac moribus nostris datæ sunt, tanta liberalitate utẽtur erga Remp. quid tandẽ facere cõuenit homines profanos? quorũ defensio Reip. est propria, qui bonorũ suorum certos habẽt hęredes, qui priuilegiis multis donati sunt à Republica? Certè contribuente una parte, alias iactare aliquas libertates iniquum est. Omnes uehimur quasi una naui Reipublicæ. Vno membro corporis laborante, aliis uita iucunda esse nequit. Hoste etiam, quem Deus auertat, grassante, eodem in periculo sunt bona omnium, tum profanorum, tum sacris initiatorum. Haud scio an in numerum cõtribuentium ad modum iam dictum ascribendi sint ciues & oppidani, agros colentes. Nam colonos quidem, quos Cmethones

uocamus,

uocamus, omnino excipiẽdos puto: qui & quotannis numerẽt do minis suis, & labores omni die ferant. Maximi certè & perennes ex eis percipiuntur fructus: uixq́ alio quàm mancipiorum aut bestiarum loco habentur. Et ratio igitur & æquitas suadet, ut qui uix aliquando respirent ab oneribus, respirent tandem ab hoc tributi genere. Sed de oppidanis & ciuibus agros posidẽtibus quid dicemus? Haud equidem puto singulorum tãtas esse possessiones, ut primariæ summæ conficiendæ multum addere posint: ex quibus nimirum uix ipsi se cum familia in annum alere ualeant. Deinde in moribus multorum esse, ut sępe agros uendant, & alij ueniant in alias possessiones, in aperto est. Neque uideo, qui uelit primariam numerare summam de agro, quem sit altero aut tertio post anno uenditurus. Puto igitur satis esse, ut omnium iugeribus æstimatis, dent singuli oppidani agros posidentes, pro rata parte, quotannis ad secundariã summam conficiendã, singuli scilicet fructuum annuorũ partem uigesimã. Idem de equitum possessionibus censeo, colonis, seu (ut nunc loquimur) cmethonibus carentibus. De mercatorib. opificibus, cauponibus, qui fundos nullos habent, sed rem quærunt artibus suis, difficile potest certi aliquid statui. Omnino res committenda uidetur ciuitatũ magistratibus: ut qui res & artes ciuium suorum in conspectu habent, modum & rationem illis quotannis præscribant, quantum Reip. soluendum sit. Vidi in quibusdam Rebuspublicis obseruari, ut mercatores & opifices magnum arte sua facientes quæstum, quantum quisque lucri haberet, iureiurando profiteretur. qui quidem mos cur improbãdus sit, nihil uideo. Imò aratores quoq́, quin iugera sationum suarum (si necesse sit) iureiurando profiteantur, nihil causæ uideo. Mercatorum quidem & opificum capita mercium non possunt sine iactura fortunarum suarũ diminui. Eodem enim numero, quo fundi agrorum, habenda sunt, & quemadmodum aratores, non fundos ipsos, sed fructus ex fundis prouenientes, seu pecuniam pro illis contribuunt: ita capita mercium salua & integra mercatoribus permittenda sunt. tributum uerò ex lucro, tanquam fructu (quod iureiurando profitẽdum diximus) imponendum illis est. Caupones qui in pagis sunt, nescio cui rectius cõmittantur quàm dominis suis. Opifices uagi, qui certas sedes non habent: institores item, qui uix arte sua sese sustentant, liberi sint ab omni onere soluendi. Quod de oppidanis, mercatoribus, opificibus, cauponibus hîc dictum est, id ad duas priores bellandi rationes (si alterutra illarum probaretur) transferri posset. omnis enim summa ab his omnibus cõgesta, uel ad belli usum, uel ad aliam Reip. commoditatem cõuerteretur. Quæ quidem summa nõ mediocriter augeretur, si Pontifex Rom. annatas à nostris episcopis alijsq́ presbyteris solui solitas, nostræ

Reip. donaret. Nisi fortè annatis à Pontifice Rom. remissis, nō iam separatim Reip. soluēdę essent: sed in summa, quã ab episcopis diximus numerandã, includēdę. Huc etiã iure optimo referendæ essent hæreditates, & possessiones caducæ & uacuę: bonáq; omnia, testamēto uel intestato à quouis tū ecclesiastici tū secularis ordinis homine relicta, quę ad nemině lege perueniãt. Iã pecunia omnis mulctaticia, quã quorũuis criminũ rei peracti morib. legeq; soluũt, nescio an rectius aliquò referaĩ (ea quidẽ excepta, quę ei qui lęsus sit debeĩ) q̃ in hoc Reip. ærarium: unde & defensio paretur, & alijs necessitatibus pub. prouideatur. De extruendo monte pietatis, quẽ si placet fiscum Reip. appellemus, satis, ut arbitror, dictum est. Nunc quis eius fructus, qui locus, qui custodes. Locus tanti thesauri sit omniũ munitissimus, et à finibus hostium remotissimus. Ego pręarce Crac ouiensi nullum uideo aptiorē. nam & munitissima est, & frequentissima. Nisi fortè cautiorem Reip. hunc thesaurum fore putamus, si alio q̃ uel regius uel ecclesię thesaurus loco asseruaretur. minus enim damni fore, si unus horum, q̃ si omnes simul eodem loco repositi, in discrimen adducerentur. Hæc si ratio habenda est, non mihi displiceret arx Petricouiensis, si frequentior esset: aut certè ecclesia ipsa Petricouiensis, quæ sita est in maiore populi frequentia. Sed spero facilè locum, uel si nouus extruendus esset, inuentum iri, si primùm de ipso monte inter omnes conueniret. Diximus aũt in Secundo libro, de templo pro iudicibus generalibus construẽdo. Proximè illud templũ esset amplum ędificium, cuius inferior pars haberet parietes latericios, eosq; fornicatos. Ea dedicaretur huiusmodi monti pietatis. superior iudicibus consecraretur, ad ius dicendũ, & suũ cuiq; tribuendũ. Qui quidẽ fiscus, ut tutus foret Reip. sanciendum esset, ne quid, nisi conuentus authoritate, ex eo alicui daretur. Eius custodes tres essent, qui Fisci præfecti appellarentur: unus maioris, alter minoris Poloniæ, tertius regis authoritate designaretur. In his unus, minimùm, ordinis Ecclesiastici fieret: iurati quidem omnes. Qui pecuniam omnem, datis & acceptis hinc inde syngraphis, tum acciperent, numerarent, in fiscum inferrent: tum exponerent. Rationes tum accepti tum dati, omni anno in conuentu, uel coram ijs qui publicè designarentur, ederent omnes quidem unà. Hocq; disertè cauendum esset, ne quid præfectis, in dando præsertim & accipiendo seorsim, sed omnibus coniunctim facere liceret. Qui pecuniam huiusmodi cõquirerent, ac ad fiscum afferrẽt, Quęstores non ineptè uocarentur: quos & ipsos certos ac iuratos esse conueniret. Atq; hi syngraphas præfectorum fisci, uicissim præfecti quæstorum, ad fidem mutuò faciendam in conuentu apud designatos rationibus conferendis exhiberent. unde constaret de pecunia tum accepta, tum expensa, tum reliqua. Præfectos fisci ad

eum

eum locum ubi asseruaretur, ædes habere conueniret. Nunc quis fructus fisci seu montis eiusmodi esse posit, uideamus. Ille uerò permagnus fuerit, quòd futurus esset tanquam belli neruus, aduersus omnem hostē. Aduersus Scytharū quidem latrocinia, sperarem nunquam exhaustum iri: aduersus alios, aut sufficeret, aut maximo esset adiumento. Est autē hoc rebus gerendis pernecessarium, pecuniam in numerato habere. difficulter enim, cum opus est, conquiritur. & tum exercitus uel serius conscribuntur, uel citius quàm oporteat dimittuntur: multæq; occasiones prętermittuntur rei bene gerendæ. Iam nullius fortunæ perinde atterentur dimidijs fructuum partibus semel in uita, uigesimis aūt quotannis numerandis, quàm si semel, hoste potentissimo imminente, effundendæ, & quasi euertendæ essent. Ex eodem thesauro iudicibus generalibus, de quibus in Secundo libro diximus, milleni duceni floreni pecuniarū in annum: custodibus autem fisci, treceni numerandi essent, in res necessarias. De cæteris iudicum uitæ necessitatibus, eodem in libro Secundo dictum est. Hoc etiam thesauro ita constituto, colonos & cmethones nostros seruitute ista perpetua liberaremus. Hunc uerò fructum non certè in postremis numeremus: atq; haud scio an sit omnium longè maximus. Videre licet uitam colonorū haud dissimilem uitæ mancipiorum: terræ & uomeri affixi sunt perpetuò: totos dies uel sibi ipsis, uel dominis laborant. Multis uix panis in medium annum sufficit: reliquo anni tempore agunt uitam miserrimam. Qui ditiores sunt, hi multis iniurijs sunt opportuni: multas habent artes mali domini, eos deglubendi. nec enim cmethoni de domino suo apud aliquem queri, nec eum in ius uocare licet. Numerant quotannis & dominis & presbyteris. Si quis à tributo annus est uacuus (quod ætate nostra aliquoties accidit) tamen expeditionis bellicæ prætextu, dominis suis sæpe numerare coguntur. ita nomen tantum numerandi eis mutatur: res non mutatur. Haud scio an seruitus Aegyptiaca maior fuerit, hac cmethonum seruitute. An igitur non putamus rem humanissimam & æquissimam esse, ut uel hoc onere tributi soluendi liberentur? Ministros, qui in annum operas suas nobis locauerunt, ita tractamus, ut & cibum & uestem, & pecuniam illis largiamur: illi uerò nec nobis, nec Reip. hoc nomine pendere coguntur. Quid autē Cmethones sunt aliud, quàm ministri perpetui, cum liberis & familia sua? an non satis habent, perpetuos labores ferre? quotannis & dominis numerare, & presbyteris decimare? Profectò & æquitas uiolatur, & ab humanitate multum disceditur, dum & hæc necessitas defendendę Reip. illis imponitur. Quis enim ignorat, supra ætatem & memoriā nostram has regiones omnes ab illis defendi esse cœptas? nam quid interest, defendant per seipsos Remp. an ijs numerēt qui defendāt?

Quòd

Quòd si id Reip. omni iure debuissent, an non satis iam functi officio uideri possint? an non adhuc tēpus sit, meritis illorū uicem reddere? Atqui hoc est ordinis equestris, qui prærogatiuis honorum adipiscendorū in Rep. gaudent, qui possessiones amplas possidēt, ut uel ipsi Rempub. ab hoste defendant, uel ijs numerēt qui sint defensuri, hancq; gratiam de tot beneficijs Reipub. referant. Quod quidem factu illis non esset difficile, si quem luxui modum præstituere uellent. Quantū enim uidemus ab illis impendi in uestes preciosas, in conuiuia, in aureas torques? His rebus & gratiam quærunt, & magnificentiam apud uulgum ostentant. Vtinam isti qui nouorum tributorum solent authores esse, sumptuarias leges condi procurent. Etenim si sumptibus non necessarijs pepercerimus, erit unde sumptus necessarios Reipublicæ suppeditemus. Ego quidem ita existimo, maiorem & diuturniorem fructum capturam Rempublicam ex defensione ad eum modum constituta, quàm ex Cmethonum tributis quantumuis magnis: Deumq; opt. max. facturum, ut temporibus aduersis ipse sit liberator & protector no-
" ster. quemadmodum Dauid rex & propheta testatur inquiēs: Bea-
" tus uir qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala libera-
" bit eum Dominus. Quibus igitur pollicitationibus ad misericordiam egenis & pauperibus colonis tribuendam accendi possumus, si his diuinis beatitudinis & liberationis in die mala futuræ non accendimur? An non putamus fore, ut si in illos duriores esse pergamus, pro beatitudine maledictio nobis & ira Dei immineat, nullusque in die mala nobis misericordiæ locus relinquatur? Magnus igitur fructus putandus est Montis, quem diximus, pietatis, si per hunc Cmethones nostros à seruitute ista liberauerimus. Addamus quartum fructum, & ipsum non contemnendum: ut si fortè Respublica in præsentia uel non egeret defensione, uel thesauros haberet abundātes, possent inde ciues (quo nomine intelligo omnes qui manent unà in hac Republica, sintq; eius quasi membra) mutui nomine sumere, quantum quisque uel pignoribus uel fideiussoribus cauere posset. Deberet autem mutuatarius à centenario florenorum in annos singulos quatuor aut quinque florenos, seu minus, reditus uice, numerare: quæ pecunia omnis adiūgeretur Monti pietatis. & hæ summæ Tertiariæ uocarentur. Sed cautio sit idonea de summa mutuò data: cuius prior ratio haberetur in exigendo, quàm aliarum cautionum priuatis hominibus datarum. debent enim publicæ res præponi priuatorum. Ne liceat rem pignori Reipublicæ datam diuendi. Si quis eam emit, suo damno emit. omnis enim summa ex pignore resarciri debet. atq; hoc etiam à mutuatario cauendum est, ut ad necessitatem Reipublicæ uel summam mox ipse soluat, uel ex pignoribus eam repeti ius fas'que sit. Iam quòd

quòd quæstores nonnulli tributorum usitatorum perstricti sunt sę pe grauibus suspicionibus uel auaritiæ, uel perfidiæ, uel expilationis iniustæ: sperarem equidem suspicionib. eiusmodi nullum deinceps locum fore, si & qui summas afferrent ad montem pietatis, & qui acciperent, fide & tabulis signatis agerent omnia. Profectò in municipijs seu territorijs, uel, ut hodie loquimur, Palatinatibus singulis, necesse est suspicionis fugiendæ causa duos esse quæstores iuratos: qui coniuncta manu & pecuniam exigerēt, & chirographa subscriberent: ita quidem, ut neuter sine altero quicquam ageret: diligentiores essent, & maiore fide agerēt omnia, cùm sibi mutuò conscij essent, rerum à se unà administratarum. Eadem fide & diligentia præditi esse debent custodes, de quibus suprà diximus, montis pietatis: qui & Ærarij pręfecti dici possēt. ad quos chirographa unà cum pecunijs collectis à municipalibus quæstoribus afferri deberent, & ab istis ad municipales alia: ut cùm ad rationes conferendas uentū esset, utraq; chirographa utrisq; testimonio esse possēt. Et id quidem in omni solutione & exactione perutile fuerit, ut & qui dat, & qui accipit, testentur id chirographis mutuis utrinq; datis: quæ iureiurādo utriq; ad ærarium referrent. Hoc modo nunquam, aut uix posset fraus cōmitti pecunijs exigendis, & recipiendis. Et hæc quidem de monte pietatis, seu ærario, deq; alijs defendendæ Reip. rationibus, quas in Senatu aliquoties propositas & tractatas scio: sed nunquam usurpatas, nemo ignorat.

CAPUT XII.

Et soluendum tributum Reipublicæ causa imperatum: & à principibus sine causa non imperandum.



TRIBVTVM & uectigal Reipub. causa imperatum quisq; soluere debet, non tantùm pœnæ magistratus fugiendæ causa: sed etiā, ut ait Paulus, propter cōscientiam. Non enim defensio Reip. fieri potest sine magnis sumptibus & pręsidijs. ideo Paulus & tributa & uectigalia pendi, & onera publica subiri iubet: subiectionisq; necessitatem grauissimis uerbis auget, dum ait, oportere nos subditos esse non solū propter iram, uerùm etiam propter conscientiam. Omnia igitur legitima belli munera, quæ à magistratu iniunguntur, obeunda sunt subditis, si Dei offensionem uitare, pœnasq; grauissimas fugere uelint. Sed tamen magistratus ipsi uideant, ne abutantur ijs quæ Reipub. causa data sunt. Propterea enim Paulus dandum esse affirmat, ut principes debitum Reipub. munus expleant. Qui igitur absumāt, aut aliò conuertant tributa quàm necesse sit, ij tanquam populi sanguinem sugere: qui uerò sine causa ea imperent, ij rapacitatis ac tyrannidis uitio se contaminare putandi sunt.

CAP.

CAPUT XIII.

Prouinciæ omnes uni principi subiectæ, eodem modo uel contribuant, uel militent.



DDAMUS huc, quod etiam in multis conuentibus actū est, è Repub. maximè esse, ut non tantùm municipia Poloniæ, sed & prouinciæ aliæ quæ regno coniunctæ sunt, ad eandem rationem uel tribuendi uel militandi adducantur. Facilius coniunctis uiribus communem hostem repellemus: q̃ si ijsdē dispersis, alij ferant onera, alij ociosi alienæ calamitatis sint spectatores. Omnes uehimur quasi una Reip. naui: eam nos aduersus omnem tempestatem defendere cōmunibus uiribus æquum est. Nam si te cessante nauis in discrimen ueniat, tu reus eris naufragij. Immunitates uerò munerum in publica calamitate iactare, astutorum hominum est, & omnia ad suam utilitatem conferentium: atq; haud scio, an etiam alienum malum expectantiū. Relictus est Hercules ab Argonautis, cùm Colchum pro aureo uellere cum eis petendo, labores nauticos, prætexu excellentiæ quasi priuilegij cuiusdam, ferre cum illis cōmuniter nollet. Deserendi & isti essent in periculis, qui per speciem priuilegiorum communes operas nauare nolunt Reip. defendendæ. Prudentiæ est, uidere, an quæ prouinciæ ab ijs locis ubi bellum gerendum sit, ita remotæ sunt, ut magis sit è Rep. illas cōtribuere, q̃ militem à se longis terrarum interuallis mittere: qui & proficiscendo incommodaret locis per quæ iter faceret: & ad locum belli ueniendo, de uiæ longinquitate ineptus redderetur tractandis armis. Illud difficile est statuere, bonum ciuem esse, qui alijs de summa Reipub. periclitantibus, ipse cum posset, nec militare uellet, nec in commune quicquam conferre.

Arist. Polit. 5.

CAPUT XIIII.

Parta uictoria, quid agendum.



ARTA uictoria, si fortè cęsis fugatisq; hostib. prouinciā eorum nolimus occupare, agendū est de pacis conditionib. cū uictis: confœderationesq; tales faciēdæ, ut ne illis renouare bellū unquā liceat. Et queādmodū Virgilius apes à prælio & ludo inani retrahere iubet hac ratione, —*Tu regibus alas*
Eripe, non illis quisquam cunctantibus altum
Ire iter, aut castris audebit uellere signa.

Ita uictori faciendū, ut potestatem cùm uictis omnibus, tum præcipuè eorū ductoribus adimat belli faciendi. Igitur & sumptus belli ab eis exigendi sunt: & obsides accipiendi: & mulcta indicenda: & tributa auxiliaq; contra hostes nostros, si quando usus sit, imperanda. Quòd si prouinciam hostium occupare licebit, tum consilium capien-

capiendum de ea uel alicui committenda, qui sit perpetua nobiscum amicitia coniunctus: uel à nobis seruanda & retinenda. Verè dictum est à Poeta:

Non minor est uirtus, quàm quaerere, parta tueri.

Itaq; si prouincia retineri non posſit ſine maximis difficultatibus ac ſumptibus, qui ex ea nunquā ſarciri poſsint, potius uel ipſis uictis, uel alij cuipiam, cuius fides & amicitia nobis ſit perſpecta, certis legibus & conditionibus cōmittenda eſt. At ſi prouinciam eiuſmodi ditionis & imperij noſtri facere, rationibus Reipublicæ noſtræ conducat: utpote quæ & ſuis impenſis ſe tueri queat, & ad res noſtras opportunitates multas habeat: tunc quidem ut eam pacatam, incolasq; nobis non infeſtos habeamus, de ea legibus & moribus conſtituenda conſilium iniri oportet: & de ipſis incolis tum placandis, tum in officio continendis: quibus homines tui, quibus maximè fidas, præficiantur, penes quos ſumma rerum exiſtat. Necq; inde diſcedendum, niſi præſidijs relictis: quæ tandiu illic habenda ſunt, quàm diu eſt metus uel rebellionis ab incolis, uel impreſsionis à proſcriptis & uicinis populis. Quoniā uerò milites & ſumptui ſunt Reſpub. & odio, propter uitæ intemperantiā, libidinesq;: nemoq; niſi in ſummo diſcrimine, eorum requirat operas: deinde in regione, in qua domicilium non habent cōſtitutum, ita uiuunt, tanquam altero die diſceſſuri: atq; de rebus, quas in bello acquiſiuiſſent, exportandis, ſemper cogitant: ideo ut prouincia liberetur multis malis, incolis etiam præcidatur occaſio moliendi aliquid mali aduerſum nos: non incommodum fuerit, domicilia ipſis militibus, illis in locis ubi opera eorum ſit neceſſaria, donare: certos agrorū modos aſsignare, ubi & uxores ducant, & familiam alant, & ſint patresfamiliâs. Non erunt nec odio nec oneri tanto ei prouinciæ, cuius incolæ facti fuerint: prouinciamq; ipſam pacatiorem indies efficiēt ſua præſentia, conuictu, comitate, humanitate, cæteriſq; uirtutibus exercendis. Sed tamen nihil militibus concedendum eſt, cum incolarum iniuria. Hoc fiet, ſi uel uxores cum poſſeſsionibus eis concedantur: uel fundi uacui, locaq; ad ædificandum aſsignentur: uel, ſi id minus fieri poſsit, translatis in tuam Remp. hominib. prouincialibus cum omni familia, ubi eis domus & agri concedantur: eorumq; fundis, domibus, agris ijs cōceſsis qui prouinciam tueantur, ſalutemq; & dignitatem noſtram defendant. Interea cum incolis agendum, ut id quicquid moleſti eis uideatur, boni conſulant: rationes prouinciæ egere talibus præſidijs: nec ab externis hominibus, nec à ſeditioſis ciuibus Remp. aliter defendi poſſe: fore tamen, ut cùm res pacatiores fore uidebuntur, præſidia omnia deducantur. Sed ne plura. Quæ in tua Rep. tam domi quàm foris, & pacis & belli tempore, curanda agendaq; ſuperioribus libris diximus, eadem omnia in

 prouin-

prouincia per te parta agenda sunt. Incolæ beneuolentiã tuam Prin cipis cognoscant. Sentiant te patrem suum esse, & pastorem: idq; & iure dicendo, & iniurijs uindicandis, & omnibus quæ Reip. necessaria sint exercendis. Præfecturis & magistratibus prouinciæ illos orn nato: ad militiam, cùm fides eorum erit perspecta, adiungito: aliaq; munera, quę tutò possis, cum illis cõmunicato. Hoc modo animos eorum tibi deuincies, ac in partes tuas pertrahes. Et hæc cum incolis. Cum uicinis autem populis fœdera ineunda sunt. Cum proscriptis, qui uelint supplices esse, ita agendum, ut mulcta eis pro delicti qualitate irrogata, recipiantur in gratiam. Nisi fortè delictum tale est, ut nullo modo in Remp. recipi possint. Sin minus, recipiendi sunt. Reddes tibi eos hoc modo ex inimicis amicos, & multorum tibi studia conciliabis. Omnino & inter arma, clementiæ debet esse locus: quatenus quidem natura & conditio belli ferre possit. Post partam uerò uictoriam, punitis ijs qui authores belli in te fuere, in reliquos humanitas omnis exercenda est. Quid quęso homini ab homine accidere crudelius potest, quàm si res illius adimat, in seruitutem eum redigat, uitam ei eripiat? Si uictor igitur nec rebus, nec libertate, nec uita hominum uiolanda, potest fungi suo, hoc est, ueri principis, atq; adeò patris & pastoris officio: quid tandem causæ est, quo minus humanitate & omni clemẽtia utatur in uictos? hoc est, in fratres suos seu errore, seu temeritate, seu superbia, seu quouis uitio lapsos? CHRISTI, illius mortis & inferni uictoris, uox est, qua iubemur ignoscere alijs, quemadmodum nobis uelimus ignosci. Vbi igitur locus est maior ignoscentiæ, humanitati, clementiæ? præsertim cum populos in fide & obseruantia continere diu non queas, nisi clementia. Malus enim est (ait Orator, & idem Philosophus, Senator, & Imperator) diuturnitatis custos, metus: contrà, beneuolentia fidelis est uel ad perpetuitatem.

CAPUT XV.

Epilogus, ubi causæ belli iusti repetuntur: & exhortatio ad pœnitentiam scelerum.




HACTENVS à nobis exposita sunt, quæ ante bellũ, quæ in bello, quæ post bellum gerenda uideantur. Consilia scilicet, quæ ad pacem cum dignitate tuendam pertineant, uel exquirimus, uel ab alijs data narramus: honesta quidem, ut nobis uidentur, & laudabilia: successum uerò à summo & præpotenti Deo petimus, sine cuius ope nullæ uires quantumuis magnæ, nulla cõsilia quantumuis bona nobis proderunt. Itaq; & hoc curandum est, ut omnia bello necessaria conquiramus & apparemus (id quod à sanctissimis uiris, qui præerant Rebuspub. factitatũ animaduertimus:) & Deũ supplicissimè rogemus, ut adiuuet conatus nostros.

Ergo

Ergo & cum Deo redeundum est in gratiam, & habenda iusta belli causa. Non nos incendant ad bellum cupiditates uel gloriæ, uel finium propagandorũ. Iustissima belli causa fuerit, iniurias propulsare, populosq́ nostros ab hoste tueri. Sed ad hæc accedat uitæ & morum nostrorũ emendatio: sine qua difficile dictu est, ut sperare quis possit uictoriam. Inuitus facio, ut in exemplum proponam uicinum nobis & socium regnũ Hungariæ: sed quia & ipsum notissimum est omnibus, & res in eo gestæ à memoria nostra remotæ non sunt, ideo spero mihi hanc ueniam datum iri, si breuiter de eo dixero. Erat regnum illud & uetustate nobilissimum, & bellicis laudibus clarissimum, & auro argentoq́ ditissimũ, & omni armentorum genere locupletissimum, & uini frugumq́ prouētu fertilissimum. Quid igitur in eo regno deerat ad uitam beatè fœliciterq́ degendam? Habuit regem memoria nostra sanctissimũ Vladislaum, regis nostri Sigismundi patris tui germanum: habuit postea Ludouicum, tuum (rex Sigismunde secunde) patruelem fratrem. Ab utroq́ bella gesta sunt cum Turcis, iustissima illa quidem, ut ego arbitror. nam & iniurias ultum ibant, & populos suos ditionesq́ tuebantur. Verùm quia peccata Hungariæ (sic enim dicendum est) exundauerant, ideo uicta est, & optima eius pars ab hoste occupata. Quid igitur? an Turcica fortitudine? Ego quidem ita arbitror. Sed idem ipse affirmare ausim, Deum fuisse, qui fortitudinem Turcarũ in populum suum excitauerit: qui illos ad uindicanda scelera pópuli sui euocauerit: qui & arcus tetenderit, & sagittas exacuerit: & ungulas equorum ut silicem, & rotas quasi impetum tempestatis, & rugitum eorum tãquam leonum formidabilem effecerit. Cur enim non eodem modo de hoc mihi loqui fas sit, quo Deus (ut refert Esaias, diuinus uates) loquitur, in Iudæos Nabuchodonozorē missurus? Quòd si Deus Nabuchodonozórem seruum suum uocat, quo duce Iudæos profligauerit: an non uocabit Turcam seruum suum, per quem Hungaros punierit? O' q̃ dolenter hæc à me dicuntur. Sed audiamus cætera. Post Ludouici interitũ, duo reges (liceat mihi quæso de his & loqui & sententiam ferre, quæ sint exemplo nobis cæterisq́ monarchis) duo igitur reges de Hungariç regno contendere, bellaq́ gerere cœperunt: alter à principib. Christianis desertus, in fidem ac clientelã Turcæ se contulit. at ille patronus, clientis sui amicum primò, socium, fratrem, deinde dominum se appellauit. Alter regum illorum, bella cum Turca gessit: populos multos & ex Germania & ex aliįs nationibus in Hungariã eduxit. Sed quid tandem effecit? Exercitus illius partim fugati, partim profligati: oppida, ciuitates, arces multæ, atq́ adeò regia ipsa capta, occupata, moribus & religionibus Turcicis imbuta & infecta. Quid igitur putamus in causa esse uictoriæ huius Turcicę? an non uidemus Turcam

esse, per quem Deus & punit, & puniturus est peccata populi sui? Quæ si nos ipsi non punierimus, aderit Turca seruus Dei uiuentis, cum equis, curribus, arcubus, sagittis & frameis suis, non aliter nos (heu horrore perfundor, hæc referēs) puniturus, quàm Hungaros punierit, uicinos nostros. De hoc & in querela nostra de pœna homicidij copiose, & hîc breuiter diximus: ut earum rerum tibi, Rex, & populis tuis cogitationem (in qua te uersari quotidie cupio) pro mea parte inijciam. Si igitur hostem hunc à ceruicibus nostris auertere uelimus, demus operam, ut uitam nostram in melius commutemus. Etenim mores corrupti nostri, fides & officium neglectum, uita pœnitere nescia, maximum & firmissimum robur est hostis aduersus nos. Contrà, præcipua arma nostra in pœnitentia & precatione posita existimemus: quibus iram Dei placemus, & tantas calamitates à nobis propulsemus. Hoc cum erit factum, tum causæ iusticia nobis erit adiumento. Neq; enim nos inferemus bellum, sed propulsabimus: neq; pro ambitione aut gloria, sed pro aris, focis, liberis, uxoribus, deniq; pro Repub. & religione pugnabimus. Frangentur tunc uires Turcicæ, & omnium hostium. non eis proderunt artes belli, non hominum multitudo. Deo enim pro nobis pugnāte, hostes omnes & diaboli ipsi cedant necesse est. Et hæc quidem de ciuili hominum societate, quæ domi moribus & legibus gubernatur, foris armis ab hoste defenditur, dicta sint. Nunc ad Ecclesiam, & cœtus sacros transeamus.

LIBRI III DE BELLO FINIS.


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

ANDREAE FRICII Modreuij Appendix Librorum de Emendanda Republica.

EIVSDEM,

ORATIONES QVATVOR, DE POENA HOMICIDII:

Quibus praeposita est Epistola ad Equites Poloniae, & reliquae Sarmatiae.

ADDITA EST

ORATIO, titulo PHILALETHIS.

AD HAEC:

ORATIO de Legatis ad Concilium mittendis.
Vnà cum EPISTOLIS aliquot
lectu dignissimis.

TOMVS III.

D²

Appendix Librorum de emendanda Rep.

ANDREAS FRICIVS MODREVIVS REGIVS SECRETARIVS, EQVITIBVS Poloniæ ac reliquæ Sarmatiæ S. D.



FACITIS ut uos decet, Equites: cùm nihil constitui uultis in Repub. inconsultis uobis. Est enim ordo uester non tantùm ad Rempub. ab hoste defendendam: sed etiã ad prouidendũ, ne quid ea uel in moribus, uel in legib. domi capiat detrimẽti, constitutus. Veruntamen q̃ nihil apud nos loci uultis esse nouis & inauditis consilijs, in eo aliquis nõ immeritò modũ in uobis desideret. Sunt enim pleraq; noua quidẽ, & antea apud nos minimè usurpata: sed tamen & honesta, & maximarũ utilitatũ plena. Quorum nonnulla in Libris de Emendanda Rep. exposui. Et si quædam adhuc exposuero, nihil, ut opinor, alienum officio meo fecero. Obligatum enim me Reipub. puto, ex quo tempore annumeratus sum Secretarijs Regijs, non tantùm ad celanda ea quæ Reip. obessent, sed etiam ad ea patefacienda quæ illi prodesse possint. Neque uerò ego is sum, qui me præ alijs, quod prosit, obsit'ue, uidere melius existimem: sed cùm maximorum uirorum grauissimas de Repub. sententias sæpe audiuerim, aliorum etiam inferiorum ordinum disputationes non ignotæ mihi essent, statui eas ad uos perscribendas esse: ut si fortè uobis probentur, eas curetis ad effectum perduci. Quod si officium hoc meum gratum uobis intellexero, gaudebo Equites: sin minus, me conscientia rectæ uoluntatis consolabor: atq; apud animos omnium qui hæc legent, testatum relinquam, nihil mihi magis in optatis esse, q̃ ut uideam Remp. quàm optimè constitutam. Nunc de re dicere incipiamus.

CAPUT I.

De causis conuentuum, quæ duæ sunt: Iusticiæ administratio inter ciues, & defensio ab hostibus. 2. Utra alteri præferenda. 3. De causis item magistratuum, ac quibus rebus præditi esse debeant. 4. Postremò, de iudicum officio.

QVAS præcipuè ob causas conuentus anniuersarij solent apud nos celebrari. Primùm, iusticiæ administrandæ 1
causa. Deinde, ad defensionem contra hostem externũ constituendam. Ab omnibus enim municipiorũ iudi-

executio prudenti & bono uiro, qualem iudicem esse oportet, commendaretur. Ac iudiciorum quidem rectam administrationem consequitur pax, cõcordia & salus publica, aliæq; multæ & summæ commoditates: neglectum uerò ac peruersitatem, dissensio, odia publica priuataq;. unde existũt simultates, hostilitates, iurgia, manuũ iniectiones tum ad uulnera, tum ad cædes: & quæ non mala? Quæ Deus tandem punit uel rebus terribilibus extrinsecus obiectis, uel seditionib. immissis, uel aliquibus erumnis: quæ & à domesticis & ab externis populis proueniunt, uel bello teterrimo & exitiabili.

Iam de iudicijs nostrarum prouinciarum quid dicẽdum sit, opinor quenq; uestrûm cum animo suo cogitare. Neq; uerò dicam de illis quæ in singulis municipijs exerceantur. Illud dicam, in tot tantisq; turbis litigatorum, paucissimos esse, qui à subsellijs municipalibus iudicium non deferant in conuentum uniuersorum. Quod seu fiat improbitate litigantium, seu municipalium iudicum culpa, nihil attinet in præsentia dicere. Illud quidem constat, multa esse millia iudiciorum: quorum nonnulla abhinc uiginti & amplius annos cœpta, adhuc ad exitum perducta non sunt. Constat & illud, tot & tantos indies cumulos controuersiarum accedere, ut Rex cum Senatu, multis & maximis rebus alijs implicatus, cognoscendis illis uacare nullo modo posit: nisi fortè conuentus in tempus longissimum extraherẽtur. Quod cùm commodè fieri nequeat, uidemus ingentem litigatorum multitudinem, temporis & sumptuum iacturam facere: ex cõuentibus re infecta discedere: & rursus ad alios conuentus redire oportere, nullo cum fructu. Quorum si qua cura nos tangit, omnino alia ratio quærenda est finiendi tot causas: iudicesq; generales constituendi, qui hoc munere iudicandi fungantur.

CAPUT II.

De fisco Reip. & iudicibus, & alijs necessitatibus Reip.



QVONIAM autem nemo militat stipendijs suis: dignusq; est operarius mercede sua: Reip. interest, cõsulere necessitatibus iudicum generaliũ. Quod quidem fieri non potest sine præsenti pecunia. ideo de ratione eius colligendæ iam dicendum est. Sunt in regno nostro, & prouincijs ei adiunctis, amplissima sacerdotia, quos episcopatus uocamus. Sunt & alia uarij generis, minora quidem illa, sed unà coniuncta maximi æstimanda. Horum omnium indices per episcopos ad conuentum perferrentur. deinde, ipsa sacerdotia iureiurãdo eorum qui possident æstimarentur: connumeratis quidem in sacerdotiorum reditibus, tam decimis, quàm alijs censibus & prouentibus, cuiuscunq; generis. Ea ęstimatio seu in conuentu fieret, seu ex synodo episcopali ad conuentum regni perferretur, in tabulas publicas referenda esset.

Lex etiam ponenda, ut qui pro certo compertus foret parum uerus

fuisse indicanda sui sacerdotij æstimatione, hic præterquàm quòd periurus iudicandus, etiam iure sacerdotij, cuius prouentus sciens ac uolens iniquè æstimasset, priuandus esset. Aestimatis ad hunc modum sacerdotijs, postulandum fuerit à possessoribus illorum omnibus, primùm ut prouentus anni unius donent Reipub. semel, idq; quamprimum: si non possint simul, saltem uno anno medium illorum, altero reliquum. deinde, ut annis reliquis summã certam, uerbi gratia, Decimam census æstimati partem numerent.

Hoc si à præsentibus sacerdotiorum possessoribus obtineri non posset, obtineretur tamen facilè ab illis qui istis successuri sint: siquidem patroni sacerdotiũ nemini darent, nisi eo nexu obligato. Qui nexus in alios deinceps, qui annis consequentibus in sacerdotia, seu morte prioris possessoris, seu iuris cessione uacua, sufficiãtur, transferendus esset: neminiq; sacerdotium concedendum, nisi obstringatur ad soluendum, modo iam indicato, tum annuos sacerdotij prouentus semel, tum decimam illorum partem annis reliquis.

Danda esset opera, ut homines seculares ad contribuendum eodem modo inducerentur: nec priuilegijs ullis onera communia recusarent. Cùm enim personarum ecclesiasticarum decimę uetustiores sint, quàm nobilium ullæ prærogatiuæ: neq; tantùm diuina lege, sed moribus ac legibus patrijs, immunitates munerum illis datæ sint: minimè deceret, his numerantibus, alios libertates ullas iactare. Hoste enim, quod Deus auertat, grassante, ac nostra occupante, ratio nulla haberetur secularium aut ecclesiasticorum bonorum. Verùm seculares, excusationes quasdã solent afferre. Primùm, quia non tantùm homines illis subiecti numerant militi mercenario: sed & ipsi, si necesse sit, coguntur ad bellum proficisci. Deinde addunt, dignitates ac officia Reip. quibus solent honestari, non ita esse prouentibus aucta, atq; episcoporũ, abbatum & aliorum ecclesiæ prælatorum. Ad hęc, cùm habeãt uxores ac liberos, sumptus eorum causa se maiores facere dictitãt. Hæ causæ si seculares à contribuendo liberẽt: certè tamen ab ordine ecclesiastico postulandum fuerit, ut ne Reip. causa tantum numerare grauentur, quantum diximus. Ad quod faciendũ, si qui præsentes sunt, adduci nõ queãt, facilè adducentur qui postea sacerdotijs augebuntur. Quis enim est, qui nõ libenter hanc quasi pensionem seu annatam det, ut deinceps sacerdotij reliquis prouentibus gaudeat? præsertim, cùm id omne in fiscum Reip. esset inferendum.

Neq; uerò hoc fine, hacq; ratione numerantibus, metuẽda esset ambitus (quam Simoniam uocant) macula. Memini ego, à morte Pauli tertij Papæ uulgò dici, Cardinales, cùm de pontifice nouo eligendo consultarent, hanc futuro pontifici, quicunq; ille esset, conditionẽ tulisse, ut bona & agros ecclesiæ certos, fortasse Parmenses,

sineret

sineret esse in potestate Farnesij: qui Paulo pontifice eosdem possideret. Hoc Cardinales sine metu Simoniæ putabāt fieri posse: quòd id è Rep. esse iudicarent. Non igitur contributio huiusmodi, quæ pro Rep. fieret, in Simoniæ sordibus, sed in summis ac immortalib. beneficijs numeraretur. Simoni quidem Mago (à quo Simoniæ nomen deductum est) cum pecuniam apostolis offerret, ut cui manus imponeret, is spiritū S. obtineret, illud in maledicti loco obijcit Petrus, quòd munus diuinum pecunijs comparari posse existimaret. Quid autem hoc ad eam contributionem, quæ pro Rep. fieret?

Ac ne eiusmodi liberalitas sacerdotum debito præmio careret, sanciendum & edicēdum esset à rege conuentus authoritate, ut nemo deinceps seu expeditionis seu pacis tempore, aliquam uim inferre auderet bonis sacerdotalibus: grauissimis quidem propositis pœnis, ut qui id primùm perpetrasset, solueret (loquimur enim exempli gratia) quintuplo plus quàm accepisset: qui secundò, decuplo plus numeraret: qui tertiò, ageretur in exilium. Ex bonis illius solutio fieret iniuriam passo: reliqua bona eius fisco addicerentur. Si, qui manus bonis presbyterorum uiolēter attulissent, uel possessiones nullas haberent, uel non tantas ut ex eis damna illata sarcirentur: hi ad præsidem loci delati, cura, opera, labore & sumptu ipsius quærerentur, caperentur, in uincula conijcerentur: & uel seruituti eius cui damnum dedissent, addicerentur: uel pœnis alijs afficerentur, tanquam uiolatores edicti publici. Est enim illud scitum: Qui non potest ære, luat corpore. Præses non parens huiusmodi legi, præfectura priuaretur: & contra Remp. fecisse iudicaretur.

Hæc de pecunia ex sacerdotum bonis contribuenda: deq; eorum pœna, qui illa deinceps uiolarent, dicta sint. Orandi autem sunt episcopi & omnis ecclesiasticorum ordo, perq; nomen Reip. ac ea omnia quæ illis sanctissima sunt obsecrandi, ut illi miserti calamitatum patriæ, cuius sunt aucti commodis, hoc iaciant fundamentum thezauri publici: unde Resp. ipsa beneficijs immortalibus ab illis afficiatur: ciuesq; singuli gratia & charitate incredibili sint eis perpetuò obligati. Si, qui præsentes sunt, id recusarent: in eorum loca qui sufficientur, certè non recusabunt. Nunc quisq; cum animo suo cogitet, quàm hoc præsentibus honestum esset, uinci à successorib. liberalitate erga Remp. Quæ quidem Resp. haud sciàm an iure hoc faceret, si in locum præsentium alios succedere optaret, beneficiorū quæ ab illis perceptura esset expectatione. Verùm de benignitate præsentium, qui hanc nobiscum incolūt uitam, ut melius speremus, cùm multa alia faciūt, tum præclara uox uiri amplissimi NICOLAI DERSKOVII, pontificis maximi, ac primas in hac Rep. ferentis: qui proximo in conuentu primo loco rogatus sententiam, dixit è Rep. esse, constitui thezaurum, de quo suppeditentur sumptus tum ad

bellum, tum ad alias Reip. necessitates. atque hunc ipsum thezaurum ex nomine uocauit Montem pietatis. Eam nimirum contributionem intelligens, quam IOANNES LASCIVS, ante illum sextus eodem in loco Reip. sedens, dixit: eiusque inuentor fuisse dicitur. Fecerunt eiusdem montis nonnulli Senatores alijs in conuentibus mentionem. Tam enim grata sunt bonis omnibus & Reip. amantibus bona consilia, ut etiam authoribus illorum e uita sublatis, uiuant, & iucunda recordatione à posteris repetantur. Cùm autem nos, qui domum Lasciorum annos permultos familiaritate deuinctam teneremus, consilium illud Lascij ab iniuria obliuionis asserere, atque literis mandare non grauati essemus: placuit & hoc aliud, non admodum illius dissimile, ad uos perscribere: sermonesque hominum prudentissimorum & Reip. amantissimorum, in quibus quoties licet libentissimè uersamur, uobiscum communicare. Vestrum est Equites, curare, ne hoc quicquid est, frustra ad uos pertulisse uideamur: ne literulæ nostræ uobis deinceps conticescant.

CAPUT III.

In quo est breuis commemoratio uitiorum quorundam Reip.


AEC autem dum ad uos de iudicijs ac defensione, deque Reip. thezauro scriberemus, obliuisci non potuimus aliarum quoque partium Reip. de qua proximè emisimus tres Libros: & nunc quædam uobis in memoriam renouare constituimus. Facite per Deum immortalem, ut non tantùm de libertatibus uestris conseruandis, de negotijs cum exteris populis tractandis, & alijs magni momenti rebus conuentus agi uelitis: sed minorum etiam, ut uidetur, partium Reip. curam maiorem suscipiatis: legum nonnullarum peruersitatem tolli, licentiæ passim uaganti fræna inijci curetis. Accusat uulgus sacrificos officij uel neglecti, uel parum dextrè obiti: fortasse non immeritò. Verùm isti ipsi accusatores in aliorum erratis sunt nimium oculati: in suis minimè. Omnes enim sic ferè sumus, ut in alios malorum causas conferamus: nobis ipsi indulgeamus ac blandiamur, tanquam insontes essemus culpæ omnis. At ne erremus, non minimæ sunt culpæ illæ, quę in quo resideant, uos ipsi iudicate. Multos annos causæ & disceptationes uarij generis uersantur in foro, quibus adhuc fines impositi non sunt. Cædes, omni anno passim perpetrantur in hac Rep. Homicidia. Quis autem tanto malo remedium seriò adhibendum curauit? Illud permirum, hisce annis proximis oratores municipales permultos in conuentibus fuisse, qui de testamēto Dei uiolato, de lege Dei reformāda, uerba publicè, summa ordinum omnium frequentia, fecerint: de lege Dei in homicidas uerbū fecerint nullum. An putandum est talibus cordi esse res diuinas, qui sui amore, aliorum odio, iacere patiūtur legem quæ fundamentū est rerumpub. diuinarum?

Quot

Quot sunt occasiones, quot uiæ ducentes ad periuria, tum in iudicijs, tum in finibus regundis? Nos hæc nihil mouent. Scilicet lex illa non ad Christianos pertinet: NOMEN Dei inaniter ne adhibeto, ne'ue falsò usurpato. Adeò autem periuria multorum notata sunt, ut nullus ferè qui de dignatione laboret, uelit in loco testis iuraturi se numerari. Homines persæpe quæruntur, qui præter titulum nobilitatis uix ullam habent commendationem. Quàm superbè & insolenter se multi gerunt ob solum nobilitatis nomen? neq; id ferocitate naturæ faciunt, quod ipsum minus mirum esset: sed sola illa persuasione, ordinem suum esse quem talibus moribus preditum esse oporteat. Prætextu uerò libertatis in possessionibus fundatæ, quantum apud nos licentiæ regnum? Seu homo occiditur, seu uis infertur bonis alienis, seu quiduis mali perpetratur, patratores passim ac liberè uolitant. Viam eius qui uadimonium obiturus ad iudicem proficiscebatur, scelere aduersarij cruentatam esse audiuimus. Parietes eorum qui finibus regendis dabant operam, sanguine humano cõspersos accepimus. Dies iudiciorũm, seu, ut nos uocamus, terminorum nescio cuius municipij atros & funestos fuisse, ex multis cognouimus. Adeò autem hæc moribus uestris, ac potius impunitate diuturna usitata sunt, ut nec iudicia uestra tuta sint à bombardis, gladijs & lanceis uestris, Equites: nec fines ullos agrorum uestrorum constituere, nec amicitiam aliqua ex parte uiolatam inter aliquos reconciliare, nouistis, sine ui, ac illis ipsis gladiatorum instrumẽtis. Quasi uerò talis sit Respublica uestra, ut non iure, sed ui, in ea perficiẽda sint omnia: aut quasi omni ratione destituti sitis, ut nihil quisquam obtinere ualeat, quod non uiribus præstare posiit. Quid memorem uiolentos & furentes multorum impetus? Quid inuasiones rabiosas in uitam & fortunas alienas? Quid eiectiones immanissimas ex domibus & sedibus uetustis? Tantùm scilicet quisque sibi permittit, quantum ualet uiribus. Hi sunt fructus praeclaræ istius libertatis uestræ, Equites. In ea latent omnia, quæcunq; libent ijs qui ea gaudent. Nam & qui hæc commiserunt, hac luce fruuntur: & quibus patet hoc profugium, ij ad omne facinus audacissimi habentur. Non immeritò. Non enim magistratui manus in eos injcere licet, qui possessiones ullas habeant: nisi si iure uincantur. Quot autem, Dij boni, remoræ sunt ad eam uictoriam? deinde uictoria parta, quot impedimenta perueniendi ad ius quæsitum obtinendum? Ita libertas ista, potentiorum est tantùm. Tenuioribus uerò iniquam & grauem imponit seruitutem, & oppresionem intolerabilem. Multi quidem uestrûm iactant hanc generis uestri libertatem esse propriã. Verùm res ipsa clamat, & uos sæpe uidetis, non tam generis esse, quàm opulentiæ & audaciæ. Nam quo quisque ditior est, & ad iniuriam tum repellen-

Insolentia.

Libertatis abusus.

repellendam tum inferẽdam instructior, hoc est ea libertate tutior. Quo est tenuior, & ad iniuriam uel declinandam imbecillior, uel faciendam imparatior, hoc est libertatis huius ictibus ac impressioni magis expositus. Sed sit hæc sanè libertas par uestri generis omnium. Qualis tandem ea censenda est, quæ est contra ciuilem societatem, contra naturam, imò contra charitatem Christianam, & contra Euangelium? Quæ omnia, facinorosos ex hominum congregationibus excludi iubent: pugnantes gladio, gladio perire præcipiunt: non sinunt maleficos in hominum cœtibus uersari, ne consuetudine, colloquio, & umbra ipsa noceant bonis: nolunt nobilitatem ullam talem esse, quæ præbeat alicui peccandi licentiam: cùm sit testis & quasi imago uirtutis maiorum nostrorum, nobisque ad uirtutem debeat esse incitamentum. De libertate satis, ac potius extrema quadam & intoleranda licentia. Alia exponamus. Causa apud nos uix unquam fuit tam iniqua, quæ non suum nacta esset patronum: & eum quidem & uiribus præstantem, & authoritate insignem. Animaduersum est, solenne illud quibusdam fuisse, ut clientes aduersarios, suo patrocinio comprehenderent: quos omnes in partes tuerentur. Ita causæ uel minimè intricatæ extrahebantur patronorum arbitrio: pars iniuria oppressa cogebatur uel causam deserere, uel cum aduersario conditionibus iniquissimis trãsigere: funiculus tendebatur contentionis priuatis patronorũ affectionibus, cum magno Reip. malo. Hoccine est agere uiros principes? Hoccine est capessere Remp.? Locupletum ac honoratorum filij (nam de his quoq; dicendũ) an his rebus student, ut digni sint olim uersari in Rep.? Pleriq; omnes tales sunt, ut malint honoratiores esse quàm prudentiores. Et, quod est indignissimum, opulentię ac nobilitatis esse putant, nihil scire, ac literas ignorare. Quod cùm perniciẽ afferat Reip. quis hoc à Rep. auertere curauit? Quantæ egestates uisæ sunt per dies comitiales hominum egentissimorũ, uictum à prætereuntibus mendicantium? Nonne interest Reip. uel horum delectum facere, neq; quẽlibet cibo mẽdicato sinere uiuere: uel rationibus omnium prospicere, ut habeant ubi habitent, unde
» uiuant & uestiantur? Ne sit, inquit Deus ad ueterem populum, in-
» ter uos mendicus & indigens: ut benedicat tibi Deus in terra. Hac benedictione non uultis gaudere Equites? Annona quantũ precium habuit anno abhinc tertio? neq; uerò id malignitate prouentus. erat enim is, si non maximus, certè tantus, quantus prouincijs omnibus alendis abundè suppeteret: sed partim exportationibus, partim monopolijs. Tantus est propolarum numerus (præsertim in decumis præemendis) ut priusquam à domino res perueniat ad eos qui sint ea fruituri, quaternis aut quinis manibus ementium & uendentium peruoluatur. unde quanta rerum precia crescunt?

Patrocinij prætextu quæ mala patrentur à nonnullis.

Filij diuitum.

Pauperes.

Annonæ caritas.

crescunt? Caritati annonæ, anni quem diximus, uile precium suc-
cessit, nam siliginis mensura nunc nummis duodecim grossis emeba-
tur, quæ illo anno quintuplo tanto: tritici autem, nummis 24, quæ
prius nummis 90 uendebatur. Quam autem pistores ac coctores Pistores, cocto
iusticiam adhibuerũt pane ac ceruisia uendenda? Quis apud nos res ceruisiæ.
exportationum modus? quæ monopolarum coarctio? Quantum Exportatiões. Monopolæ.
ebriosorum, quantum ociosorum & maleferiatorum uulgò conspi Ebriosi.
citur? Quantus luxus in cibis, uestitu, & omni supellectili? Quan- Ociosi.
ta uanitas in ostentando auro ex collo pendente? Quis autẽ horum Luxus. Torquati.
delectus, qui hoc utantur? Stulti adolescentuli, lenones, meretrices,
homines nec de Repub. nec de ulla priuata meriti, auro fulgentes
incedunt: holosericis uestibus uel intercisis, uel auro redimitis ue-
stiuntur. Multorum sumptus superat censum. Vnde tandem de- Ex sumptib. immodicis quãta
pastiones pratorum uiolentæ: rapinæ & frugum & animantum rapinæ rerum
tum quadrupedum tum natantium, & rerum aliarum: ad hæc, ar- alienarum.
tes uariæ aliena inuadendi. Nonnulli quidem hæc faciunt iure
lupino: (ut nostrates loquuntur, de ijs qui tanquam lupi uiuunt
rapacitate) alij, quod magis mirum, religionis prætextu, illorum
scilicet exemplo qui in Germania bona aliorum inuaserunt. alij su-
perioritatis cuiusdam titulo: ut beneficiarij regis nonnulli, qui
prætorum seu (ut hodie loquuntur) sculteторum suorum bona Lex de scul-
occupant. Ad id sibi dictitant facultatem concedi à lege, de scul- tetis.
tetis inutilibus. Hoc si rectum est: rectum certè esset, & è Repub.
similem edi legem in magistratus alios, ut episcopos, palatinos,
& quosuis præfectos inutiles: ex quibus plus detrimenti capit Res-
pub. quàm ex sculteto inutili. Nisi fortè putamus, conditores
legum non Reipub. rationem debere habere, sed sui commodi:
ut quos uelint, eos bonis spolient. Quantus apud nos decco- Decoctores.
ctorum numerus? an non est Reipub. uel animaduertere in ta-
les, uel curatores eis dare? Quàm truculenter nonnulli impe- Iniusta impe-
rant subiectis sibi hominibus, uel eorum substantias arrodendo ria dominorũ
rapiendóque, uel labores illis imperando non secus quàm bobus in subditos.
aut asinis? hi à Repub. an non sunt puniendi? Hæc uerò an non Mala educa-
ex praua adolescentiæ educatione magna ex parte proueniunt? tio.
Quid autem de ea apud nos sancitum?

CAPVT IIII.

De pœna homicidij.

De legibus emendandis tædet loqui, cùm illa de homici-
dis, de qua proximè dixi, à Deo ipso lata, superbissimè
à nobis contemnatur. Verendum profectò, ne breui
tempus ueniat, cùm & nos uicissim ipse Deus contem-
nat, pœnasq́ domestici sanguinis iustas & graues à nobis expetat:
quas olim ob sanguinem cõstituit cùm alijs sæpe, tum hisce uerbis:
Væ

Nahum 3. Væ ciuitati sanguinariæ: mendacio, dilaceratione, rapina plenæ. " Sonus auditur scuticæ, sonus actę rotæ, & quadrupedantis equi, & " lientisq́ue quadrigæ. Elatus ab equite flammat ensis, coruscat hasta, " multi cæsi, ingens cadauerum uis, infinitaq́ue corpora, adeo ut in ea impingatur. Et multa similia, quæ in propheticis scriptis leguntur: quæ ego non ut uates prænuncio, sed ut lector ex diuinis oraculis recito. Sed quid opus est pluribus uerbis? cum commentaria me denuo texere oporteret, si alia quæ necessaria sunt, memoranda essent. Atq́ue hic aliquis fortasse contra sententiam nostram contendat, hæc quæ de homicidij pœna, rebusq́ue alijs scripsimus, non quidem mala esse: sed tamen Reip. nostræ minime congrua, in qua, ob diuersitatem ordinum, pœnas diuersas sit necesse esse. Ego uero omnia quæ scripsi, naturæ humanæ cõuenientissima esse, quantum potui, multis argumentis docui: eaq́ue ad Remp. nostram transferri posse ostendi. Hæcq́ue agens, non silices alloquutus sum, nõ quercus (non enim ex his constat Resp.) Homines alloquutus sum. Qua appellatione nec Cyclopes, nec ulla hominum monstra intellexi: sed animantia humanitate prædita, rationis capacia, uirtutum omnium semina in se habentia. Quid enim ratio docet? quid præcipit uirtus? quid humanitas suadet? Nonne in omni re perspicere quid rectum, quid prauũ sit? motus animi turbulentos cohibere, omnium quos Natura eadem conditione procreauit, rationem eandem habere? Quæ quidem Natura si loqueretur, an non diceret, se per hominum genus æqualiter fusam esse: omnes sibi filios ex æquo caros: omnium uitas charissimas, cædes odiosissimas sibi esse: nec quenq́ue sui generis negligi aut uiolari posse, sine sui neglectu aut uiolatione? Atq́ue hic forte aliquis e media Polonia derepente irrumpẽs clamet: Ne sic dicas, Natura, in nostra Rep. ubi discessũ est a tua generalitate & communi nostrûm omnium comprehensione. Non placebat nobis confusio ista tua: in qua tanquam uno Chao latebamus omnes. Distinctionem fecimus nobilium & plebeiorum, dominorum & subditorum. Horum uitas non eodem precio æstimamus: cædes non eadem pœna uindicamus. Huic orationi si contra respondeat Natura, nobilitatem & plebeitatem, dominatum & subiectionem, nequaquam in uita & cædibus spectanda esse: rebus alijs illa constare. Nullius hominis, uel miserrimi, uitam alicui hominum subiectam esse oportere. Vestes, agros, domos a dominis habere populos subiectos: uitam a nemine præterquam a Deo, cunctę Naturę parente. Solius Dei munus hoc esse: qui omnibus ex æquo det uesci uitalibus auris. Huius doni uiolatione, Deum eius auctorem uiolari: pollutione, iura parentis omnium cõmunis pollui & conculcari. His quidem orationibus exauditis, num dubitaremus secundum Naturam sententiam dicere? cõsuetudines nostras,

statuta

Abac. 2. Ezec. 24.

ſtatuta & leges ipſi naturæ, atque adeò ipſius parenti Deo poſtponere? Nos igitur naturam, hoc eſt Deum ipſum ſequamur. Omittamus in præſentia diſtinctiones illas dominorum ac ſubditorum, nobilium ac plebeiorum, quæ hominum inuenta ſunt. Hominis naturam conſideremus: hoc eſt, omnes ad imaginem & ſimilitudinem Dei factos, & ad uitam immortalem conditos. Cum ipſis inquam hominibus agamus, atque ſic eos appellemus. Adeſte homines: humanitas ipſa quid requirat, aduertite. Non placent uobis montes & ſyluæ, ferarum habitacula. cœtus & ciuitates uobis inſtituiſtis. caſas agreſtes & aſpera tegumenta abieciſtis: ædes ſplendidas & indumenta elegantia inueniſtis. pro ueterum uictu ſimplici, menſas magnificas apparatis: ornatis parietes ſignis, tabulis, ſtragula ueſte: imponitis equis phaleras, argento & auro nitentes incedere gaudetis. mores inconditos ac omnem barbariem exuere quotidie contenditis: à nationibus exteris, quicquid optimum uobis uidetur uel in uictu uel in amictu ac ornatu, in hanc Rempub. inducitis. Quæ igitur, malùm, ueſania eſt, non etiam ea inducere, quæ ad morum ac legum humanarum pulchritudinem faciant? Hoc certè minimè eſt, humanum ornatum ac res culinarias aliunde accerſere, cellas uinarias & penuarias potu ac paſtu externo replere: quæ autem ad humanitatem ipſam, hoc eſt ad cultum animi & ad Reipub. optimam formam pertineant, ea negligere ac faſtidire, huic'que malo ſtatuta Polonica prætexere. Rogatus Socrates Athenienſis, uir diuinus, cuias eſſet: non ſe Athenienſem eſſe reſpondit, ſed mundanum: quòd indignum putaret, hominem, ſapientiæ ſtudioſum, uirtutis cultorem, mœnibus & moribus ciuitatis unius addici. Nos ſtatuto Polonico uel iniquiſſimo nos addicemus? negligemus totum mundum? iudicia humana contemnemus? conditoris & gubernatoris mundi legem reſpuemus? Non ignoratis, humanam naturam partem ferinæ habere, qua cum brutis participat: partem diuinæ, qua accedit ad Deum immortalem. Hanc certè excolere magis conuenit hominibus ad immortalitatem factis, quàm illam. Quid enim cultus corporis, quid culina facit, quàm ſeruit corpori, quo cum brutis communicamus? O' quàm difficile eſt cum hoc hominum genere agere, qui equos eligere norunt, lauticijs ciborum capiuntur, ornatum & ſupellectilem ſplendidam ſtupidi admirantur: ad rationis autem conſiderationem, naturæ ſcrutationem, leges populorum, iudiciorum ſeueritatem ac morum grauitatem ſe allici ac inuitari nullo modo patiuntur. Quid igitur? an Deus iniquiore nos conditione procreauit, quàm reliquos homines, ut nullis rationibus ad ea quæ ſint illi placita flecti poſsimus? an indigna ſunt humanitate, quæ nobis proponuntur? Videte homines, an non amor

Mm ueſtri,

uestri, odium fratrum uestrorum, excæcauerit uos, corda'que ue-stra indurauerit,ut nec flecti nec emolliri posiitis. Id si esset, frustra amplius nuncuparemini homines,qui uos pertinaciter addixissetis ferinorum dominorum cupiditati: qui scientes ac prudentes cæcitati uoluntariæ uos mancipassetis. Sed libet meliorem in partem interpretari: ac temporis præteriti excusationem illam afferre, difficile esse usitatas leges omittere, ac ad nouas animũ applicare. Veruntamen, ó homines, tempus exposcit, ut humanitatem ueram aliquando induamus: quid ratio, quid natura, quid Deus ipse requirat, consideremus. Misereat nos, per Deum immortalem, naturæ humanæ. Meminerimus ea lege nos homines esse natos, ut naturam humanam sequamur: eo fine ad ueri Dei cognitionem uocatos, ut quæ illius iussa sunt, ea exequamur: omniaq́ꝫ cum illis pugnantia abijciamus. Deum igitur parentem nostrum supplices ueneremur. Anathema hoc è medio nostri ut auferamus, in id uerò omni animi impetu incumbamus. Non grauius illud erat anathema, cùm Iosua populo Israelitico imperante, Achanes Zaræ filius cõtra Dei iussum clam abstulisset res ciuiũ Hierichuntiorũ nõnullas. Propter quod Deus ita offensus fuerat, ut & occidi Israelitas, & eorũ exercitus ab hostibus fundi & fugari fineret: donec tandẽ fure iussu Iosuæ lapidato, ira Domini sedata esset. No'nne uetus
„ est iussum Dei, illius opificis & conditoris rerũ omniũ, NE OCCI-
„ DITO. Qui occiderit, eius sanguis funditor. Quot igitũ huius præcepti transgressores inter nos sunt, tot anathemata in medio nostri uersantur. Quid igitur miri, si effundat quotidie in nos iram suam Deus? In capiendis cõsilijs tardissimi, in exequendis infœlicissimi sumus. Amicis opem nostram postulantib. ægrè prodesse, inimicis nos irritantib. uix resistere possumus. Quãtus est numerus eorum qui tensis manibus, genibus ad terram inflexis, supplices à nobis postulant, ut uel defendendo uel ulciscendo propulsemus à se iniuriã: quam alij à ciuibus, alij ab externis hostibus accepissent? uerùm illi ipsi supplices, re minimè exorata à nobis discedunt. Quare? Anathemata inter nos sunt, ó Poloni: odium & contemptus fratrum excæcauit nos, ut non uideamus: sanguis humanus præter legem effusus maculauit atque polluit, ut Deo grati esse non possimus.
Hæc autem ipsa sanguinis effusio non iam insistit in ætate adulta: procedit ad pueros ipsos. Audiuistis, abhinc ferè triennium, puerum à puero occisum in agro Petricouiano. Audiuistis, & hoc anno in agro Sandomiriano puerũ à duobus pueris crudelissimè necatum, & in frusta dissectum. O' immanitatem incredibilem: quam ætas innocens discit ab hominibus nocentissimis. Quid enim aliud discere possunt pueri, à maioribus natu homicidis, nisi homicidia? Fit itaq;, ut Deum habeamus infestum. Dispergit ille cogitatio-

gitationes & consilia nostra quamuis bona, ne quod uelimus, ad effectum perducamus. Versamur in luce clarissima, tanquam in tenebris densissimis: neruos seueritatis aduersus noxios intendere nequimus: benefacientibus laudem debitam tribuere non curamus. Quod enim olim Israelitis, idem nunc nobis à Deo dictum putemus. Non uobis affuturus sum Poloni, nisi de medio uestri anathemata sustuleritis. Clamat sanguis fratrum uestrorum ad me ex terra. Clamant animæ occisorum, ut ulciscar sanguinem suum de terræ incolis. Quomodo autem & anathema hoc tollendum, & ira Dei placanda, docet nos idem Deus. Ne terram, inquit, polluitote, quam incolitis, quam & ego incolo. Sanguinis effusione maculatur terra: nec potest sanguis in ea effusus, nisi sanguine eius qui fudit, expiari. Idq; usque eò ratum & firmum esse uoluit Deus, ut etiam si cædis patrator ignoraretur, uitulæ occisionem ciuitati, quæ proxima esset ubi cadauer reperiretur, ad Deum propitiandum imperaret. Quid igitur? dubitamus credere Dei uerbis, quæ interibunt nunquam, uel si coelum & terra interitura essent? In pecuniam autem pro cæde hominis quid dicit Deus? Ne, inquit, ab homicida precium ob uitam accipitote, qui crimen capitale commiserit: sed morte plectitor. Maledicta igitur pecunia, contra Dei iussum imperata & accepta. Maledicta lex, contra legem Dei erecta. Maledicti suasores & defensores legis obscœnæ, in contemptum Dei nostri positæ: in odium & despectum fratrum nostrorum excogitatæ: ad immanitatem multorum augendam & confirmandam inuentæ: ad infamiam Reipub. nostræ à nobis susceptæ: ad perniciem huius nationis ad hæc usque tempora obseruatæ. Quid enim dicendum aliud in hac extrema hominum peruersitate? Pleriq; eorum quorum in manu res est, facti sunt duriores Dei lenitudine: humanitatem omnem exuerunt hominum incredibili patiētia: inebriati sunt fortunæ nimia indulgentia. Horum culpa tota Respub. affligitur: quemadmodum exercitus totus, imperante Iosua, ob unius delictum affligebatur. Fitq;, quod olim de stultis regibus dictum à poeta, ad nostra tempora transferri potest: *Delirant reges, plectuntur Achiui.* Fit & illud, quod in libro Iobi scriptum est, ut ob peccata populi hypocritæ imperent, impij sint primates. Quod superest, Deum oremus opt. max. ut animis nostris ueram sui ac rerum omnium cognitionem inserat: legis suæ fulgore oculos nostros aperiat: commotiones animi peruersas cohibeat: rebus omnibus moderatè & scienter uti doceat: uera peccati pœnitentia nos compungat: maledictiones & calamitates meritas à nobis auertat: nos suos filios uera germanitatis nota copulet, suamq; misericordiam & benignitatem nobis concedat & largiatur: AMEN. Regem habetis Equites, cuius animo sententiam, de homicidis ex lege Dei pu

Iosu.7. Gen.4. Apoc.6. Num.35. Deut.21. Num.35.

niendis, iam inde à primis annis diuinitus impressam esse, alijs scriptis meis ostendi. Eandem sententiam in Senatu à nonnullis luculenter probatam aliquoties audiui. Multorum etiam ordinis uestri priuatis colloquijs sępe interfui, cùm eandem ipsam sententiam laudarent & probarent, ac in hac Republica regnare percuperent. Publicè quidem eos, quos ad conuentus mittere soletis, uerba de ea facere nunquam audiui. Quod illis nunquam à uobis imperatum esse, magnæ est (ut leuissimè dicam) incogitantię uestræ. Quo fit, ut ordine uestro silente, sileat lex diuina in hoc regno: regnent autem in eo cædes, licentia, & quæ ex his sequuntur mala. Videte, per Deum immortalem, Equites, ne per uos Respub. ingens detrimentum accipiat: regnumq́ue hoc, ut est in sanctis literis, trãsferatur de uestra gente in aliam, propter cædes & uestram iniusticiam: uosq́ue tandem, iusto Dei iudicio, luatis pœnas tot malorum.

Valete, & resipiscite. Cracouiæ, die ultima Octobris: Anno Christi 1553.

APPENDICIS LIBRORVM DE emendanda Repub.

FINIS.

ANDREAS FRICIVS MODREVIVS EQVITIBVS POLONIAE AC RE- liquæ Sarmatiæ S. D.



VO maior mihi consuetudo est cum multis ue strûm, qui in conuentus regni à municipijs Oratores uenire soletis: hoc maior, ac planè incredibilis subit admiratio animum meum, quî fieri posśit, ut, cum legem homicidiariam, quæ sit caput Reip. emendatam non uelitis, de rebus Christianis ac doctrina emendanda agere ex animo posśitis. Si id fieret ab hominibus rerum imperitis, ac legem diuinam non callentibus, quales erant ferè qui superiore memoria loca oratorum tenebant quæ nunc uos tenetis, non tanta subesset causa nostræ admirationi Nunc quis satis potest mirari hanc uestram negligentiam dicam, an incogitantiam? Ne enim ignorantiam dicam, in causa sunt literæ uestræ, studia præclara, lectio & sanctarum & humanarum literarum, usus rerum maximus. Nec tamen uel hanc ipsam prętexere posśitis, agam uobiscum, ut meus fert usus liberè: doctoremq́ me uestrum faciam, à quibus & doceri posśim, & discere multa soleam. Vos pro uestra humanitate officium hoc meum boni consuletis: meq́, quicquid scribo, uestra ac Reip. causa scribere, pro certo statuetis. Dico de religionis doctrina acribus emendandis, ex animo agere non posse eum qui sciens uolensq́ legem Dei in homicidas negligat ac contemnat. Cùm enim omnis nostra religio partim in doctrina, partim in ritibus consistat, doctrinaq́ uel ad fidem uel ad legem referatur: non potest una pars rectè emendari, alia prætermissa. Ac in legibus quidem diuinis illam extare, qua homicidia fieri uetātur, nemo ignorat. Illis quoq́ qui homicidium fecissent, pœnam capitalem ijsdem legibus irrogari, omnibus iam marib. & fœminis, liberis & seruis, plebeijs ac patricijs, pueris & adultis, senibus & iuuenibus, doctis & indoctis notum est. Quomodo igitur ad curam religionis animū adijciet, qui legem istam omnino iacere sinat? Est uerò probandum, Deo magis curæ esse ritus & cæremonias externas, quàm hominum uitas. Nonne omnia hominis causa creata sunt, homo autem Dei causa? Verba sunt Christi seruatoris nostri, Sabbathum propter hominem factum esse, non hominem propter sabbathum. Agant igitur aliqui de sabbatho, uerbi causa, ritè celebrando, utpote cuius obseruationem Deus seuerisśimè præceperit: usq́ adeò quidem, ut cùm religionis uiolationem uellet significare, polluta, uiolata, non sanctificata sua sabbatha conquereretur. Agant, inquā, aliqui uestrûm, uel cum Christo ipso de sabbatho: seu, ut iam fit in populo Christiano, de die Dominico piè sancteq́ obseruando. Interim cum uideant hominum uitas per scelus uiolari, ac homicidia multa perpetrari, nihil agant de homicidijs ritè & decenter ac ex lege diuina uindicandis, an non tales Christus hoc conuicio uerberaret? Hypocritæ, qui mentam, cuminum, anethum decumatis, omisśis quæ sunt in lege grauiora. Duces cæci, qui culicem percolatis, & camelum deglutitis. Nonne sabbathū hominis causa est, nō homo sabbathi causa? Vos uerò homine prætermisso, uita eius nihili facta, sabbatha curatis, ritus restitui uultis? Atqui oportebat & hoc facere, & illa non omittere. Vos negligitis uitam eius qui ad Dei imaginem conditus est: ea curatis quæ huius imaginis causa facta sunt. O' præpostera studia uestra. O' animos uestros charitate uacuos. Vultis uobis restitui

Marginal notes: Mar. 2. (beside "Sabbathum pro-"); Matth. 23 (beside "Hypocritæ, qui")

potum sanguinis mei: non uultis legem sanguinis proximi uestri restitui. Quomodo uos gloriam Dei, quem non uidetis, quærere potestis: qui uitam fratris, quem uidetis, cõtemptui habeatis? Eritis igitur uos in templo ad mensam meam sumpturi corpus & sanguinem meum. Erunt fortè uobiscum plebeij aliqui: quos uos quidem ad hanc mensam fratrum nomine uix dignamini: hac autem excepta, ne uix quidem. re autem ipsa pessimè eos odistis. nimirum uitis eorum uel nihili uel minimi æstimandis. Inspicite uosmetipsos, penetralia cordis uestri intrate: explicate atque excutite omnes sensus animi uestri. Dicite uerè, an plebeios amatis sicut uosmetipsos? Si etiam, cur igitur uitam eorum non tanti facitis ac uestram ipsorum? Certè amor uerus non uerbis aut lingua, sed re ac ueritate est præstandus. Neque uerũ est, cui quis minus quàm sibi cupiat, ut eum perinde atque se amet. Quãto minus, si uitam eius nõ perinde amet, non perinde tutam uelit, non perinde defensam cupiat atque suam ipsius? Sin est, ut eos qui ordinis nõ sint uestri amare atque uos ipsos nõ possitis, quomodo igitur ad mensam meam accedere audetis: quæ & pignus sit amoris in uos mei, & symbolũ charitatis inter uos mutuæ? Datur ibi corpus meum, ut qui eo uescuntur, membra sint corporis unius: & quidẽ eius, cuius ego sum caput. Quomodo uerò uos estis huius corporis membra, qui uos tantum ametis, alios uix pro hominibus habeatis? Datur ibi sanguis meus, ut qui eum bibant, sciant se pariter omnes sanguine meo redemptos esse. Quomodo uerò uos id uobiscum statuere potestis, qui sanguinem plebeium, meo quoque sanguine mundatum, capitaliter odistis? Rectè discipulus meus dilectus docuit: Qui fratrem non amet, eum in morte manere: qui eum oderit, homicidã esse. Cùm igitur uos in morte maneatis, cùm homicidæ sitis: qua mente ad conuiuium meum accedere audetis, unde salus petitur, unde pernicies propulsatur? Qui facultatem uitæ huius habens, fratri egenti non subueniat, is charitate Dei præditus nõ est. In uobis cùm facultas sit uitæ humanæ ex Dei lege tegendæ & defendendæ, an illa prætermittenda, charitatem in Deum retinetis? Huius uerò qui sit expers, an putat se idoneum qui mensæ Dei adhibeatur? Verè & illud dixit idem ille discipulus: Si quis à se Deum amari dicit, & tamen fratrem suum odit, mendax est. Qui enim fratrem suum, quem uidet, non amat: Deum, quem non uidet, quo pacto potest amare? Obiurgat & alius discipulus ecclesiam à se institutam, quòd cùm in unum conuenissent locum, cœnæ meæ sumẽdæ causa, agitarent prius conuiuia admodum inæqualia, ita ut alius esuriret, alius ebrius esset. An, inquit ad eos, ecclesiam Dei contemnitis, & eos qui non habent pudore afficitis? ô quàm maiore obiurgatione uos digni: qui tanta inæqualitate animorum accedatis ad epulas meas? Qui in hac æqualitate naturæ humanæ quæ uobis cum alijs cõmunis est, in hac æqualitate donorũ cœlestiũ quæ à me omnibus offeruntur, in hac æqualitate hæreditatis æternæ quæ omnibus à me ex æquo proponitur, animos insolentes & à fratribus auersissimos geratis? Quasi non idem pater cœlestis uobis cum illis esset. Quasi non mihi fratrum numero omnes essetis. Quasi supra sortem humanam uel uirtute aliqua præditi essetis, uel aliquid aliud à Deo expectaretis quod alijs negatum esset. Exprobratis plebeijs ignobilitatem. Quid aliud facitis, quàm Deum nascendi authorem reprehenditis? Vera sunt hæc: dicta & facta uestra testificantur hæc. Multa de doctrina mea disputatis: multa de fide in me uestra iactatis. Verùm ego cum uos audio, sic loqui mihi uidemini tanquam omnia credatis: cum uestra facta inspicio, sic ui uere mihi uidemini tanquam nihil credatis. Charitatis enim proximi qui expers est, næ ille & ueræ fidei expers sit oportet. Credere uos dicitis. audio. uerùm credere uos non uideo. Ostendite mihi fidem uestram ex operibus uestris, tum uidebo fidem uestram. Præstate & charitate & amore uero officium uestrum

1. Ioan. 3.
1. Ioan. 3.
1. Ioan. 3.
1. Ioan. 4.
1. Cor. 11.

ueſtrum proximis ueſtris: ego quoq; mihi à uobis officium præſtitum puta-
bo. Amplectar uos, ſtudia ueſtra iuuabo: protegã uos, & filios ueſtros: meaq;
clementia utar in milleſimam uſq; generationem ueſtram. Quòd ſi ab his quę
dixi eſtis animo alieno, fruſtra hanc cauſam agitis doctrinæ ac morum emen-
dandorũ. Minus peccatis, ſi in uniuerſum de religione mea tacetis: quàm præ-
poſtero ordine grauioribus relictis, quæ minora ſunt repurgari uelitis. Quare *Pſal.49.*
enim uos enarratis iuſticias meas, & aſſumitis teſtamentum meum per os ue-
ſtrum? Vos uerò odiſtis diſciplinã: & proieciſtis ſermones meos retrorſum.
Sedentes contra fratres ueſtros loquebamini. Sabbatha ueſtra, conuentus ue *Eſai.1.*
ſtros, actiones ſolenniaq; ueſtra animo odi. Vobis manus pandentibus, ocu-
los meos ſubtraho: & quamuis multas faciatis precationes, non audio. Ma-
nus enim ueſtræ plenæ ſunt ſanguine: qui legem ſanguinariã tot ſecula fouea-
tis, alatis, defendatis in Dei contumeliam, in odium proximi, in perniciem ue
ſtram & ueſtræ reipublicę. Hæc mihi à CHRISTO Deo & magiſtro noſtro
uerè dici poſſe uidẽtur, uiri clariſsimi, in ueſtra illa ſtudia religionis repurgan-
dæ: optima illa quidem: uerùm, quod ipſi cernitis, præpoſtera: dum charitate
in proximum, quę ſit pars legis altera, ac in qua fides uera cernatur, neglecta,
eas partes reſtitui uultis, quæ & ipſę ſine charitate Deo ſunt ingratę. Audi-
ui à multis ueſtrûm dici, & quidem rectiſsimè, uerbi Dei authoritatem anteſe
rendam eſſe eccleſię authoritati. Hęc enim cauſa iuſta uiſa eſt, quamobrem
potum calicis reſtitui uelitis populo, quòd uerbo Dei non minus quàm pars
altera cœnæ ſit inſtitutus. An uerò non eadem ratione lex diuina præferen-
da eſt legi Polonicæ? Quòd ſi preferenda ſit, cur alterum ut fiat contenditis:
alterum ut ne fiat, in id uerò toto pectore incumbitis? Lex Cõſtantienſis hoc
in ſumma habet. Licet Chriſtus poſt cœnam inſtituerit utranq; ſpeciem, & in
eccleſia primitiua à laicis ita reciperetur: tamen hoc non obſtante, conſuetu-
do recepta eſt, ut laici ſumãt tantum ſub ſpecie panis. itaq; eſt pro lege ſeruan-
da. Lex uerò Polonica ſic perſcripta eſt: Quamuis occidens hominem ſecun
dum Dei & legum ſanctiones, eſſet capitali pœna plectendus: nos tamen ri-
gorem illum temperantes, ſtatuimus, ut occidens militem, 30. marcas paren-
tibus, pueris uel amicis occiſi perſoluat. Nónne uidemus has leges perſimi-
les eſſe? ut illa agnoſcens utranq; ſpeciem à Deo propoſitam eſſe utentibus
ſacra cœna, tamen conſuetudine neſcitur quali nixa, audet abrogare populo
alteram partem: ita hæc à Deo quoq; pœnam capitalem conſtitutam eſſe ho-
micidis fatendo: nihilo tamen ſecius rigorem illum mitigare audet, triginta
marcas ſanciens pro capite hominis occiſi. Videtis, Equites, ſimilitudinem
legis Polonicæ cum Conſtantienſi. Si execramini unam, cur non & alteram?
Dicunt patres Conſtantienſes, Licet Chriſtus: tamen hoc nõ obſtante. Licet
eccleſia primitiua: tamen hoc non obſtante. Quaſi ſic apertius loquerentur:
Quid nobis Chriſtus, quid eccleſia primitiua? nos ſumus Domini rerum: no-
ſtro ordini ſpiritus ſanctus alligatus eſt: qui ea docet nos, quæ ne apoſtoli qui
dem capere potuerunt. Nos itaq; audite, quicũq; ſalui eſſe cupitis. Qui ſecus
faxint, ijs cœlum clauſum eſto. Nónne, Equites, uoces eiuſmodi execrandæ
& deteſtandæ uidentur, ac in Deum prorſus blaſphemæ? Quòd ſi ſunt, cur
non idem cernimus in lege Polonica? Sic enim loquuntur maiores noſtri, le-
gis iſtius conditores. Quamuis Deus: tamen nos. Quamuis legum ſanctio-
nes: tamen nos. Qui igitur uos eſtis, ô uiri ſpectabiles & magnifici? rigori à
Deo inducto ex ueſtra libidine moderamini: prudentiam ueſtram opponitis
prudentiæ diuinæ. Quid igitur ſupereſt, quàm ut Deo reſponſetis? Recede à *Iob.21.*
nobis: ſcientiam uiarum tuarum nolumus. Quid reſtat, quàm ut tandem dica *Eſa.14.*
tis: Aſcendemus ſuper altitudinem nubium, ſimiles erimus altiſsimo. Sed
mittamus maiores noſtros, cum iſtac eorum præclara prudentia & modera-

 tione.

tione. Iam illi, iudici suo stant aut cadunt. nos, qui uitam hanc & spiritum ducimus, consideremus, num qua est dissimilitudo legis Polonicæ à Constantiensi. Quòd si nulla est, cur, quod in pari ualere uultis, id ut ualeat in eo quod par est, non uultis? Nolite per Deũ, illum inspectorem cordium, tam omisso animo esse: ut quod in re una rectum esse iudicatis, id in altera, quæ similis illi sit omnino, non rectum esse statuatis. Nolite ea quæ in præsentia uobis iucunda uideantur, tanti facere, ut præ illis ualere omnino iubeatis id quod honestum est: quod omnibus gentibus probatum, quod à Deo ipso sancitum. Est certè nõ nemo uestrûm qui dixit, se ita cum animo suo cõstituisse, ut si adhuc rigor ille Romanarum traditionum apud nos impotenter regnaret, patrium solum omnino relinquere: eoq; migrare uellet cum uxore, liberis, omniq; familia, ubi uerbum Dei liberè doceatur, sacramentaq; ex Dei institutis liberè administrentur. Quasi uerò non perinde caussa iusta sit patriæ huius fugiendæ, ob istam legis diuinæ profanationem. Impiatæ sunt terræ istæ cruore humano, iam inde ex quo tempore coli cœptæ sunt, nec uerò unquã
Num.35. expiatæ. Sanguine enim, inquit ille legislator summus, humano impiatur terra: nec ab eo sanguine expiatur, nisi per sanguinem eius qui fudit. Nostræ uerò terræ non tantùm expiatæ non sunt (quod per negligentiam imprudentiam'ue fieri posset) sed (quod contumaciæ est & superbiæ) impiatio ipsa sancita est pecuniâ, contra leges non tantùm populorum omnium, sed &
„ Dei ipsius, sic edicentis: Ne ab homicida preciũ ob uitam accipitote, qui cri-
„ men capitale cõ miserit: sed morte plectitor. Seruitur apud nos, Equites, plus pecuniæ quàm iustitiæ. pecuniæ autem? imò superbiæ quoque & odio. Auaricia sola esset, si cædes omnium eodem precio uindicarentur. Nunc quis non uidet, in illa inæqualitate precij, superbiam & odium proximorũ dominari, cùm huius caput marcis decem, illius quindecim, alterius triginta, nonnullius fortasse sexaginta marcis æstimatur? Qui uerò authores sunt diuersitatis huius, præclare hi meruère ut capita sua 120. marcis soluerẽtur. Hæc est illa merces operæ militaris: hæc illa Helena, pro qua decennale bellum ad Troiam gestum est. Si igitur aliquibus uestrûm religio est, in templis uersari propter ademptam libertatem docendi uerbi Dei, sacramentaq; administrandi ex præscriptis diuinis: cur nõ eâdem religione tangimini ob hanc legis Dei extremam profanationem? Cur non fugitis hoc solum auarũ, superbum, impium? Ac potius cur non curatis, ut solum hoc quod uos iam inde ab ipso limine & ingressu uitæ excepit quasi gremio suo, quod ubertate sua fouet uos & alit copiosè, expietur tandẽ ex edicto diuino: ut conscientia optimæ mentis, terræ expiatę fructus percipere, utq; Deum illũ rerum opificem summũ, & legislatorem optimũ cum fiducia accedere possitis? Omnino negate difficile est, quin superbia & amor sui eos occupauerit, qui legem adeò iniquam tam præfractè putent tuendam. quo fit, ut superbia eos faciat contemptores aliorum. Amor autem sui eiusmodi est, ut quo magis exardescat, eo magis extinguat charitatem erga alios: quemadmodum Christus de ex-
Matt.24. tremis temporibus loquens, dicit: Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet
„ charitas multorum. Quamobrem uos rogo & obtestor, quod quidem mecum facere putate quamplurimos omnium ordinum prudentes & bonos uiros: Per hæc uos, inquam, sacramenta, quæ uobis integra restitui cupitis, per sanguinem CHRISTI, qui uiget in ipsis sacramentis: deniq; per fortunas uestras, per liberos ac omnia quæ chara uobis sunt: perq; ipsam rempub. quæ debet uobis esse charissima, oro: si tamen uos in re tam sancta & necessaria orari patimini: oro inquam uos & obtestor, ut amorem hunc nimium uestri exuatis, charitatem autem proximi ueram induatis: ne & uestro nomini insignis aliqua nota inuratur: & reipub. huic quæ adhuc Dei beneficio stat, ca-
lamitas

lamitas ob legem istam pestiferam importetur. Charitas autem norma uobis erit, & regula recte uiuendi, & ea omnia prestandi quę digna sint bonis uiris, & hominibus Christianis. Quid est enim quod a uobis tantopere expetit charitas, quàm ut proximorũ uitam tanti faciatis, quanti facitis uestram? Fratres sunt uestri, uno uobiscum baptismate tincti, eiusdem cœnæ Domini participes: eiusdem regni cœlestis cohæredes. Dubitatis'ne de lege Dei? Ecce uobis uerba eius. Vestri sanguinis & ereptæ uitæ pœnas cùm ab omnibus bestijs repetam, tum hominum inter ipsos necem in authorem cuiusq; uindicabo: ut quoniam ad diuinã imaginem factus homo est, qui hominis sanguinem fuderit, ipsius inuicem sanguis per hominem fundatur. Hanc legem summus ille opifex rerum sanxit mox à diluuio: quo mortales omnes, paucis exceptis, ob peccatum, peremit. Sanxit eam ut uitæ hominum consuleret, ac fundamentum Rerumpub. poneret. De lege autem Polonica quid dicit Deus? Ne ab homicida precium ob uitam accipito te, qui crimen capitale cõmiserit: sed morte plectitor. Hæc nos fusissimè & in Orationibus & in libro de Legibus persecuti sumus: omnibusq; quæ contra hæc dicantur satis, ut uidemur, respondimus. Non est necesse ut ea deinceps repetamus. Beati sunt qui hæc sciunt, & faciunt: aut certè ut faciant, omnibus uiribus contendunt. Ego certè uix puto aliquem esse qui hæc ignoret. Tempora quidem hæc nostra, si alia unquam, sunt eruditissima. Bona pars hominum & in sacris & in profanis literis uersatur plurimùm: eas legunt & relegunt. In tanta igitur luce hæc non uidere, est cæci hominis: non cõsiderare, inertis: non intelligere, stupidi. Væ autem illis qui cum uideant, considerent, intelligant, potestatemq; efficiendi habeant: tamen nec faciunt, nec ut fiant prò uirili enituntur: sed uel tacent, uel dissimulãt. Illis autem uæ terq; quaterq;, qui, ne fiant, totis uiribus impediunt. Melius erat talibus nunquam nasci, quàm ita uiuere in Dei contumeliam, in perniciem proximorum. Magna est ubiq; & quasi fatalis disciplinæ dissolutio: quæ tristissimũ est signum mali alicuius imminentis. Nulla unquam Resp. foris oppressa est armis, quàm prius domesticis malis fuisset inquinata. Vos igitur uidete, ne, si diutius contumaces esse perrexeritis, perniciem acceleretis & uobis & Reipub. Quæ quidem Respub. utinam ipsa ualeret, ut par esset, in omnes partes: non certè tot secula uigeret in ea, ista tyrannis. Sed nescio quo modo concessit in ius & seruitutem potentiorum. Fit itaq; ut illi ipsi etiam, si quid sua causa agant, semper prætexant Rempub. quasi ea in paucorum libidine posita sit, non in cunctorum salute consistat. Sed finis sit. Valete. Dat. Vuarshauiæ, in conuentu regni: Anno Christi seruatoris nostri nouo ineunte 1557, Calendis Ianuarijs, quo die strenas dare solent amici amicis. Recipiatis igitur & uos hanc strenam à Fricio uestro: memineritisq;, meliores plagas esse amici quàm oscula inimici. Curaui autem ut Orationes quas olim de pœna homicidij scripsi, & quædam aliæ adiungantur huic Epistolæ: quæ testes erunt studij mei erga uos & Remp. Itaq; spero, id uobis non ingratum fore. Saluebitis iterum à me, & ualebitis.

Gen. 9.

Num. 35.

AD SIGISMVNDVM SECVNDVM AVGVSTVM REGEM POLONIAE, MAGNVM LIthuaniæ Ducem, Rusſiæ, Prusſiæ, Maſouięq́ Dominum & hæredem, Sigiſmundi primi regis filium:

ANDREAE FRICII MODREVII, IN LASCIVM, ſiue Orationem de pœna homicidij primam Præfatio.



ETENTI ædilitatem P. Cornelio Scipioni admodum adoleſcenti, in urbe Roma (quam olim potitam rerum, non ignoras SIGISMVNDE Rex, ferè imperaſſe orbi) impedimento erant Tribuni plebis, quòd nondũ eſſet legitima ætate magiſtratibus gerendis, & Reipub. capeſſendæ. Uerùm adoleſcens ille, ut erat natura ad omnẽ excellentiam factus, effecit magno ſanè & rerum optimarum ſpei pleno animo, ut ad unam tribus omnes ſe ædilem eſſe iuberent. Conuerterat ſcilicet oculos uniuerſi populi & ora in ſe Scipio, uel meritis maiorum ſuorum, quæ illorum ſumma in Remp. & recentia extabant: uel ſua ipſius indole præclara, peridoneaq́ ad ea gerenda, quæ honore ipſo digna eſſent. Tibi uerò SIGISMVNDE Auguſte, duodecim fermè annos nato, regni huius ampliſſimi & harum dicionũ faſces ſummo ſtudio, magnoq́ cunctorũ ordinum conſenſu data ſunt, ac tributa. Florebãt tunc in hac Rep. ſapientiſſimi & clariſſimi uiri, IOANNES LASCIVS (qui tum & ſacrorũ erat antiſtes ſummus, & primas in hac Repub. ferebat) CHRISTOPHORVS SCHIDLOVIAVS, ANDREAS TANANIVS: & multi præterea Senatores, quorum partim mortui ſunt, partim adhuc uiuunt. Qui quidẽ omnes meritorũ patris tui in Remp. cõmemoratione, uerborumq́ & ſententiarum pondere & grauitate, de te inaugurando, ſumma & incredibili omnium ordinum uoluntate tranſegerũt. Putabant omnes rationem habendam eſſe patris & tui, & patriæ huius uniuerſæ. Uolebant te, quaſi primogenitum, eam cernere hæreditatem, quam pater communis omnium noſtrûm tenebat multos ſanè annos, & uerò etiamnum tenet ſumma cum authoritate. Ualebat apud omnes memoria Reip. à patre ſapienter adminiſtratæ: ualebãt merita, ualebant beneficia. Conſignauimus hæc (loquar enim tanquam una populorũ omnium tuorum uoce) animis memoribus noſtris, ad perpetuitatem. Eſt & ille in nobis ualidiſſimus tui reſpectus, quòd in te extant quaſi generoſi ſeminarij meliores notæ. Fortes, inquit Poeta, creantur fortibus. Spe enim illa minimè dubia tenemur omnes, fore ut te patre tuo dignum, adminiſtranda Repub. præſtes: ut te, quemadmodũ illum, uerè & ex uirtute patrem patriæ appellare poſſimus. Nõ pœnitebat olim pop. Romanũ ſuffragia iniuiſſe, mandanda ædilitate Scipioni: quòd ille, quamuis adoleſcens, res tamen pro Repub. tantas geſſit, ut expectationem de ſe omnium non ſuſtineret modò, ſed longè ſuperaret.

Itaq.

Itaque Romani monumentis omnis generis consecrarunt memoriam illius, & pòst de uirtute Africani cognomen illi fecerunt. Quamobrem tibi quoque Rex, omni cura, omniq; animi impetu in Remp. atque in patrias uirtutes est incumbendum: ut te non modo in tantum regnum, & tam amplas ditiones successorem uideamus, sed etiam in uirtutes paternas. Habes domi tua plurima exempla, tibi proposita ad imitandum: eorum quidem, qui continuatis regijs honoribus apud nos perfuncti, tibi hunc ipsum honorem soboli suæ per manus tradiderunt. Horum tibi & bellicæ uirtutes, & togatæ sunt exprimendæ: defigendi oculi atque animus in exemplum hoc paternum, præclaris uirtutibus cumulatum. Qui quidem pater tuus, uerissime te ad sui imitationem inuitare possit ijsdem uerbis, quibus Ascanium suum inuitabat Aeneas Virgilianus:

Disce puer uirtutem ex me, uerumq; laborem. Et postea:
Tu facito, mox cum matura adoleuerit ætas,
Sis memor, & te animo repetentem exempla tuorum
Et pater excitet, & seniorum regius ordo.

Itaque si exemplum patris cum ijs præceptis philosophiæ, quib. à puero operam nauasti, coniunxeris (ut certè coniungis) mirabiles profectò in te uirtutis amores non dubitem excitari. Unde enim perfectiorem iusticiæ administrãdæ rationem petas, unde fortitudinis in rebus arduis & difficilibus, unde moderationis animi, unde patientiæ in aduersis, unde constantiæ in duris & asperis rebus, quàm ex patre hoc & tuo & patriæ huius cunctæ? quem ætas & rerum plurimarum usus erudiuit, & ad maximas res peragendas uerissimis præceptis & consilijs idoneis instruxit. Itaque & bella eius auspicijs confecta uidimus multa: &, quod uirtute tanti principis est dignissimum, non pauca ab his ditionibus auersa. Nihil enim huic patri patriæ est antiquius, quàm trãquillitati populorum suorum, quoties citra sanguinis effusionem licet, consulere: nullamq; nec pecuniarum, nec rerum aliarum iacturam tanti facit, quàm populorum cælitus fidei suæ commissorum ac creditorum. Sed tu hæc melius, ut spero, quotidie uides, qui à patris latere ferè nõ discedas. Tu uerò magnum sanè, inter cætera, specimen uirtutis & indolis tuæ dedisti, cùm annos fermè XVI natus, in conuentu abhinc quinquennium Petricouiæ habito, de pœna homicidij id ex tempore dixisti, quod nemo ab illa ætate expectaret. Narrabat id sæpe ERASMUS Creticouius Senator, summus & spectatus uir, qui uocem illam tuam exceperat: narrabat inquam magna audientium cum uoluptate. Nihil enim nobis uisum est aptius, Senatu ac Equitibus tanquam fidibus discrepantibus, quàm uocem illam quasi mediam orationis tuæ apponere toti harmoniæ formandæ, temperandæ, & ad mediocritatem traducendæ. Enimuerò tuum est hoc, ô Rex, ut sententijs distractis, ueluti aciebus pugnantibus, te medium inferas, offensiones tollas, discordiarum semina extirpes: quæ quamdiu extabunt, nulla firma concordia & diuturna extabit. Dixisti olim sententiam & adolescens, & extra ordinem: nunc uerò à te & annorum accessione, & rerum experientia aucto, quid probi omnes & publicæ pacis amantes expectent, uides.

uides. Profecto te non decet, ut tu in ulteriores conuentus tantam rem proferri patiare: quae Reipub. firmamentũ ac robur potissimum ab omnibus iudicatur. Fac igitur per Deum immortalem, ut quemadmodum tu patriae debes, cuius gubernationi diuinitus sis delectus: sic illa uicissim tibi debeat, dum salutem tibi suam uiderit cordi esse. Nec unquam debes sperare aliquid praeclari foris aut domi te peragere posse, nisi hoc fundamentum in Repub. tanquam naui qua omnes uehamur tecum, posueris. Mihi quidem illud quod plus quàm pro aetate, homicidij plectendi causa dixisti, de caelo delapsum in animũ tuum uidetur: uide igitur, ne desis caelesti instinctui. Sed tu orationem nostram legens, facile sententiã tuam recognosces. Ego quidem ea scribenda, non putaui certè aliquid eximij ac splendidi à me praestari posse: sed hac re uolui obseruantiam in te meam & in Remp. declarare. Plura alij, & potiora, uel cognitione usuq́ rerũ, uel elegãtia uerborum maiore praediti, praestabunt: nos fecimus, quod potuimus. Te uerò Rex, & humanitas tua praestans hortatur, & benignitas regali genere digna, ut boni consulas officium nostrum: nec rem spectes ipsam, quae admodum exilis tibi à me offertur: sed uoluntatem dantis egregiam, obseruantiamq́ in te summam & sempiternam. Det tibi Dominus spiritum suum, Rex inclyte, & populis tuis: ut & tu iuste ac sapienter regere, & illi quòd è Rep. fideq́ sua, sic rectè ac prolixè facere possint. Uale. Calendis Ianuarijs, Anno à Christo nato M. D. XLIII.

AD

ANDREAE FRICII MODREVII LASCIVS, SIVE DE POENA HOMICIDII, ORAtio Prima.



I QVIS cum animo ſuo ueterem ſtudioſorum morem erit recordatus, licuiſſe illis de re qualibet honeſta in utramuis partem diſputare, ſcribereq́; hunc, opinor, cum humanitate ac beneuolentia lecturum eſſe hæc cogitata noſtra, quę de homicidij pœna congeſsimus, in hoc breue ſcriptum. Neque ego profectò is ſum, qui putem me uel natura, uel doctrina, uel facultate dicendi tanta præditũ eſſe, quantam deſideret hæc cauſa: agnoſco enim me ab omni re eſſe imparatiſsimum. Sed cùm in cauſa honeſta putarem honeſtè unumquemlibet uerſari, neq; conatum eius ob id iurè reprehendi poſſe: ſperabam etiã hoc meum ſcriptum ſine offenſione in manus hominum peruenturum. Neq; deſpero, fore aliquos maiore doctrina & dicendi elegantia inſtructos, qui exemplo noſtri argumentum hoc uel noſtra ſententia tutanda, uel contraria aſſerenda, longè ſplendidius ac maiore cum fœlicitate ſint tractaturi. Interea iuuabit, nos dediſſe alijs ſcribendi occaſionem. Hoc quidem dictum eſto bonis & moderatis uiris: alijs porrò non aliud dicam, quàm licere eis prorſus non legere noſtra. Vt autem oratio ipſa plus authoritatis haberet, non eam tribuere uiſum eſt alicui è ſuggeſtu, more eorum qui ſcholas habent, declamanti: ſed potius alicui ſententiam in Senatu ſuo loco dicenti. Neq; id ſanè alicui uiuorum (animaduerti enim hoc, non libenter uiuos pati, ut in ſcenam ueluti fabulam acturi producantur) ſed ei qui ex hac uita diſcedens, omnibus maleuolis atque obtrectatoribus laudum ſuarum ualedixit, HIERONYMO LASCIO, Siradię Palatino, ſummo & clariſsimo uiro, et in omni dignitate Principi. Cuius quidẽ intempeſtiua morte, quantam fecerit iacturã reſpub. Chriſtiana, omnes intelligunt, qui præſentes calamitates, & ſæuos horum temporum à Turcica immanitate excitatos fluctus oculis atque animo cernunt: ſimulq́; uiri illius magnam ſedandis eiuſmodi fluctibus atq; componendis prudentiam, longo rerum uſu collectam. Eum enim illum ego uirum fuiſſe puto, qui omnibus imperatorijs artibus atq; diſciplinis mirabiliter eſſet doctus. Nam quid illi laudis aut gloriæ defuit artis militaris? quis uel animo, uel conſilio, uel uſu maiore in bellis adminiſtrandis eſt uerſatus? quis uidit plures gentium mores & urbes? quis cum tanta nationũ uarietate tot tantasq́; maximarum re-

rum habuit deliberationes? Itaq; nemo mihi omnium quos hæc tulit ætas, ad Vlyssem illum πολύτροπον propius accessisse uisus est, præter Lascium. Nam & illa consilia Vlysis capiundæ Troiæ, & arces Iliacæ nocte intempesta intratę, & perquàm difficilium rerum consilia inita atque perfecta, & in tot tam'q; diuturnis erroribus innumera pericula adita, instar mehercule mihi habere uidentur rerum à Lascio gestarum. Qui cùm se rebus turbulentissimis & maximè dubijs Regum atq; Rerumpub. dedisset: necesse profectò habuit illis gerendis, uarias & incredibiles adhibere cautiones: uarias'q; pro locorũ & negociorum uarietate induere personas, ut aliquãdo ad id quod statutum sibi esset atq; decretum perueniret. Neq; uerò satis habuit Lascius, Christianum lustrasse orbem: ea'q; ibi gessisse, quæ digna essent fortissimo uiro: nisi etiã instituta, mores, leges & cõsuetudines gentium à nostra religione remotarum: in primis uerò Turcarum, situs'q; locorum in quibus habitant illi, cognouisset, & penitus habuisset perspectos. Non est instituti mei, ut in præsenti historiã illius texam: itaq; multa prudens prætereo. Illud tantùm à summis uiris dictitatum cõmemorabo: Lascium eam habuisse peritiam rerum Turcicarum, ut inter paucissimos qui hodie uiuunt, hic unus fuerit maximè aptus bello aduersus illos administrando, cum'q; fuisse in re militari ueluti summum nautarũ gubernatorem, qui nõ modò tranquillo mari nauiculam, sed sęuissima tempestate Argonauticã nauim potuisset gubernare. Verùm ille superatis his fluctibus, & hoc terrarũ ęstu, portum iam tutissimũ tenet: in eas'q; oras delatus est, quæ eum omnibus rerum humanarũ turbinibus curis'q; laxarunt ac liberarunt. Cuius quidem mortis opportunitatẽ, quis non meritò miretur, qui sit illius ætatem in peregrinationibus propè exactam meditatus? Nam ex eo ferè tempore, quo Ludouicus Hungarorũ rex generosissimus, Turcica immanitate fato est perfunctus, Hieronymus Lascius perquàm magna negocia, maximi consilij, nec fortunæ minoris, administrabat. Galliã adijt: Daniam atq; Germaniã aliquoties peruagatus est: apud Turcã sedecies legatum egit. domi rarissimè, nec nisi paucorũ dierũ hospes: perpetuus uerò uel in itineribus, uel in bellico apparatu, uel in ipsis bellis gerendis. Itaq; cùm totum hoc à fatali illa die, Ludouici regis tempus consumpserit negocijs regum peregrè procurandis, cùm difficillima pericula sponte adierit, cùm in gladiorũ uibratu & hostico tubę sono toties sit uersatus: cùm nihil habuerit antiquius, quàm pulchrã per uulnera Reip. causa oppetere mortem: tamen diuinitùs seruatus est, ut nõ alibi quàm domi inter suos extremũ fati diem sustineret. Nam cùm ex Thracia ad nos reuertisset, ex illa legatione quæ illi ultimum humanorũ operum fuit, æger quidem & admodũ ualetudinarius: mortem animo

mo forti & perlibenti, in manibus amicorum, cum uita cõmutauit. Mihi quidem fœlix & perbeata uisa est hæc migratio illius ex hisce turbis, quibus illum maximè implicatum fuisse constat, in quietem illam æternã: primùm, quia animo pacatissimo facta, & res humanas, quod non obscurè præ se ferebat, contemnente: deinde, quia rebus omnibus ad sanctè migrandum cõpositis: ad hæc, quia conspectis prius & ualere iussis ijs quibus cum uixit coniunctissimè, uxore, liberis & amicis: tum, quod caput rei est, quia de medio & ueluti de sinu & gremio Ecclesiæ populorũ CHRISTI. Neq; illud est in postremis, quòd iudicatum illi erat, uitam à castris & bellicis turbis traducere ad tranquillitatẽ, & ad politicã disciplinam: ubi cùm studia & actiones suas ad CHRISTI regulã formaret, tum hominibus fidei suæ cõmissis prodesset. Quamuis enim operã suam negocijs Regum exterorũ ferè dicauerat: atq; ad bellũ hoc Turcicum, in spe uitæ quandiu erat, incumbebat, ut in eo præclarum artis suæ facinus, dignũ quidem usu rerum à se gestarum ederet: uerùm in colloquijs familiaribus, quæ cum amicis decumbens, sed spe ualetudinis recuperandę nonnulla nixus, habebat (quibus frequens intereram) miro mihi desiderio quietis & uitæ politicæ incensus esse uidebatur. & ueluti uir ille sapientissimus, exanclatis laboribus infinitis, fumum Ithacæ suæ plus uidere cupiebat, quàm foco luculento alieno delectari: ita hic noster Vlysses et honoribus amplissimis, & bellicis laboribus summis perfunctus, hunc sibi omnium laborum fructum constituebat, ut uitæ reliquum domesticis ac politicis rebus administrandis cõsumeret. Itaq; sæpe de re familiari, de Reipublicæ optima forma, de legibus quibus illa potissimum contineretur, disputabat. Hanc uerò, de qua scribere institui, legem de homicidijs seuerè puniendis, caput & firmamentũ Reip. potissimũ iudicabat: neq; rerũ aliarum rectè modũ præscribi posse, nisi uita nostra ab importuna sceleratorum manu tecta: neq; ad diuinã humanamq; legem aptiorem homicidij pœnã excogitari, quàm capitalem. Multa in eam partem (ut erat promptus, sententijs uel ex literis sacris uel ex profanis ꝓferendis) argumẽta adferebat: quę ego quidẽ meo arbitratu exposui in hac oratione. Audiamus ergò Hieronymũ Lasciũ, de pœna homicidij in Senatu, magna omniũ ordinũ frequentia, rogatũ sententiã suo loco dicentem.

Videri cuique uestrûm possem, Rex inclyte, & Senatus amplissime, uos'q; nobiles & optimi uiri ordinum omniũ, malè de Repub. hac cõmuni omnium nostrûm parente mereri, si de legibus, quibus illa & ab initio constituta est, & in hunc usq; diem prosperis successibus gubernata, parum piè honeste'q; sentirem. Ego uerò post Dei opt. max. religionem, cuius primã mentibus hominum natura inseuit curã atq; opinionem, nihil in Rebuspub. sanctius esse iudico

legibus ipsis. Frustra enim societates hominũ inter ipsos colerentur, frustra hos cœtus & domicilia coniuncta mœnibus sepiremus, si religione summi Dei contempta, nullis institutis, nullis'ue legum uinculis Respub. deuincta esset ac cõmunita. Ac in tanto quidem bellorũ tumultu, in tot hostium incursionibus perpetuis, nulla mehercle ratione defendi respub. posset, ac diu cõsistere, nisi primùm domesticæ omnium tranquillitati legibus cõsultum fuisset. Quamobrem quòd respub. hæc nostra præter pacem publicam, qua domi fruitur, quamq́ꝫ (ut in hac hominũ peruersa cupiditate potest) retinet foris, floreat etiam, & apud alios populos pro eo ac par est audiat: id totum ego secundum Dei beneficentiam tribuo legibus ipsis: quarum iuxta præscripta, qui in magistratu sunt, gubernent omnia. Sentio igitur de legibus patriæ, cuius filius sum, honestißimè: quibus & conseruationem patriæ tam diuturnã, & florem acceptũ referre par est. Verùm enimuerò sunt quædam in ijs, quę principiò quidem causis grauibus & consilio etiam optimo constituta uideri poßint: at nunc tempus ipsum & abusus etiã non minimus exposcere, & planè exigere uidetur, ut illa ipsa corrigantur & mutentur, si florem hunc patriæ nostræ constantem retinere, sicq́ꝫ integrũ posteritati uolumus reddere. Et quoniã rogatus sententiam dico meo loco de pœna homicidij, quæso à uobis ut uoluntate uestra fiat, cùm pœnã usitatam ostendero parum esse sceleri tanto accõmodatam. Neq́ꝫ id sanè fecero studio uel cõtradicendi, uel nouandarũ rerum: sed cùm in medium deliberatio consilij capiundi sit introducta, puto unicuiq́ꝫ nostrûm libertatem datã esse, quod è Repub. ducat, fideq́ꝫ sua, dicendi. Quamobrem peto à uobis, ut me cum beneuolentia audiatis, dum causas propono, cur bonis uiris, patriæ huius filijs, ex omnibus quidem ordinibus, permultis, pœna usitata exacerbanda, ac omnino pecuniaria in capitalem commutanda esse uideatur. Neq́ꝫ continebitur oratio mea calamitatibus recensendis: quæ innumeræ ex pœnę facilitate, dum caput hominis pecunia soluere licet, in genus mortaliũ redundarũt. sed quæ uel apud exteros populos, inter quos multum sum uersatus, uidi & audiui, uel ex nõnulla lectione cognoui, uel experientia ipsa rerum magistra didici: ea quidem in præsentia, quantum cõmodius potero, exponere conabor. Sed antequàm ad eam orationem ueniam, quæ in pœnæ pecuniariæ uersabitur reprehensione: uidentur causæ in primis exponendæ, & occasiones, propter quas pœna hæc sanè minuta, si sceleris magnitudinem uerè æstimes, fuerit principiò constituta: ut deinde, num eam in capitalem uertere, hac hominum malicia, sit necesse, uidere poßitis. Profectò ita est, Rex inclyte, & Senatus amplißime, ut homines, quo rerum initio ac ueluti mundi incipientis uiridi illi ætati erant propiores, hoc facilius uel nulla,

uel

uel quamlibet exigua pœna ab omni genere flagitij arcerentur. Nulla olim in ciuitate Atheniensium (quam unam satis sit nominasse hic exempli causa) cùm iam & rerum potita erat, & legibus optimis constituta: nulla inquam, in ea ciuitate pœna proposita erat paricidis: quòd antea scelus illud à nemine ibi auditum erat. Pòst uerò, malitia hominum nihil non audente, non est dubium pœnam aliquam fuisse constitutam: ac subinde etiam moribus in peius ruentibus, auctam atque exacerbatam. In Republica nostra, quantum ex annalibus inuestigare licet, non aliud pœnæ genus in homicidas excogitatum erat, quàm pecunia: ea'que non maior, quàm sexaginta marcarum monetæ nostræ. Pòst uerò licentia hominũ crescente, processum est memoria nostra ad marcas centum. deinde cùm hoc non satis esset peruersitati reprimendæ, decretum est in homicidas, ut præter pœnam pecuniariam, spacio unius anni in custodia tenerentur. Sed ne hoc quidem satis uisum est submouendo maleficio. itaque tenebris & ima carceris parte custodia illa definita est. Ita mundo degenerante, aut potius hominum audacia in dies magis ac magis omnia sacra ac profana uiolante, supplicia maiora sunt cõstituta: quæ rerum initio, mundo ueluti nascente, leuiora multo cùm essent, magis tamen homines in officio continebant. Etenim ita rerum natura comparatum est, ut qui olim homines, ferino uictu, gazis agrestibus & antris relictis, loca aliqua frequentare cœpissent, domus'que coniunctas, quæ nunc oppida uocamus, ædificare: principiò quidem nulli perinde rei studuerint, quàm ut rudem terram rectè proscinderent, eam'que fructuosam sibi redderent. nec enim frequentiam illam diu colere possent, nisi quæ ad uictum forent necessaria, primò curarent. Nullus tum luxus esse poterat in cœtu illo recenti, uictu'que arido: nullæ diuitiæ. quisque pro sua parte in id unicè incumbebant, ut modum agri, qui fortè sibi erat asignatus, quàm optimè colerent: satis amplum laboris pręmium referre se putantes, si terra subacta annuum ipsis uictum suppeditaret. In eo igitur horrido uictu, tanta'que rerum inopia, non necesse erat multis legum repagulis, quibus homines à uitijs arcerentur: sed constituebant tamen leges aliquas ad disciplinam & societatem illam retinendam. Quis igitur tum ab homicidio non abstinuisset uel sponte sua in uictu illo & uestitu minimè delicato, uel pœna proposita mediocri in rerum omnium angustia? Ego sanè putarim, in eo exordio rerum multam potius addendam fuisse pecuniariam, cùm neminem ad id facinus malicia procliuem esse intelligerem, quàm capitalem: cuius etiam mentione perculsi homines, facilè ex nouis sedibus dispergerentur. Ac non dubito, maioribus nostris, seu inde à primordijs nominis nostri, seu

post multa secula gente multiplicata, & in uarias distincta urbes: non dubito inquam, hanc maioribus nostris rationem fuisse poenae pecuniariae constituendae, quòd ea deterreri posse quemque à flagitio tanto uidebant. Quae enim natio hominum tam rudis unquam fuit, tamq́ rerum omnium imperita, quae uitam humanam exaequari posse ullo precio diceret? Quis nostrûm hanc notam maioribus nostris inustam uelit, ut suam ipsorũ uitam quàm maxima ui numorum posse persolui putarent? Sed, ut dixi, cùm animaduerterent talia tum hominum ingenia fuisse, ut uel per se etiam, ac sponte sua, uel quamlibet leui poena ab omni caede abstinerent, poenam tantùm pecuniariam constituerunt: quàm ij sustinerent, qui casu aut per imprudentiam (sciens enim ac uolens qui id faceret, inauditum erat) hominem occidissent. Hanc & ego poenam, uiri amplissimi, existimem ijs quoque, per imprudentiam qui homicidium commisissent, subeundam. Nec enim iustum censeo, ut delicta, quae casu aduerso & nolentibus nobis fiunt, aequè puniantur, ut illa quae ex malicia & consilio animi destinato proficiscuntur. Deinde, si quis defendendi sui causa hominem, qui prior illi mortem afferre paratus erat, occidisset: eum quoque aut usitata, aut minore, aut si fortè ui tuendi'que sui necessitate eò fuisset adactus, nulla omnino poena afficiendum puto. Id enim nobis natura inditum est, ut caput, iugulum, latera, uitam denique ipsam ab omni ui tueamur. Itaque & leges porrigunt nobis arma ad uim ui repellendam: & ipsa consuetudo gladijs accingendi latera nostra non aliud commodi affert, quàm ut ab insidiatore repentino, quantum possimus, nos tueamur, uitam'que nostram. Quod si necessitatis graue illud telum tanti putatur, ut Dij quoq; paruisse illi tradantur: quam tandem mortalium generi excusationem putabimus iustiorem uitae alicui ferro ereptae, quàm se non potuisse aliam expediendae salutis suae rationem habere, nisi homine, qui fortè gladium animo occidendi prior intentauit, necato? Omnino enim hanc nascentes nobiscum attulimus legem, ut uim ui à nobis propulsemus: eam à Deo immortali unà cum animis haustam habemus: ad eam impellimur natura duce: neque aut ratione aut magistro praeeunte eam didicimus, sed quemadmodum nudi & rerum omnium indigentes in hanc lucem editi, instrumentis ad rem quaerendam augemur, ita ea lege imbuimur ad uitam & salutem tuendam. Quòd si capite puniendi essent, qui salute defendenda caedem fecissent, ecquid tandem interesset, quo minus latronibus petentibus uitã nostram, nos mactandos ultrò traderemus? ecquid referret, perire nos huius iudicio, aut illius manu? siquidem occidendum nobis sit iudicis sententia, quia nos occidendos insidiatori non praebuissemus.

Iam

Iam cùm duo sint genera iniuriæ propulsandæ, unũ per disceptationem forensem, alterũ per uim: certè ad hanc necessariò est confugiendum, illa desperata. ne, dum illã expectamus, antè nobis pœna iniusta reddenda sit, quàm iusta ab homine scelerato, iudicio repeti posśit. Sit igitur hoc in primis positũ in hac sententia nostra, non esse in fraude capitali ponendũ, si quis ad uim & cędem faciendam, ui coactus impellatur. Proximum uerò huic sit, ne eum quidem homicidio esse obstrictum, qui casu, nolens, contra mentem & sententiam suam (ut qui fortè tegulam ab alto demittat, in locum quem hominibus uacuũ putabat) necem alicui attulisset. Eius sententię authorem habemus uocem Dei immortalis, qui tale discrimen constituerit homicidiorum, ut qui cogitatò scelus hoc ac de industria fecisset, per insidias'ue, morte pœnas daret: usq; eò quidem, ut si uel ad aram Dei cõfugisset, inde tamen raperetur ad mortem: qui uerò sine insidijs homicidium improuisum, nec opinatum, sed casu admisisset, is nõ interficeretur: (siquidem in manum illius Deus se tradidisse & impulisse occisum fatetur:) sed tantùm in locum fugeret, tanquam ad asylum, diuinitùs constitutum. Sanciuit & illud Lex diuina, ut fur nocturnus impunè occidatur, diurnus non impunè. Tametsi leges XII Tabularum diurnum quoque, si telo se defenderit, interfici impunè uoluerunt. Atq; id quidem de cæde uel casu aliquo uel necesśitate facta, dictum esto. Cęterùm quis uitam hominũ tanto odio habet, ut immanisśimũ parricidam, ultrò spontèq; homines occidentem, per summã maliciam genus mortaliũ extirpare conantem, non excindere uelit, ac ex omnium ætatũ temporumq; memoria delere? Sæpe de grandioribus natu audiui, illud in more maiorum nostrorum fuisse, ut si quis seu pecuniam mutuam, seu quamlibet rem aliam utendam alij dedisset, non opus ad id ullis inter eos syngraphis fuisse. Tantum abfuit, ut qui creditor esset, caueret à debitore aut iuris iurandi religione, aut nominibus factis, aut fideiussoribus. Sed aut dabat rem suam, arbitris semotis, præsens præsenti: aut etiam absenti in sacculis numeratam pecuniam, ab una in aliam ciuitatem mittebat: quam pecuniam debitor & accipiebat integram, & cum bona gratia referebat. Tanta & portitorũ fides erat, & debitorum gratitudo. Nunc uerò, quid in pecunijs mutuandis non stipulamur? quæ non exigimus chirographa? quas cautiones non excogitamus? quos non consulimus formularum cautores? Et tamen fit persæpe, ut qui abs te mutuũ accepit, aut fidem non præstet, aut eũ mala referat gratia: aut quod minimè fieri oportuit, non sine hostilitate. Sed hoc nimirũ est quod uiri prudentisśimi nõ de nihilo confictis, sed è re ipsa sumptis olim fabulis prodiderunt: dum pri-

Exod. 21.

Exod. 22.

mam illam, qua homines nullis constricti legibus, sed sponte sua fidem rectumq́ colebant, Auream uocarent ætatem: alteram deinde, ut priore deteriorem, sic à metallo ignobiliori Argenteam: post uerò paulatim moribus in peius degenerantibus, & Aeneam appellarent, & Ferream. Volebant homines rerum humanarum peritissimi significare, non minorem in dies à pristina morum puritate in peius mutationem fieri, quàm ferrum cedat auro, precio atq; nobilitate. Tanta igitur rerum mutatione quis quæso non intelligat, subinde & legibus opus esse alijs, & pœnis etiam quibus hominum malitia refrenetur grauioribus? Deinde si in rebus cæteris, magnis quidem illis, & ad societatem hanc retinendam pernecessarijs, tot sunt leges nouæ sancitæ, tot item ueteres nouis exacerbatæ pœnis, cur non idipsum in nostra ipsorum tuenda uita, omnibus profectò rebus longo interuallo præstante, effectum uelimus? Eò enim iam in hac Republica multorum malitia processit, ut putes illos hostes esse humani generis perpetuos: in idq́ uideas unicè intentos, ut in quos libitum est eis sæuiant: eos persequantur: ex ædibus ejiciant: deinde cùm non grauius malum dare possint, miserabiliter trucident. Quot enim paucis his annis reperti sunt maleficentissimi homines, imò immanissimæ beluæ, qui posteaquàm alicuius exarserunt odio, non prius illud restinguere potuerint, quàm hominem nec accusatum, nec condemnatum, imò nec opinantem, nec id unquam expectantem, præter ius omne, & præter magistratus edicta, crudelissimè manibus suis necarent? Possem multos hîc nominatim proferre uel amicos, uel tribules, uel parentes uel filios uestros, uestrorum'ue hominũ, qui ab importuna sceleratorum manu uulneribus acceptis, mortem teterrimam obierunt: possem rabiosas multorũ impressiones in honestissimos homines factas: possem strages, manu collecta utrinq; editas commemorare: sed non est instituti mei, in re omnibus notissima commorari. At uerò, quas'nam pœnas persoluerunt pestes illæ hominum, flagitij tanti? Dignum quidem erat, pœnam sceleri parem esse: ac carnificinam illam uel exempli causa, uel quia æquum est, merita punire morte: ut & cæteri deterrerentur ab hominibus necandis, & ipsis homicidis eadem dies peccandi finem afferret, quæ & uiuendi. Verùm posteaquàm euaserunt primam, qua in præsenti facinore capi poterant, occasionem: prodeunt paucos post dies impunè in publicum, securi iam uitæ & rerum suarum. Quid enim facias illis, qui momento patrati homicidij hominum manus effugerunt? Dies eis dicitur apud iudicem. hic uerò in eos animaduertit pœna usitata. Quotus autem quisq; homicidarum est, qui utramq; dependat pœnam

Reipub.

Reipub. & pecunia persoluenda, & carceris cruciatu anni spacio perferendo? Multi amicis occisi placatis, utramque euolarũt pœnam. Quid enim putatis homunculos facere istos, qui sua tantùm re tanguntur: alienas, & præsertim mortuorum res, parum ad se putant pertinere? Verè enim dictum uideri potest, Nihil citius arescere lachryma: præsertim & in rebus alienis, & lucelli alicuius odore aspirante. Multi etiam à cæde in exteros se conferunt populos: atque inde cum literis deprecatorijs, aut fortè meritis cum aliquibus redeuntes, uel utriusque, uel alterius pœnæ remißionem obtinuerunt. Rariq; sunt seu honoribus atq; existimatione præstantes, seu gratia florentes, seu amicorum consanguineorum'que potentum studijs stipati, qui legibus & iudicio dederint pœnam constitutam. Soli homines uel ab amicis, uel ab honoribus, uel ab existimatione inopes, pœnæ illius sustinent acerbitatem. Et tamen qui pœna affecti sunt, nihilo fiunt meliores: imò seipsos etiam scelere deinceps superant, audaciaq;. Inuenias enim, qui & multis postea parricidijs sese obstrinxerint, & sint deinde ad omnia scelera atque ad impetendum homunculos imbelles longè audaciores. Qui quidem si morte luissent cædem, à se indignißimè factam, ijsdem finibus audaciam interficiendi alios quibus uitã suam terminassent. Quàm igitur ex re sit omnium qui se hancq; Rempub. saluam cupiant, quamq; æquum, si supremo adficiantur deinceps supplicio, qui primi hominem occiderunt, puto uerbis non opus esse in re clarißima. Sed quoniam ingressus sum hunc dicendi campum iussu uestro, atque officio muneris mei: faciendum mihi existimo, ut omnes, quantũ in me sit, inuestigem eius rei causas. A' uobis modò peto, quæsoq;, ut quod adhuc fecistis, benignè atque attentè audiatis reliquam orationem: efficiam enim profectò, ut omnes intelligatis, quamobrem, qui prior homini obtulisset mortem, ipsum quoque ad mortem usque necessum sit multari.

Si enim pœna quæ iusta sit, respondere debet culpæ, eamq; etiam ut expiet æquare: nihil mehercle tam æquabit homicidium, quàm si homicida morte multetur. Nulla enim pecunia tanti est; imò etiam si res conferantur totius orbis terrarum in unum, nullo modo tanti sunt, ut contendere poßint cum uita hominis unius, qui meliore sui parte sit particeps diuinitatis: qui imaginem opificis sui in se mirandum in modum habeat insculptam: qui non, ut cætera seu animantia seu inanima, mortalia & caduca sunt, sed qui ex hac uita trãsferatur ad domicilium beatorũ: cuius causa filius Dei opt. max. è cœlo descendens, cruci se suffigendũ uoluerit, ut eũ recõciliaret patri suo cœlesti: deniq; cuius causa omnia quæ usquã in terris sunt, quęq; in cœlis uisuntur, cõdita sint. Iam uerò, quamcũq; in partem uitæ humanæ cõtemplandæ te cõuerteris, quot (dij boni)

ni) res mirandæ in hoc opificio sese ostentabunt? Nouem menses maternis claustris septus, huic luci formatur: edito in lucem, lac in uberibus maternis, nutriendo suggeritur: labore & anxietate parentum incredibili educatur. Quis enim uerbis explicare satis queat, quot & quanti labores fingendo hoc animali suscipiuntur? primùm in infante uiribus omnibus destituto quanti? deinde in adultiore densissimis ignorantiæ tenebris circũsepto, qui & quanti? post hæc, ætatis accessione aucto, quis sufficiat unus instituendo, erudiendo, ad humanitatem informando? quot artes usurpandæ fingendis moribus illius & refingendis? quoties rogandus, monendus, castigandus, nonnunquã adulatione deliniendus? ac post tantos labores, tot curas & ærumnas, uix tandem ad annos uiginti natus, rebus gerendis aptus esse uidetur. Quo ferè tempore maximam solet lęticiam facere natus parentibus amicisq́ʒ, & cunctæ patriæ: dum & illi sperant labores suos fructu ætatis nati longioris compensatum iri: & hæc in spem cuiusuis rei ab illo benè gerendæ ingreditur ampliorem: cupitq́ʒ uidere ut homo tanto tempore, tot laboribus alienis, aliena cura & industria eductus, ostendat in Repub. pro uirili parte aliquid, quo declaret non sibi se natum esse, sed parentibus, amicis, & Reip. Sed ecce tibi quasi in medio cursu homo maleficus, qui momento eripiat tantas spes nobis, occidit illum alumnum: priuat parentes, amicos, & totam Rempub. sperato fructu. numerat deinde (si fortè quis exigat) marcas centum, & fortè molestias carceris aliquot septimanarum perfert. an uerò uobis uidetur, cum hac pœna compensari uita hominis occisi? in quo consummando tot curæ susceptæ, tot labores sunt exhausti: qui à Deo filij, à CHRISTO fratris habetur loco: qui tot naturæ beneficijs auctus est & ornatus: in quo tot & tantæ sint spes collocatæ rerum benè gerendarum? Quæ igitur cum tanto opificio, nõ marcarum centum nostratium uinculorumq́ʒ unius anni, sed rerum totius mundi, si in unum conferantur, contentio fieri possit? Quę uerò aptior pœna constituatur, q̃ʒ si rei capitalis damnentur omnes homicidæ? Non hîc sanè hominũ gradus constitui necesse est, nobilium plebeiorumq́ʒ, diuitũ & tenuium, dominorũ ac ministrorũ. Ad gentes à CHRISTI religione alienas facessat illud decretũ, ut dominis potestas sit necis seruorũ: alijs in negocijs ualeat illud, ut pluris sit paupere opulentus. Satis sit in hac Repub. nobilitati, prærogatiuis gaudere multis uel in honoribus petendis profanis ecclesiasticisq́ʒ, uel immunitatibus uectigaliũ aliorumq́ʒ onerum obtinendis. Cæterùm in uindicanda legibus morte hominũ, ad exemplar Dei cõditorum, fratrum CHRISTI & cohęredum, ne sit quæso discrimen ullum. Certè nulla humani generis pars, propter discrimina humanitùs constituta, est negligenda. Cedat sanè diuiti

pauper,

pauper, nec contendat cum nobili plebeius ordo: uerùm seruentur illi gradus in uitæ huius commoditatibus percipiendis, atque in uitæ huius dignitate. mortem uerò per scelus cuilibet oblatam, nemo non ijsdem pœnis persequendam putabit, qui à Deo opt. max. æquè plebeios ac nobiles, pauperes ac diuites, ministros ac dominos esse diligenter reputauerit: nec minus manere illos, atque istos, hereditatem æternam. Hoc natura docet, simili omnes homines opere condens: ijsdem rebus indigos, in hanc lucem proferens: ijsdem quoque illos tum animi tum corporis dotibus ornans. Hoc uult naturæ author ille & conditor Deus, omnes ex æquo in spem salutis uocans, & æternitatis. Hoc iubet magister noster CHRISTVS, qui cùm suæ religionis iugo nos exæquauerit, cùm proximorum appellatione nos uoluerit omnes censeri, non minus profectò nobis uoluit pauperum, seruorum, plebeiorumq́ue uitam cordi esse, quàm diuitum, dominorum, ac nobilitatis. Denique hoc postulat Respublica ipsa, mater omnium nostrûm: quæ quantumuis ex re sua constituerit ordinum distinctionem, nõ aliter tamen salua esse posset ipsa, quàm filiorum quos genuit, eduxit, quos sinu charitatis maternæ complexa est, quos uni monarchæ subiecit, salute & uita eodem modo tuenda. Quòd si in facinoribus aliorum criminum, illam sine ullo discrimine personarum constitutam habemus pœnam, ut non elui possint nisi capitis supplicio: cur non idem seruamus in scelere homicidij immanissimo? Fures, cuiuscunque ordinis sint atque loci, in crucem affiguntur omnes: de adulterio, deq́ue peculatu conuicti, uel si lateant quamdiutissimè à flagitio patrato, si quando tamen in manus incidunt iudicum, nulla inde eis datur redimendi facultas: nullæ pecuniæ tanti sunt, ut pares sint facinori persoluendo. Sit sanè, qui furtum fecit, equestri loco, plebeio'ue: nulla tamen uia iudicis manus elabi possunt, quin in crucem acti laqueo strangulentur. Detur seueritas huius legis, uiri amplissimi, hominum societati: detur huic in qua nati sumus Reipublicæ. Nam quis est qui dubitet, si ad uiuum resecare uelit, quin uita hominis pluris sit multo rebus furto sublatis? Verùm cùm humani hi cœtus defendi aliter non possunt, nisi maleficis hominibus è medio sublatis: maneat sanè, ut seueritatis exempla illa in fures edantur. homicidæ uerò, qui fures longè superant facinore ac immanitate, cur nõ similibus, aut peioribus multo exemplis perdantur? Cur furibus omnis uiuendi spes legibus in perpetuum adempta: eadem paricidis, patrati homicidij momento manus hominum elapsis, integra manet, ac omnino carcere pecuniaq́ue multaticia persoluta, sarta atque tecta? Non mihi possum temperare, quin, quò oratio ducit, contentionem faciam furum & homicidarum, quo quidem apud nos

loco esse utrique putentur. Fur habetur infamis, homicida fortis animosus'que: ille multatur morte, hic pecunia. ille uiuens moriens'que in numerum hominum honestorum uenire nunquam potest: hic & uiuens fungitur honoribus, & moriens numerum obtinet honoratorum. ille ita moritur, ut ueluti in exemplum omnibus, deterrendi causa, in altum sublatus, terram non tangat: hic in subsellijs uirorum honestissimorum nobilissimorum'que eum locum obtinet, quem uel si homicida nunquam esset, obtine-
Exod.22. ret. O ingentem morum peruersitatem. Deus iubet, ne maleficos patiamur uiuere: nos, homicidas non tantùm sinimus uiuere, sed & honoribus ijs frui, qui in alijs Rebuspublicis soli uirtuti debentur. Et quoniam in Republica Christiana uiuimus, uidetur mihi cum ea meritò expostulandum, cur tandem homicidam potiore habeat loco quàm furem? Quasi uerò non uterque in legem Dei peccet. An est quisquam qui ignoret, eundem nobis homicidio interdixisse, qui furto interdixit? eundem in una tabula scriptum illud reliquisse, NE OCCIDITO, &, NE FVRATOR? Profectò animi fuerit minimè Christiani, non eâdem religione imperia & leges obseruare omnes, quæcunque ab illo legislatore Deo scriptæ sunt, & in eadem tabula incisæ. Voluit legislator ille non minus consulere uitæ nostræ, quàm fortunis. Quòd si qua uis ordinis sit habenda, certè priore loco legem fixit ad tuendam uitam nostram, quàm illam muniendis rebus nostris accommodatam. Ac ne sola legislatoris illius authoritate niti uideamur (quæ tamen ipsa talis est, ut per se pulcherrima atque summa cùm sit, meritò ab omnibus, in primis uerò Christianis, plurimi debeat æstimari) sed omittamus inquam, legislatoris huius authoritatem, faciamusque ab eo nullam mentionem prohibiti homicidij fuisse factam: nedum uel in eadem tabula aliquam, uel priore loco: an uerò ratio & omnium populorum consensus non iudicat, uitam corpus'que ita seruanda esse ac munienda, ut fortunas omnes ac rem familiarem longè posteriora illis ducamus? Etenim res ac opes semel amissæ sarciri possunt: uitam uerò semel amissam quis unquam recuperauit? Quæ igitur causa est, ut seuerioribus pœnis ac legibus eum qui res nostras, quàm qui uitam abstulisset, teneri putemus? Enimuerò metuendum, ne auaricia atque nimia opum cupiditas causam præbuerit pœnæ seuerioris in fures inueniendæ, quàm in paricidas: nimirum dum in rem faciendam plus iusto intenti sumus, lucri'que ex unaquaque re odorem pulchriorem quàm proximi uitam iudicamus. Nam quis, per Deum immortalem, suam ipsius uitam non antiquiorem existimet pecunia omni? Quicquid igitur pœna homicidij usitata agitur, non de nostra morte ulciscenda agitur, sed aliena:
quam

quam quidem alienam mortem dum fructuosam nobis uolumus esse, magis pecuniariã pœnam studemus retinere, quàm ut capitalem (quæ commodi nihil nobis afferret) cõstituamus. Scilicet hoc est, quod diuino iussu ferimus præ nobis ipsi, æquè proximos diligi à nobis, atq; nos ipsos: eorum uitam non aliter nobis cordi esse, quàm nostram: mortem uerò illorum ita nobis acerbã, ut si nobis ipsis per scelus illata esset. Iam uerò si uitam homicidis donaremus solam, non etiam uitæ commoditates ac ornamenta, ferendum id quidem esse putarem. Etenim ad magnam pœnæ acerbitatem pertineret, uiuere in hominum cœtu sine honore, sine rerum facultatibus, sine potentia, sine amicorum ope ac consuetudine. nec uita hęc magnopere uideretur expetenda homicidę, cùm se & amicis dedecori atq; maculæ, & uulgo contemptui, cùm suam crudelitatem omnibus odio esse uideret: cùm deiectis oculis incederet: tantumq; in id animam de cœlo ducere uideretur, ut sese ad frugem reciperet meliorem, Deumq; sibi placaret. Nunc uerò quid deest homicidæ ad uitam fœliciter degendam, posteaquam pœnam dependit usitatam? fundos, quos antè habebat, posidet omnes: amicorum & hominum potentum ac uirtute præditorum consuetudine gaudet: incedit purpuratus: fruitur honoribus Reip. in Senatu locum tenet: in regijs oculis uersatur. Quid est iniquitati subdere calcaria ad cædes, si hoc non est? Quid prodest operam uirtuti dare, si tantus est honos maleficio? Atqui certè Deus ipse iubet, NE SINAMVS MALEFICOS VIVERE: & lege in Exodo lata edicit, QVI PERCVSSERIT HOMINEM ITA VT MORIATVR, IPSE QVOQVE MORIATVR MORTE. Exod.22. Exod.21. Ac ne quis refellenda hac lege, dicat eam ad Remp. Iudæorũ pertinere tantùm: audiamus quid mundo propè uacuo, hominibus octo duntaxat ab excidio illo uniuersi orbis superstitibus (qui quidẽ genus humanũ tandem recuperaturi erant) edixerit Deus: SANGVINEM, inquit, VESTRARVM ANIMARVM REQVIRAM DE MANV CVNCTARVM BESTIARVM: ET DE MANV HOMINIS REQVIRAM ANIMAM HOMINIS. QVICVNQVE ENIM EFFVDERIT HVMANVM SANGVINEM, FVNDETVR SANGVIS ILLIVS: SIQVIDEM AD IMAGINEM DEI FACTVS EST HOMO. Audistis edictũ diuinum, mundo renascente, necdum natione Iudaica segregata, latum. Quo quidem edicto sanguinem humanum cùm de bestiarum, tum uerò hominum manu se requisiturum dicit: sanguinem quoq; eius, qui prior sanguinẽ hominis effudisset, effusum iri. Audistis & causam edicti grauissimam, & in primis expendendam: nempe hominem ad imaginem Dei esse effictum. Itaq; uitam eius à nemine uiolandã, nisi qui bellũ suscipere uellet cum principe illo orbis, qui eum imaginem ac similitudinem sui ipsius uiuam in terris uoluerit referre.

Atque ut edictum hoc ad tempora omnium ætatum pertinere planum fiat, uideamus & multis seculis ante illud diluuium uniuersale, atque adeò principio rerum, uim illud habuisse suam, & nostris etiam habere oportere. Nam & ad Caymum primum homicidam
Genes. 4. sic de Abele occiso expostulando ait Deus, VBI EST FRATER TVVS? QVID FECISTI? VOX SANGVINIS FRATRIS TVI CLAMAT AD ME DE TERRA: & Christus ad Pe-
Matth. 26. trum, iniussu magistratus gladio utentem, QVI (inquit) GLADIVM ACCEPERIT, GLADIO PERIBIT. Hæc ferè in literis diuinis ab illo cœlum, terras ac hominum uitas tuente & regente Deo prodita extant. Audiamus iam, quàm pulchrè
ff. Lib. 48. ad l. Pomp. de paricidijs. consentiant gentium leges. Et XII quidem Tabulis cùm cæteras res, tum uerò homicidium capite fuisse sancitum constat. Romanis quoque legibus in paricidas, hoc est, in eos qui cognatum affinem'ue interfecissent, illud supplicium est inuentum, ut in culeo cum cane, gallo & uipera insuti, in mare abijcerentur: in alios uerò homicidas pœna capitalis constituta. Hac lege utuntur Germani, utuntur Galli, utuntur Hispani, utuntur & Hungari. Sed apud Hungaros illud quoque ad pœnæ seueritatem est comparatum, ut non tantùm in caput interfectoris, sed in bona quoque manus à rege inijciantur: ea quidem quæ castrensis, quasicastrensis, & aduenticij (sic enim iurisperiti loquuntur) peculij ueniunt appellatione. Sic ad filios etiam pœna sceleris paterni redundat: dum solam adire permittuntur hæreditatem, quæ patri à maioribus relicta erat. Sed nec Christiani tantùm, uerùm & Scythæ & Tur-
ff. Lib. 48. ad l. Corn. de sicarijs & ueneficis. cæ puniunt capite homicidas. Neque uerò supplicium istud de eo tantùm sumebatur legibus Romanis, qui hominem occidione occidisset: sed de eo etiam, qui hominis occidendi causa aut cum telo fuisset, aut districto gladio aliquem impetijsset, uulnerasset'ue: aut uenenum confecisset, dedisset, habuisset'ue. O legem populo illo, qui non armis tantùm, uerùm etiam consilio sapientia'que cæteris nationibus præstabat, prorsus dignam. Viderunt prudentissimi homines, & rerum humanarum in primis experiẽtes, non tam rerum euentu peccata hominum metienda esse, quàm animorum consilijs sceleratis. Itaque in maleficijs non tantùm exitum, sed uoluntatem etiam spectandam duxerunt. Deinde nihil interesse putarunt, occidat quis hominem, an mortis præbeat causam. Quoties igitur tanti maleficij crimen non modò perfectum, sed tentatum etiam argumentis claris signisq; comprobabatur, toties rei capitalis damnabantur, qui sceleris erant conuicti. Quo magis ea lex instituenda est à nobis in crudelissimum homicidam, qui sanguine humano imbuere manus suas gladium'q; non dubitauit. Etenim si quis res gestas iam inde à condito orbe diligenter consideret, uix meher

cule

culè inueniat unum homicidam, quem ipsum non ulciscatur scelus suum. Cayn cùm esset fratricida, ipse quoque interijt eodem genere mortis. Dauid ob imperatã cædem, gladij persequutionẽ in domo sua perpessus est in sempiternũ: quæ calamitas hauddubiè acerbior illi erat sua ipsius morte. Sed quid ueteres historias attinet repetere? Memoria nostra ostendite mihi aliquẽ unum, qui hoc detestabili scelere patrato, ut etiam pecuniã quantumuis magnam numerauerit, ac carceris molestias pertulerit: ostendite inquam mihi unum talem, qui non simili deinde perierit fato? Id quidẽ usque eò planum est omnibus, ut iam uulgò celebretur, nullum nec homicidam nec adulterum naturali perire morte: ad hæc etiam passim iactetur, sanguinis innoxij clamorẽ super astra ferri. Testatur id Deus ipse, dum dicit, sanguinẽ Abelis occisi clamare ad se de terra. Testatur & Ioannes, dum animas sub altari auditas sibi ait ita clamantes: Quàm citò Domine uindicabis sanguinem nostrum de ijs qui habitãt in terra? His uerbis clamor describitur sanguinis innoxij: hoc est, eius qui citra iudicium legitimũ ab homine priuato fit effusus. Siquidem nemini licere, præter magistratum, quenquã interficere, ne nocentem quidem, literis diuinis proditum extat. Innoxius igitur putãdus est sanguis, qui à priuato effundatur homine? utcunque prætexatur honesta causa, excepta tamen ui ipsa: quæ certè excipienda est, & meritò secernenda. Narrabat hospes meus Viennensis, admodũ dolenter, ac uoce ad luctum & mœrorem composita, non ita multos abhinc annos ciuem quendam suum, nobilem pistorem, cùm cœnatus cum uxore, liberis ac familia dormitum isset, inuentum esse manè in cubiculo interfectum, unà cum uxore & filiolo propè in cunis iacente: familiã quoque omnem in cubiculis distinctis cubantem, & ipsam ad internicionem quoque cæsam. Cùm ex omni uicinia ad tam fœdum spectaculum uulgò concurreretur: nemoque in ædibus uniuersis repertus esset uiuus, in quem suspicio maleficij conferri posset: simulque animaduerteretur abesse, ex cuncta familia atque ex domesticis patrisfamiliãs occisi aliquem unum, qui in eo occisorum numero non reperiretur: captum esse cõsilium, quærendi illius qui abesset. Inuentum tandem esse in plateis oberrantem: captum, & ad magistratum criminis inuestigandi causa adductum. Erat porrò homo ille in arte pistoria, quam cum magistro exercebat, industrius, & ideo magistro suo in primis gratus: sed, ut fit, popinis, lustris & ganeis nimio plus addictus. Eum igitur & prius apud apparitores qui eum comprehendissent, & deinde apud magistratum, sponte sua, nullo teste, stimulis conscientiæ actum, nec interrogatum, continuò crimen confessum esse: se hortatus magistri, quibus à luxu uocaretur sæpe ad frugalitatem, ferre nõ potuisse. Itaque nocte profunda, cùm uox à uicinis exaudiri non posset, se primùm familiam in

Gen. 4.
Apoc. 6.

lectis cubantẽ, ne illa patrifamiliâs suppetias ueniret: deinde hostio cubiculi aperto, ipsum patremfamiliâs cum uxore, altissimũ carpentes somnũ, interfecisse: postremò uerò in filiolum, qui in cunis propè cubaret, ac morte parentum prius conspecta, suam ore balbutienti deprecaretur, puppasq; omnes si parcitũ sibi esset dono offerret, se ferrum strinxisse. Tot autem cædibus factis, se ad portam ciuitatis contendisse, ut illinc digressus, pœnam homicidis impendentẽ uitaret. Verùm porta ciuitatis se aliquoties egressum, tamẽ rursum ad ciuitatem ui & impetu animi impellentis reuertisse: tantas sibi tenebras offusas fuisse, ut quasi collo obtorto eò unde discesserat reductus esset: tantis deniq; aculeis, tantis furijs cogitationum se agitari, ut nec se animo consistere posse diceret: nec quicquam magis optare, quàm uitam sibi eripi, quam ipse alijs eripuisset. In tot uerò stimulis conscientiæ ac cruciatibus animi summis, illam pueri uocem, qua sibi parci petebat, atq; puppas uitam redimendo offerebat, esse sibi tanquam facem sine intermissione adurentẽ, & pœnam longè omnium acerbissimã. Hæc quidem parricidam illum ultrò & spontè fassum esse, ac morti deinde prout dignus erat adiudicatum, hospes meus Viennensis narrabat. Ego sanè non absq; lacrimis audiebam & tantam immanitatem parricidæ, & sanguinis innocentis ultionẽ diuinitùs immissam. Neq; enim Deus, qui legem tulit, Sanguinem eius effusum iri, qui hominis sanguinẽ effudisset, ad homicidia conniuere putandus est: ut non pœnam repetat ipse ab ijs, qui imaginem suam uiolassent. Itaq; parricidę isti & mẽtem abstulisse, & fugiendi facultatem eripuisse, & eum pœnis meritis reseruasse, est existimãdus. Hoc igitur ueluti præiudicio tanto, cuius similia multa nobis non animaduertentibus fieri quotidie putemus, an non palàm nobis ostendit, quid in puniendis homicidijs sequi debeamus? Habemus & lege diuina cõstitutam pœnam homicidis: & eius uoluntate in eam mentem illos impelli, ut ipsi incidant in manus ultorum: cur igitur dubitamus legem emendare nostram, pœnamq; similem diuinæ constituere? Nam quæ gens, quæ natio alia, præter nostram, caput hominis pecunia persoluat? Nisi fortè hoc in numero Dani habendi sunt: apud quos legem quoq; uigere audiui similem nostrę. Sed illi tanta incommoda perferunt ob pecuniã hanc multaticiam, ut parum apud illos tuti sint imbelles à potentioribus & in medio foro, & in templorum ædiumq; penetralibus. Itaque Germani illud eis in iurgijs obijcere consueuerunt, uitam humanam non alio loco haberi apud illos quàm pecudum: utpote quæ pecunia quoq; redimatur ac persoluatur. Iam ne quis putet hæc in nationem Danorum à me contumeliosius dici, permittamus sanè illos uti sua lege: certè tamen non debent esse nobis tanti, ut illis tantùm similes nos fieri uelimus, potius quàm tot nationibus

alijs,

aliјs, Italis, Gallis, Hispanis, & omnibus quę Romanis legibus utuntur: quæ legi Diuinæ subscribere non dubitarunt, caputq́; non alia re quàm capite puniendum esse statuerunt. Tanta apud nos religione sunt, tantaq́; maiestate, templa & principum arces, ut rei capitalis damnentur, quicunq; ea uiolare, non quidem homine occidendo, sed gladio uagina uacuo aliquem petendo, fuerint ausi. Quod uerò templum maiore sanctitate putamus uenerādum esse: hoc, quod Dei uiuentis est habitaculum, an quod ex lignis est lateribusq́; constructum? Quam arcem tantæ maiestatis ac uenerationis plenam, ut eam, qua & religiones & Resp. defenduntur? Scitè enim mihi fecisse uidetur Rex ille, qui Cæsari (ni fallor) Ottoni templum diui Adalberti Gneznense religionis ergò uisenti, ac opes atque arces quas regio hæc potissimas haberet uidere cupienti, uiros ostenderit lectissimos, exercitusq́; qui subitò legi poterant numero sos: Illos, inquiens, arces suas esse, atq; opes. Præclarum sanè & regia maiestate dignum responsum. nullæ enim opes regibus tanti esse debent, nullæ arces tam firmæ uideri, atq; homines ipsi: quorum causa illi constituti sint à Deo, tot honoribus totq; opibus aucti & ornati: sine quibus nec opes, nec dignitatē, nec arces tueri possent, ac defendere. Cur igitur uiolatorem templi huius uiui, arcis huius fortissimæ deuastatorem, è numero hominum eijciendum non statuemus? An licentiam perditissimi paricidæ alemus, ad similiaq́; facinora edenda uitam illi prorogando instruemus? Res enim testatur ipsa, gigni in homicida, nisi multetur morte, immoderatam peccandi consuetudinem, ac licentiam interficiendi. Quotus quisque est enim, qui pœna capitis euitata, cæde una fuerit contentus? Itaq; ut cœno porcos, sic istos trucidationibus ac maleficijs omnis generis uideas delectari: nec de re alia quàm de carnificina sermonem instituere, nec uoluptatem aliunde capere quàm ex sanguine. Tantam uim habet macula ex humano sanguine concepta, ut nihil nisi immanem quandam audaciam gignat ad scelus omne. Haud scio an eâdem culpa tenemur, qui ad Reipub. gubernacula sedemus, quorumq́; in manibus hæc res est, qua amentes & furiosi isti. Nam quid per Deum immortalem uult sibi uetus illud & protritum uerbum, Facientes & consentientes ijsdem pœnis teneri, ac legibus? nisi fortè putamus illos tantùm assentiri sceleri, quorum seu consilio seu opera sit confectum. Atqui & ratio dictat, & magnorum uirorum consensus, eos quoq; culpæ reos esse, qui cùm sceleri occurrere possint, occasionem negligant rei bene gerendæ: non secus ac si uel iniuriam fecissent ipsi, uel præstò fuissent opera, consilio, studioq́; facienti. Si authorem quærimus eius rei, nullum certè grauiorem possumus habere M. Cicerone: qui non in scholis tantùm philosophorum uersatus sit, sed Romæ, cùm quidem urbs illa rerum

orbis terrarum potita erat, summos magistratus magnificè gesserit: Is in suis Officiis reliquit scriptum ad hunc modum: QVI non defendit, nec obsistit, si potest, iniuriæ, tam est in uitio, quàm si parentes, aut amicos, aut patriam deserat. Si uerò rationem uelitis habere sententiæ nostræ, ea quidem in promptu fuerit rerum naturam contemplanti. Quis in mari profundo hominem sese præcipitantem atque mergentem non seruans, seruare cùm posset: eísque in extremis laboranti, subsidio uenire negligens: culpæ exors erit? Quis uiatori iter latronibus obsessum ingressuro, insidias prædicere cùm posset, tamen non prædixit, nec admonuit, non immeritò ob id damnetur summæ crudelitatis ac impietatis? Quis cæco foueæ atque lapsui proximo, dextram porrigere cùm posset, atque à lapsu abducere, occasionem omittens, seipsum suum'que animum à crimine uacuum statuet? Neque iam disputo de eo qui se cisset maleficium uel alterum submergendo, uel in latrones tanquam casses artibus malis impellendo, uel in foueam præcipitando (quæ uitia etiam palpando ab omnibus cognoscuntur) sed de eo, qui uel à fouea, uel ab aqua, uel à latronum manu, uel aliqua prolapsione seruare cùm posset opera aut consilio, opportunitatem prætermittat rei præclarè gerendæ. Hos omnes quis non numero homicidarum numerauerit? Profectò enim non nobis nati sumus tantùm. Præclara est uox illa CHRISTI seruatoris nostri, ut quod placeat nobis, alijs quoque faciamus. Cœtus hi, & hæc domicilia coniuncta, docent, nos aliorum commodis seruire debere: ut qui cum hominibus in uitæ, spiritus & lucis communitate uiuamus, cum illis etiam rerum omnium communione iungamur: earum præsertim quas sine detrimento nostro, magno autem cum salutis illorum commodo, tribuere possimus. Omnino enim non de nihilo illud apud ueteres tritum erat uetustate prouerbium, HOMINEM HOMINI Deum. Diuina enim hæc sunt opera putanda, consilium dare homini uel ignotissimo: opem illi ferre in periculo: rebus subitis illius ac dubijs adesse: iuuare aut opera, aut consilio, aut re. Hæc qui homini in extrema necessitate non faciat cum possit, an eum omni humanitate exutum non putabimus? an domicilijs nostris, foro, congressu non excludemus? Cùm igitur nos qui Reipub. huius gubernacula tractamus, simus eo loco constituti, ut subitis casibus, interfectionibus ex summa licentia proficiscentibus, possimus (quantū in nobis est) supremo supplicio contrauenire, ne quæso desimus officio nostro. Omnino cessatio hæc infamiam illam habet, delectari nos cædibus, qui grauiorem non irrogemus multam: consentire nos, qui non damnemus capitis homicidas. nec certè eius culpæ cuius rei sunt homicidæ, possumus ipsi esse insontes: siquidem eadem residet in consentiente pœna, quæ in facien-

in faciente. Quin igitur facimus, per Deum immortalē, ut quemadmodum hanc Rempub. in cæteris partibus, quantum possumus, sustinemus cum dignitate: sic & huic medeamur parti, quæ ad uitam cuiusque pertinet tuendam. Non illud censeo, quò homicidas è medio tolli aliquando curemus: nobis enim uel non curantibus, uel conniuentibus, id eueniat aliquādo necessum est, Deo opt. max. ita uolente ac iubente. Non sinit numen illud, quod hominem ad suam imaginem effinxit, imaginem suam impunè uiolari. Cessent quantumuis magistratus: euadant homicidę omnium hominum suspiciones ac iudicia: impellentur tamen illi à numine cœlesti in casses, unde uitam expedire non poßint. Veniet dies multæ illius certandæ, quæ rerum principio homicidis diuino oraculo dicta est: ut qui sanguinem hominis effudisset in terra, eius quoque sanguis effundatur. Illud igitur censeo, ut quod iusto Dei iudicio certißimū est homicidis aliquando fore, id nos anteuertamus decreto & iudicio nostro: ne uel audaciam illorum, pœna capitali differenda, corroboremus ad cædes alias: uel paruifacere uideamur hominum uitam, quam pecunia soluere permittamus. Nam præter iniquitatem tantuli precij, eadem illa multa illud quoque in se non minimi, sed haud scio an maximi habet incommodi, quòd cùm in uniuersum dicta sit omnibus qui maneant in hac Rep. non tamen nisi à locupletib. pendi poßit. Quid enim numerabit pauper, si cædem fecerit? Scilicet luet (ut uulgo iactatur) corpore, qui caret numis: subibitque, qui soluendo non sit, ferri crudelitatem, aut certè carceribus perpetuis addicetur. Diuites porrò quid interea? soluent quod lege præceptum est: ac se, in quos illis libitum erit, noua pecunia armabunt. Adeò apud nos diti atque pauperi leges impares esse? Hanc uerò legum inæqualitatē tantam quid pepererit, præter pecunię abusum summum? abusus porrò unde natus, quàm ex hac pecuniaria lege? qua sine modo grassari nobis fas esse putemus in tot hominum uitas, quot centena marcarum numerare poßimus. Sed ex tota hac pecuniæ potentia magna, unum illud est admiratione dignū, quòd legibus etiam apud nos sit cautum, aut certè moribus receptum, iure uideri interfectum, cui comminationibus sit prius, ut sibi caueat, prædictum. Hinc uerò non iam singulari certamine concurri, sed non rarò utrinque exercitus cogi: hinc expugnationes ædium: hinc & nocentum & innocentum sine discrimine cædes: & quid non mali inde? Hoc uerò quid aliud est, quàm legibus ualere iußis, uim regnare uelle? At enim in Repub. benè constituta, legibus solis locum esse debere, ratio ipsa dictat: uim omnem uel ab omnibus in externum hostem, cum quo nobis legum cōmunitas nulla sit, conuertendam: uel ab solo magistratu in eos qui legum iußis non sint obediētes, exerendam: priuatis uerò inter se in uniuersum ui omni Odpowiedzo.

interdicendum: propterea leges latas esse, ut omnes ex iure manum consertum, non ferro rem repetant. Cuperem mehercule eam mihi orationis facultatem dari, qua depingere & ob oculos omnium ponere queam turpitudinem tantae licentiae numorum. Sed quaeso à uobis, ut quod inopia orationis praestare non possum, uos ipsi cum mentibus uestris consideretis. Quid per Deum immortalem turpius in hac Repub. dici, cogitari, fingi'ue posit, hoc pecuniae abusu infinito? dum hominem interficere non ueremur fiducia numorum: dum mortem cui libeat cunque & comminatione praedicere, & gladio tandem audemus offerre: dum nihil tam putamus sanctum quod non uiolare, nihil tam munitum quod regina pecunia non fas sit nobis expugnare. Tenuioribus uerò non patere eam licentiam, notum est: proponentibus sibi ob oculos capitalem poenam, ad se haud dubiè inopia rei numariae peruenturam. O' imparem legum rationem, inope constringendo, & locuplete: quarum quidem seueritatem huic ui numorum perrumpere, illi uerò rerum angustia nullo modo liceat euitare. Cur uerò odio tanto tenuiores prosequimur, eorumque uitam? an non & ipsi pars sunt generis humani? an solis diuitibus usurā lucis huius à Deo datam putamus? Quòd si ex aequo Deum utrorumque authorem statuimus, cur non aequè consulimus uitae utrorumque? Satis sit, locupletes aliis rebus praestare paupertati: mors quidem scelere illata seu à paupere seu à diuite, aequis legibus puniatur. Neque enim magis homicida est, qui pauper occidit hominem, atque diues. neque scelera ex iis quae cuique aut concesit aut negauit fortuna, aestimanda sunt: sed ex re ipsa, atque pessimo cuiusque affectu. Miserum herclè est, fortunae arbitrio, causae & fluxae & mutabili, ea permittere, quae ab intellectu & ratione proficisci deberent. Cur igitur lege, in quam & diuites peccant, & pauperes, cauetur de ea poena, quam non ex aequo possint pendere diuites ac pauperes? quae ab inope repeti non posit, nisi morte commutata: locupletes uerò audaciores reddat ad paricidia multa? Neque enim ignoratis, quod omnibus est notissimum, in tanta homicidarum licentia uix unum esse numatum, qui homicidio semel admisso, ad caedes alias non praeceps feratur: cùm interea caedes à paupere facta ita multetur, ut cum uita, facultas ei eripiatur deinceps interficiendi. Nos uerò si non mouerent pericula tanta ad poenam capitalem constituendam: timentes tamen iuuentuti nostrae, imò cuiuis aetati hominum, ne serpat ad eos contagione quadam hoc malum, deberemus sanè quamprimùm ex finibus naturae humanae homicidas omnes exterminare. Constituerunt ueteres Romani (quorum tam latè olim patebat potestas, ut orbem terrarum propè fuerit complexa) admodum exquisitum supplicium, quod superius dixi, in paricidas: ut illi in culeum uiui

quidem,

quidem, cum cane, gallo, simia & uipera coniecti, in profluentem deferrentur. Timebant homines magna prudentia præditi, ne si paricidæ aut feris obijcerentur, aut alijs supplicijs afficerentur, inficerent aut feras contactu suo, aut aerem quo spiramus, aut alia quibus uita indiget nostra elementa. Ideo'que iusserunt paricidam in mare proijci: sed tamen ne inficeret aquam, corio obuolutum & obligatum. Illi igitur cùm & feris timerent, & omnibus elementis, singulare excogitauerunt supplicium: nos non timebimus iuuentuti nostræ, quæ ab hac maleficorum peste nullo negocio infici possit? Nec enim minus malorum consuetudo officit iuuentuti, atque prodest bonorum conuictus: imò uerò in eam ætatem, quæ singulariter procliuis sit ad omnem insolentiam, facilius quæque mala irrepunt, quàm bona. Notus est uersiculus, quem citat diuus Paulus ex poeta Græco,

Corrumpunt bonos mores colloquia praua.

Ac nos quidem id pluries, quàm uellemus, sumus experti. Multi enim exemplis inuitati aliorum, quibus impunè cessit hominem occidisse, aliorum capitibus insidias struere, eos'que interficere non dubitarunt. Putant enim iurè fieri, quod fit aliorum exemplo. Adeò autem id mali contagione sua animos occupauit multorum, ut nihil iam magis tritum sit, nihil magis iactetur, quàm illud, Potius esse occidi aduersarium, quàm iure cum illo experiri. Nam occisum semel, ac pecunia persolutum, nihil negotij alicui facessere: à litibus uerò ferè non desinere litigatorem potentem. Hic igitur est, si dijs placet, fructus pœnæ usitatæ, ut multi iam iure relicto, solam ad uim confugiant. Quæ res quorsum tandem sit euasura, non necesse habeo multa dicere. Illud saltem censeo prouidendum, ne nullus tandem usus sit legum, si quisque pecunia abuti sua in cuiusuis perniciem pergat: ne'ue licentia tanta pariat intolerandam rerum omnium confusionem. Quid enim boni in ea Repub. diu poterit esse, ubi nihil non possunt opes ad crudelitatem: inopia uerò nihil omnino ualeat ad misericordiam? id'que in re communi omnium. nam cui salus sua non æquè grata sit in rerum inopia, atque alij in opibus summis? Cui uicissim mors non sit perinde extremum malorum in summa egestate, ac alij in uitæ splendore, rerum'que abundantia? Quòd si nunc sistant se nobis, qui ferro enecti uitam ante diem deseruerunt, causam'que suam apud nos agere uelint, non hac utantur oratione? « Et uiuis nobis displicuit semper, SIGISMVNDE Rex, uos'que Rempub. qui cum eo gubernatis, lex pecuniaria ista, quæ pecuniosis hominibus causam dederit nos interficiendi: & nunc pœnis inferni perpetuò addictis displicet magis, quippe cuius obtentu plerique interfecti ueniant ad nos, conspectu suo pœnã nobis reddentes acerbiorẽ.

Qua in re acerba sanè nobis est recordatio & negligentiæ uestræ, & temeritatis, reclamantium, & auariciæ eorum quibus bono fuit nos cæsos esse. Nec satis mirari possumus, usquequò tandem indormietis huic causæ? quos ad fines licentiam hanc numorum dissolutam uagari permittetis? Nihil'ne uos timor Dei, qui potestatē puniendi sontes ad uos trāstulerit: nihil misericordia sanguinis nostri, quotidie clamantis de terra: nihil miserię cruciatusq́, in quos interfectores detruserunt nos: nihil amicorum lacrimę, qui cæde nostra in squalore adhuc uersentur: nihil deniq; hominum proborum hac sanguinis impunitate mœrere nō desinentium, suspiria crebra, mouere possunt? Non creditis Deum, qui potestatem suam uobiscum cōmunicatam uoluerit, puniturum hanc uestram cessationem? Etenim ut causam uel dedissemus, ipsi cur interficeremur, uel paricidarum furor sibi inuenisset: uos tamē, qui Remp. hanc gubernatis, potissimum rei estis cædis omnium nostrûm: ut qui non capite sanxeritis humanū caput: cùm quidē & Deus, & ratio, & gentes omnes præiuerint uobis uoce sua, quomodo homicidas puniretis. Quis uestrûm, ó nostri occisores, mortis pœna sibi ꝓposita, ausus fuisset morte indigna aliquē nostrûm trucidare, utcūq; uictor uoti fuisset compos? Equidem si uitæ uos non fuit pertæsum uestræ, nullo modo cōmisissetis, ut priuaretis nos luce hac, cuius adhuc ipsi usuram capitis. Sed cùm numati essetis, spem'q; minimè dubiam haberetis retinendi uitam uestram, fortunam, honores, Rempub. expleuistis sanguine nostro odium uestrum: maluistis'q; pecuniæ iacturam facere, quàm nobiscum iure agere, nos'q; inter uiuos ferre. Vtinam aliquando uel modicè tangant uos, ó Rex, & qui cum eo estis in Senatu, miseriæ & supplicia, in quæ interfectores isti detruserunt nos imparatos, atq; à pœnitentia uitæ peruersæ alienos. Ad quam quidem pœnitentiam redire nobis licuit, dum uitales carpebamus auras: nunc è uita sublatis, reditus est præclusus omnis. Sed quia miseriæ nostræ à uestris mortalium sensibus procul absunt, statuite uobis saltem (quod potestis) ante oculos, miseras mortes, quibus indignisimè sumus affecti. pars in itinere, alij in penetralibus ædium, quidam inter pocula & epulas (ubi conciliationes amicitiarum fiunt) cruore respersimus mensam: nonnulli ad aras summi Dei, quidam in lectis trucidati. A' morte uerò & in eam uiam ingresi sumus, unde redire non liceat: & in eos cruciatus coniecti, qui diabolo & angelis illius parati sunt ab æterno. Neq; uerò præsentes tantùm luimus pœnas: crescunt illæ nobis quotidie, hospitū nouorum accesione. Argumēto uobis sit diues ille epulo Euangelicus, qui pœnarum, apud inferos cōmunione crescentium metu, petebat Abrahamum, curaret ille, ne quis fratrum in ea loca ueniret. Quin igitur miseret uos nostri? Non putatis Deum à uobis

requi-

requiſiturum ſanguinem noſtrum, ob pœnam minimè idoneam, atque ob pecuniæ licentiam effuſum: qui & Abelis iuſti de Caymo contubernali noſtro requirebat, & cuiuſque hominis de manu beſtiarum requiſiturum ſe dixit? Per Deum, qui olim iudex in uos ſedebit, & in nos: per poteſtatem hanc à Deo uobis conceſſam, per cruciatus noſtros obſecramus uos, ut oculos aliquando aperiatis ad uindicandum ſanguinem noſtrum, & ad homicidia reprimenda: ne patiamini (quantum in uobis eſt) orcum nouis hoſpitibus, quorum communione pœnæ nobis creſcant, frequentari: ne afflictis addatis afflictionem. Sin uos nec Dei reſpectus mouet, nec miſeriæ noſtræ: facite ueſtra ipſorum cauſa, ut ne uos, pœnam noxę parem remittendo, obſtringatis ſcelere homicidij: ne'ue olim in eas pœnas contrudamini, quas negligentiæ & torpori ueſtro impendêre nolite dubitare. Hæc quidem occiſorum oratio eſt. Ego redeo ad meam: atq; ut ultima contexam cum primis, omnino rerum naturam mihi diligenter contemplanti, eaq; de talione à prudentibus quæ prodita ſunt ſtudioſe multum'que uolutanti, non alio magis transferri poſſe uidentur quàm ad homicidium puniendum. Nam quod CHRISTVS ueteribus in more fuiſſe teſtatur, ut dentem redimerent dente, oculum oculo: & ipſe deinde ad legem eandem alludens, pronunciat fore, ut qua menſura alijs menſi fuerimus, eâdem alij remetiantur nobis: id quidem cur ad homicidium accommodare dubitamus? cur oculus oculo, dens dente penſatur: non autem capite caput? Niſi fortè dentis oculi'que amiſsio pluris nobis eſt, quàm capitis atq; uitæ. Quòd ſi in foro & ad iudicem nemo alicui dicam ſcribere permittitur, ex qua quidem ad eum qui reus fiat, infamia redundet, niſi primùm nexu ſe obliget ad periculum iudicij præſtandum, atque ad crimen unà cum pœna in ſe transferendum: quid tandem in eo foro putamus fieri oportere, ubi non uerbis, nec legibus, ſed ferro dimicatur, & gladijs: non fortunæ impetuntur, ſed uita & ſalus: non gladiatores illos nexu perpetuo uinctos eſſe ſtatuemus, ſupremo'que ſupplicio addictos? * Audiui de homine quodam ordinis noſtri atque loci, non ita multis ante annis in conuentu Petricouiæ habito, ad Senatum de hac ipſa lege relatum fuiſſe. Ibiq; cum ſententijs uariaretur, & alij homicidas recepta pœna, alij capitali afficiendos cenſerent: factum eſſe, ut pars maior uicerit meliorem, pœna'que uſitata ſit conſeruata. ſiquidem plures erant qui pecunia potius, ut olim, quàm qui capite anquirendum cenſerent. Tum autem rem narratione eorum qui in Senatu erant perlatam fuiſſe ad iuuenem quendam nobiliſsimum in ſumma familia natum, ſumma'que fortuna: eum quidem, qui per ætatem nondum ueniret in Senatum, ſed eſſet tamen ad res maximas natus uel ingenij, uel imperij, uel uirtutis. Eum itaque iuuenem tum

* Hæc magnificus D. Eraſm. à Kretkow Caſtellanus Breſtēſis narrabat dixiſſe Sereniſſimum principē & dominū D. Sigiſmundū Auguſtū Regē Poloniæ, in conuentu Petricouiæ, anno Chriſti 1538 habito: cùm quidem Rex annos ferme 16 natus erat.

extra ordinem ita sententiam dixisse, ut censeret singulorum nominibus & qui pecunia & qui capitis anquirendum putarent, separatim conscriptis, legem promulgandam esse sententijs utrorumque congruentem: hoc est, Vt si quid capiti eorum accidisset, pecunia qui homicidium persolui censerent, pecunia multaretur homicida: sin eorum qui capite caput redimendum uellent, capitis damnaretur qui interfecisset. Egregia uerò, & hoc iuuene digna sententia: quæ declarat, illum non tam prudentia duce, quæ ab illa ætate ob rerum imperitiam est remotior, quàm ingenio & ui illa ingenita acumineq;, ad secreta tum naturæ tum legum penetrasse: uidisseq; nihil hominum uitæ conseruandæ magis appositum esse, quàm si capite caput pensetur: neque facilius fore, ut eorum in quibus huius rei potestas est sita, in unum congruant sententiæ, quàm si semel promulgetur, uniuscuiusq; capiti, uel si per omnes ordines suffragia uiritim ire oporteat (id quod in re tanti momenti, Senatu & Equitibus inter se discordibus, fuerit necesse) uniuscuiusque inquam capiti, pro sententiæ quam dixisset ratione, legem esse ponendam. Profectò aut ego fallor, aut nemo sanus esset, qui caput suū ipsius pecunia æstimari uellet: cessarent'que contentiones, partium magis quàm Reip. studio à multis susceptæ. O Deus, qui hanc Remp. seruas, serua nobis hunc iuuenem in patrias crescentem artes. Da illi mentem cùm ad eas res tractandas, quibus tenere possit clauum imperij in tanto cursu ac fluctibus: tum ad uoluntatem eius legis perferendæ, quæ & à uiris prudentibus Rerump. firmamentum meritò putatur, & ab ipso ante tot annos plus quàm pro ętate talis iudicata est: in qua uigere in primis æquū sit Rhadamanti uetus uerbum, cum ita definit iustum,

ἄικε πάθοι τάκ' ἔρεξε δίκη τ' ἰθεῖα γένοιτο.

Iusta malis hæc admisso pro crimine pœna est,
Si quæ fecerunt, eadem patiantur & ipsi.

Iam quod homines quidam docti, pœnam usitatā defendentes, non æstimationem capitis pecuniā, sed pœnam cæsi hominis constitutam esse contendunt: argutè illi quidem, & ad rem suam perquam appositè, si modò in hoc essent omnia. Verùm cùm toties ostenderimus pœnam sceleri parem, si qua in re alia, certè homicidio puniendo esse debere: deinde æquum esse in ea Repub. capitis damnari homicidas, ubi leuiora multo delicta capite luantur: existimo orationem illam, inter æstimationem & pœnam discrimen constituentem, non tanti hîc esse, ut aliquid momenti facere possit ad sententiam nostram infirmandam. Neq; uerò metuendam nobis puto inconstantiæ reprehensionem legibus mutandis. Quis est enim, qui in rebus uel malis, uel parum consultis, laudandam in aliquo putet in una sententia perpetuam permansionem? Quis ignorat, in Rep. nostra pro rerum temporum'q; uarietate, sæpius leges mutatas?

mutatas? Quis deniq; tam peregrinus est in hac Repub. quin compertum habeat, poenam homicidij aliquoties mutatam esse & exacerbatam? Atheniensium ciuitas prudentissima, cùm uideret legibus Draconis etiam leuia delicta poenis capitalib. puniri, indignũ existimans, hominem quamlibet leui causa uita priuari, abrogare illas non dubitauit: eadem haud dubiè factura, ut poenam alicui delicto debitam, si res poscat, exacueret atq; exacerbaret. Quid multa? Ego sanè si in ea Repub. essem, ubi homines cùm ad bonum procliues ac sponte currẽtes, tum uerò ab omni facinore abhorrentes uiderem: certè ibi aut nullas, aut quàm leuissimas poenas, disciplinæ causa, proponendas putarem. At in ea Repub. quis dubitet quin legibus & poenis seuerioribus opus sit, ubi quotidie uidemus in peius ruere omnia, ceu quadam peccantiũ conspiratione? Facessant igitur à nobis Stoica illa decreta, quamlibet legum perpetuitatem sine discrimine cõprobantia ad homines ociosos. Nobis certè, qui in rebus gerendis, tanquam in acie uersamur, non sit indecorum, uel mala bonis commutare, uel bona reddere meliora, uel poenis seuerioribus castigare ac reprimere maliciam hominum succrescentem. Ac ne illud quidem pertimescendũ est, nos hac poena famam crudelitatis subire oportere. Quæ enim potest esse in peste ex finibus nostris propellenda crudelitas? Quis ouem morbidam de grege suo, quis membrum uitiosum, contagionis prohibendæ causa, resecans de corpore suo, arguitur crudelitatis? cuius quidem uitandæ causa si ab homicida necando abstinendum sit, cur nõ etiam à fure suspendendo? nisi fortè uel huius crimen maius est quàm illius: uel non eiusdem crudelitatis est fune, cuius gladio, uitam abrumpere. Ne igitur peste hac tanquam ciuitatis struma execanda, culpam crudelitatis suscipi putatote. Imò uerò ita uobis uehementer persuasum uelim, magis nos in patriam crudeles esse, cùm uitam hominum parum iusta uindicamus poena: quàm humanos atq; lenes in homicidã, cùm uitam illi donamus: cuius quidem homicidæ gladius cùm semel scelere imbutus foret, penetrauit scelus illud, remissione poenæ, ad animum & medullas ossium: fitq; ut sceleratior sit multo homicida, quàm futurus erat, si actutum è medio fuisset sublatus. Proinde Deus, ut pestem hanc de finibus naturæ humanæ extirparet, nihil metuens famam crudelitatis, uno uerbo edicere non dubitauit, ut qui sanguinem hominis effudisset, eius quoq; sanguis effundatur. Sed me in primis oratio commouet nationis Equestris fortium uirorum, à quibus sic nobis occurritur, quasi seueritate hac in homicidas exigenda, uel in longitudinem parum consulamus, uel exercitationem armorum omnino sublatam uelimus. Quis, inquiunt, uel armorum præsidio instruet se, uel equos nobiliores alere uolet, si domesticæ exercitationes istæ,

Pp poenæ se-

pœnæ seueritate prorsus auferentur? nec enim obscurum esse, omnes ferè pacis amantes, utcunque dites sint, & auro opulenti: inopia tamen illos laborare tum equorum, tum armorum. contrà, homines haud quidem magna cum re, sed tamen inimicitias exercentes, dum ob pœnæ facilitatem iniurias ulcisci conantur, & ab equis egregijs & ab armis esse paratissimos. Videas eos tanquam in excubijs perpetuò uersari: non illos inire epulas, non uino indulgere, non stratis uti mollibus: sed tanquam in bello, ad omnia semper esse intentos. eat quis præter ædes cursu incitatiore, pulset ostium insolentius, edat uocem paulo altiorem, extemplò eos ad omne momentum esse paratos. Stat equus ad pugnam sella instratus, eques ipse semper ocreatus, gladio & armis cinctus. Hæc uerò exercitatio quantum ad bella proficiat, facilè existimari posse, si quis ad belli illius memoriam, quod ad Bucouinã à maioribus nostris cum Valachis gestum est, animum conuerterit. Ante illud enim bellum quiete usi erant diuturna maiores nostri: ac (ut fit rebus secundis & tranquillis) luxui & uoluptatibus sese dediderant: armorumq́ curam adeò abiecerant, ut & galeis ad pullos educendos abuterentur, & reliqua arma in uomeres conflarent. Itaque cum & uacatione militiæ diuturna, & armorũ inter se domesticorũ intermissione, essent inepti ad bellum, adduxerant se & suam existimationem, multo patrum suorum sudore & sanguine collectam, in discrimen magnum. cedere enim coacti sunt ei hosti, qui semper patribus eorum cedere cogebatur. Quis igitur, inquiunt, non potius ferendam putet & hanc pœnam pecuniariam, & has denunciationes hostilitatis longo usu apud nos receptas: quarum obtentu iuuentus se tanquam prolusionibus exerceat ad bella in hostem externum? non enim sinunt nos hæc prælia domestica ocio torpere, non somno & uoluptati operam dare: assuefaciunt iuuentutem nostram ad laborem: docent equis & armis optimè uti, adoriri hostem, & cædere. unde tandem fieri, ut non ueluti ex umbris, sed ex magna exercitij schola in aciem, cùm opus est, progrediantur. Hæc ferè est oratio Equitum. Quibus ne ansam relinquamus, ne'ue intercedendi sententiæ nostræ, ne'ue militaris exercitationis ac usus abijciẽdi, operęprecium fuerit de moribus aliarum nationum, quos uidi ipse, & memoriæ mandaui, narrare. Neq; enim exteri populi, propterea quòd capite puniant caput, putandi sunt, armorum curam, dum pace domi utuntur, abiecisse: imò uerò nulla tempora, quantumuis quieta, sinunt uacua esse ab ea exercitatione quæ animos illorum instruat ad prælia, & ad feriam armorum tractationem. Habent ciuitates singulæ annis singulis certos & statos dies, quibus ex omni uicinia homines in unum confluunt locum: se'que magistratui, quisque pro uirili parte, tanquam ad bellum ituri, cum equis & armis omnis generis

neris recensendos sistunt: ludos instituunt: bellicis instrumentis uarijs, non quidem ad uulnus, sed ad speciem, certamina miscent. Pars dimicant gladijs: alij contento arcu in scopum iaculantur: quidam balistarum bombardarumq; excussibus certant: nonnulli singulari certamine concurrunt hastis. Sunt qui tanquam prælium commissuri, manu utrinque facta, acies instruant, inuicem congrediantur, & ipsas acies pro re & loco uel sistant uel conuertant. Interea seniores exercitum omnem lustrāt: tabulas recensionis quotannis conficiunt: capita conferunt uel de ratione belli, ubi facto opus esset, gerendi, uel de sumptu sustinendo. Nec desunt iunioribus exercitationes aliæ, quorum partim cursu, partim saltu certant, partim exercent membra palæstris, partim hastarum coniectu ac missili telo. Plerique id faciunt sponsionibus factis, nonnulli ad beneuolentiam inter se comparandam. Atque ita & animos recreant, & hac exercitatione animosiores ad seria certamina redduntur. Hunc quidem modum exercitationis quis non meritò laudet? cùm non fiat nec cum uitæ humanæ profusione, nec cum legis diuinæ uiolatione: sed animos iuuentutis præparet, ne, si quando eundum sit in hostem, perhorrescant, uel armorum uel uulnerum uel sanguinis conspectu. Fit enim nescio quo modo, ut homines in umbris educati, primo gladij aspectu, dum stringitur, dum micat, de statu animi subitò deijciantur. Contrà uerò, quis Christianum se professus, exercitationem istam apud nos receptam, & uitæ mortalium inimicam, & diuinis iussis repugnantem, non uelit extinctam? Non est, Equites, non est ut aliquis uestrûm speret, ad pugnam & bellum animum fortem se allaturum ab impia ista exercitatione cum scelere coniuncta. Sequitur enim hominem ipsum scelus suum, conscientia maleficij pungit & mordet: accusat lex Dei uiolata: mors terret: pœnæ inferni impendent: ultio Dei omni ex parte instat. Deo uerò infenso, quî sperare possis uel fortem animum in hostem, uel fœlicem exitum pugnæ tuæ? Velim mihi uarijs casibus iactato, in acie sæpe uersato, credatis, Equites: nihil in periculis adeundis animos meos uel erexisse magis, quàm recordationem rerum cum uirtute à me gestarum: uel retardasse, quàm si quid insolentius & præter officium à me gestum meminissem. obuersabantur ob oculos meos, ea quæ temerè unquam, turbulenter, aut contra officium fecissem, dixissem'ue. Eáque animo meo maiorem multò terrorem incutiebāt, quàm gladij omnes, & plurima mortis imago. Hæc ego expertus uerissimè uobis narro, Equites: quę haud dubiè plurimi uestrûm sunt experti: & qui non estis in acie uersati, olim experiemini. Quis igitur, nisi à CHRISTI religione prorsus remotus, non præferat exercitationem illam, quam dixi, exterarum gentium, huic nostræ, quæ cæde hominum constat & carnificina?

Rom. 3. Grauiter sanè mihi quidem dixisse uidetur diuus Paulus, cùm negat facienda esse mala, ut bona eueniant. Itaque, ut rem facere nemini non licet labore bonisque artibus, non autem furtis aut rapinis: ut liberis operam dare omnibus permittitur, sed matrimonij thoro sancto, non autem stupris aut adulterijs: ita nequaquam animi ad aciem præparandi sunt cædibus domesticis & carnificina, sed honesta potius & legitima exercitatione. Sed spero me iam satis fecisse Equitum quæstioni. Spero etiam, de pœna capitali in homicidas constituenda satis à me dictum. Finem igitur faciam dicendi, si addidero, illud quoque ex Repub. esse, ut pœna constituta, lege etiam caueatur de temporis, quo interfici homicidam liceat, ratione. Cum enim in causæ cuiusque cognitione, tum uerò ubi de capite hominis agitur, cauendum est à cæca properatione. fit enim persæpe, ut penes quem est potestas, ira alia'ue subita animi perturbatione feratur præceps quò non oporteat. Theodosius populi Romani imperator, lege rogatu diui Ambrosij lata edixit, ut post mandata principis per triginta dies supplicia extrahantur. Hi, si cui uidebuntur iusti dies esse supplicio sumendo, in eius sententiam facilè discessero: neque tamen impedio, quo minus uel pauciores sint, uel plures, modò intra eos legitima cognitio sceleris fieri possit: ut ne pœna, ira ab homicida, aut alia peruersa cupiditate, sed iusticia sola expetita esse uideatur. Sed de hac temporis ratione, facilis spero erit consensus: modò concorditer de ea pœna dicamus, ad quam & lex diuina consentit, & Romana, & multarum gentium. Illi igitur sententiæ, à generosissimo iuuene olim extra ordinem dictæ, acclamandum prorsus censeo: homicidiumque cogitatũ, ac sponte ab homine priuato cõmissum, capitali noxæ deinceps habendum. Ad eam rem cùm nos & officij nostri ratio, & populorum desideria diuturna, & homicidia temporis præteriti per numorum abusum commissa, & Reipub. tranquillitas atque salus, & ius atque æquitas cohortentur: deinde cùm periculorum magnitudo, & perditorum hominum in genus mortalium sine modo grassantium licentia summa, cogat planè, & compellat: quid tandem quæso excusationis possimus afferre, quamobrem sanguinarijs istis, sanguinario edicto non uelimus (quoad eius fieri possit) ereptam licentiam hanc interficiendi? An quod res (quod uulgò dici audio) partim Senatu discorde, partim nobilitate dissentiente, facultatem minus habere possit? Ego uerò in re tanti momenti subscribendum censeo sententiæ iuuenis illius, quam prius dixi: ut, nisi res aliter teneri possit, promulgetur, omnium ordinum sententijs uiritim rogatis, uniuscuiusque capiti pro ratione sententiæ quam dixisset legem esse perferendam. Profectò neminem fore credo, qui mortalem cùm se recogitauerit, atque adeò obnoxium neci, expositumque, uelit suum ipsius caput pecunia solui.

In tripartita historia li. 9. cap. 30. & C. tit. de pœnis. l. Si uindicari.

Sed non dubito, quin multis partibus plures sint, qui studio Reip. ea quidem in re, in qua salus hominum uersetur, in sententiam nostram sint ituri: ut deinde, uel sententijs numeratis, lex figatur & sanciatur secundum hanc partem quæ & numero præstet, & pondere. Quid enim seuerius conuenit punire: uitam, an res furtim ablatas? templorum Dei atque regiarum uiolatores, an hominum ad Dei immortalis diuinitatem proximè accedentium interfectores? Quòd si legibus Romanis conatus etiam hominem interficiendi argumentis certis deprehensus, capite plectatur: quam tandem putamus pœnam homicidæ comparandam? Obsecrant id inopes, ut cùm imparati sint à pecunia, æquam secum perferant pœnam, ob scelus simile, homines numati. Optant probi omnes, ne tam uili salutem habeamus humanam, ut eam numis quamlibet multis uelimus uenditam. Denique obsecrat Respub. ipsa, ut quam à maioribus nostris integram pulcherrimamq́ recepimus, atque ad hunc diem consilijs salubribus conseruauimus, eam in hoc flore hæredibus relinquamus nostris, licentia hac ex numorum abusu homicidarum compressa. Quem putamus unum in plures homicidiorum pœnas suffecturum, si capite caput persoluatur? Neminem profectò. Atqui pœna quæ in usu est conseruata, sufficiet certè in tot homicidiorum pœnas quilibet, quot centena marcarum numerare poterit: quotq́ annos singulis homicidijs destinauerit. Quę igitur, malùm, ista stulticia est, non eam persequi pœnam, quæ persoluta semel, omnem in perpetuum auferat potestatem hominis occidendi: præ illa, quæ immaniores homines reddat, atque ad cædes faciat audaciores? Confirmant hanc pœnam cœlestia oracula: confirmant multarum gentium mores ac consuetudines: comprobant ipsi exitus atque exempla omnium ætatum, in homicidas diuinitùs edita, cessante ab officio magistratu. Quæ ipsa quidem talia sunt per se, ut etiam si nihil præterea congrueret: tamen ipsorum inter se consensio summa grauissimum præiudicij pondus, & instar ad pœnam capitalem indicendam habere uideatur. Cùm uerò cum ipsis exemplis consentiant leges multorum populorum, nobisq́ clarissima præeant uoce: an adhuc dubitamus, quid sequamur? Addam illud, nescio quàm rectè: sed tamen quia non rarò accidit, addam: multos occisorum cognatos eiusmodi esse, ut cum indignum statuant ob sanguinis communionem, sanguinem propinquorum suorum precio æstimari, prorsus abhorreant à pœna pecuniaria ab homicidis repetenda. Itaque cessante magistratu à pœna capitali, gladio ipsi ulciscuntur cædem suorum: sæpe'que manu coacta utrinque concurrentes, magnas edunt strages, unius hominis caput ulciscendo. Hi an non hoc ueluti præiudicio significent, quid uelint constitui à magistratu? An igitur pecunijs tantum adhuc li-

centiæ permittemus, ut in homines dominentur? ut sine modo grassentur in eorum uitam? an iudicia hominum iamdiu pœnam flagitio parem expectantium contemnemus? an nostra & populorum salute regenda non mouebimur? an non tangemur magnitudine periculorum? an Reipub. laborantis querelas & obsecrationum procellas diutius feremus? Minimè uerò istuc quidem. Non id esset clementiæ Regis, qui pater patriæ, totius inquam patriæ pater & sit & nominetur: non authoritatis Senatus, ad totius Reip. salutem constitutæ: non ordinis Equestris, qui cum memoria uirtutis auitæ in Repub. polleant, non sanè uel maioribus suis digni uiderentur, uel ad hæredes ueram nobilitatem transmitterent, si ad perdendum pecunia genus mortalium consentirent: non denique populorũ religionem CHRISTI profitentium, quos cum princeps suus sanguine mercatus sit suo, ex æquo quidem omnes, an non indignissimum fuerit, mercem tam magno constantem tantillo æstimari? Quid igitur agimus, Rex inclyte, & uos Senatores clarissimi? quid cunctamur Equites fortissimi, & uos optimi uiri omnium ordinum? non adhuc propulsamus pericula tanta? Homines innocentes occiduntur: abstrahuntur ferro uiri ab uxoribus, parentes à filiorum complexu, filij à charitate parentum: planctu ac mœrore propinquorum non domus, non uiæ, non templa uacua sunt: fœdantur sanguine postes & foci: polluuntur itinera: comminationibus & cædibus inde ortis agri & totæ prouinciæ refertæ sunt: leges conculcantur: uis regnat, & pecunia. Quid igitur agimus? an homicidis locum adhuc relinquemus in Repub. nostra, atque in numero hominum? Videte ne nullus tandem Reipub. sit locus, ubi tantæ illorum licentiæ locus erit. Curate, ut dolorem quo animi hominum iampridem ardent, magis seueritate animaduersionis extinguamus, quàm præpostera lenitate inflammemus: ut commemoratio nominis nostri magis in amore & laude hominum uersetur, quàm in mœrore & fletu. Prouidete, ne tenuiorum hominum lacrimæ & gemitus magis nobis iræ diuinæ seueritatem imprecentur, quàm benignitatis illius clementiam. Verùmenim turpissimum nobis est non cogitare, quid preces supplicum ualeant apud illum iudicem, ad cuius tribunal breui nos sisti oportet. A te ille, ô Rex, & à nobis, qui ad gubernacula Reipub. sedemus, reposcet rationem sanguinis per scelus effusi, omnium populorum ditionis nostræ. Nos sumus qui interficimus homines, qui parum iustè puniamus interfectores: qui tantam pecuniæ licentiã permittamus. Ac ne illud quidem in nobis est, ut respectũ aliquem habeamus uel adolescentis huius nobilissimi, cui sceptra regni commisimus summo ordinum consensu: uel minorum nostroru, quos in locis nostris consiliarios illi relinquemus. Quid enim putatis illos, cùm Rempub. tenebunt,

tiebunt, iudicaturos de pœna ista usitata? Nolite putare, ut imitentur hanc nostram numationem. Quò enim sermones isti, pœnam receptam eleuantes, qui iam uulgo habentur ab illis? quibus certè iuuenis ille studio pœnæ seuerioris prçcurrisse putandus est. Erumpent tandem, credite mihi, quæ nunc latent illorum sententiæ, in actum: consociabunt se cum principe illa uoce: legem in æs incident à nobis neglectam: statuent pœnam scelere dignam: salutem populorum melius tuebuntur. In summa, illas nobis à minoribus nostris tacitè (cùm liberè loqui non audent) conditiones ferri putemus, ut aut illorum sententiam præuertamus, dum rerum potimur, edicto nostro: aut certè ipsi, dum potestatem habebunt, notam summę negligentiæ ac officij deserti in hominũ cæde uindicanda manibus ac cinerib. nostris inurent, pœna capitali surrogata. Nunc potestas nostra est, utrã uelimus ut accipiamus conditionẽ. Ego quidẽ laboribus infinitis & itinerum, & bellorum, & negotiorũ, ut scitis, cum periculis coniunctorũ, fractus: corpore ac uiribus defectus: uidere mihi uideor diem iamiã aduentantẽ, quo mihi sit ex hac uita migrãdum. itaq; gaudeo occasionẽ nunc mihi datã de hac lege loquendi: ut priusquã imperator ille summus Deus de hac uitæ & Reip. statione me discedere iusserit, declaratum apud uos, Remq; istam publicam uoce mea, ac testatum relinquam, quid senserim: qui de tuenda hominum uita sensus meus & status fuerit: quod meum studium, quæ uoluntas. De qua uoluntate mea & Repub. gesta uideo mihi paucis diebus rationem dandã, ante terribile illud tribunal iudicis summi. Vos uideritis, quid, eò cùm eritis citati, possitis pro se quisque respondere. Sed iam fessus sum dicendo. utinam uerò nõ frustra sit hoc à me factum. Sic igitur breui habete: Si fecerimus concorditer, quę dixi de homicidis è medio tollendis: & Deus opt. max. augebit Rempub. nostram, ornabitq;, in qua scilicet tanti fuerit imago illius, quanti meritò fieri debet: & animos populorum nostrorum sic nobis hac re conciliabimus ad beneuolẽtiam, ut quã maximè: & pace domi constituta, paratiores erimus aduersus externum hostem: & hanc Rempub. trademus florentem hæredibus filijsq; nostris: & cùm dies ille supremus unicuilibet nostrûm illucescet, gaudebimus præclaro hoc facinore, atque Repub. rectè & ex Dei sententia administrata.


DIXI.

NOBILI ET GENEROSO PUERO ADALBERTO LASCIO, RITVANII ET CAsyßori Domino, Hieronymi Siradiæ Palatini uiri illustris filio, Andreas Fricius S. D.



VI ueniunt ad nos abs te, ADALBERTE LASCI, prædicare solent magna cum uoluptate nostra, indolē tuam & studia recta, in quibus diligenter uerseris. Quod etsi nobis, qui te & mores tuos olim cognouimus, nouum non est: iucunda tamen nobis est commemoratio tui. quem heros ille HIERONYMVS LASCIVS, uir omni re magnus, hanc uitam deserens, uiuam animi & corporis sui imaginem, nobis reliquit. Cuius quidem uiri, patris tui, cum in hoc libro attigerimus uirtutes quasdam: uoluimus eum mittere ad te, ut illud tibi ob oculos sæpe ponas, insistendum tibi esse uestigijs paternis, si hæres illius & esse uelis, & uerè uideri. Non enim ad ocium natus erat pater tuus: sed ad opera uirtutis ardua, operosa & præclara. Quibus quidem certè tractandis & efficiendis aptus non erat futurus, nisi à primis temporibus ætatis ijs artibus studuisset, quibus ad uirtutem fingeretur. Quamobrem & tibi Adalberte incumbendum est exemplo patris ad studia literarum: quibus hæc ætas tua ad humanitatem informetur, & honestatem. Sed habes domi tuæ formatorem morum & studiorum tuorum, uirum doctum: quem non dubito tibi ea proponere, quæ olim profutura sint ad omnem uitam. Tametsi autem nunquam occasio data erat patri tuo, de lege homicidij dicendi in Senatu: tamen si quando res tulisset, non dubium est, pœnam quam scripsi suasurum fuisse. Audita enim mihi est illa tanquam cygnea uox clarißimi uiri, priusquam ex hoc mundo migrasset. Habes Adalberte in hoc libello nostro quædam, quibus tenerā ætatem tuam imbui non fuerit inutile: quæ poterit magister tuus, ut commodum illi fuerit uisum, tibi proponere & commonstrare. Erit autem gratitudinis tuæ, & libellum hunc in bibliothecam tuam recipere: & authorem eius eo in numero habere, quo decet familiares parentum haberi à filijs bonis, hæredibus non tantum nominis & possessionum, sed & uirtutum paternarum & rectè factorum. Dominus gubernet istam ætatem tuam, ijsq; rebus imbuat, quibus olim & Reipub. usui esse, & in munera patris tui crescere poßis. Vale: Calendis Februarijs, M. D. XLIII.

AD SENATUM, EQUITES, POPULUMQVE POLONVM, ANDREAE FRICII MODREVII Oratio Secunda de pœna homicidij.



OVVM poßit hoc & inauditum uideri uobis, Senatus amplißime, uobisq; reliquis, nobiles ac honestißimi uiri ordinum omnium, me hominem in tenebris educatum, ad uos, qui in Reipub. uersamini clarißima luce, uerba facere uelle. Verùm rationē mei facti puto neminem esse improbaturum, qui secum reputauerit, Rempub. id ab omnibus studiosis iure suo poscere, ut quantum quisque poßit, tantum in salutem eius conferat, ac dignitatem. Cui enim literarū studia in primis seruire debeant,

quàm

quàm Reipub. & religioni Dei immortalis: his præsertim temporibus, hisq́ hominum moribus, cùm res ad perniciem procliues quotidie magis labi uideantur. Quamuis autem nos & in hoc studiorum genere progressus fecimus perexiguos, & in rebus agendis admodum parum uersati sumus: tamē cùm hęc oratio à nobis instituatur de pœna homicidij, re sermonibus omnium peruulgata & percelebrata, spero uos hanc nobis daturos ueniam: qui à rebus magnis, grauibus & operosis abstineamus: eas tractemus quæ expeditæ sint, faciles, & in medio sitæ. Neque uerò illud ignoro, qui in tanto hominum sapientißimorum conuentu de re qualibet orationem habere uelit, eum nihil huc nisi singulari prudentia & eloquentia elaboratum afferre debere: à quibus rebus quantum absim, sum mihi conscius ipse: tamen humanitas uestra eximia, heroicis uiris digna, sperare me facit, uos in bonam partem quæ dixero accepturos: neque tam orationem ipsam, quàm studium de Repub. benemerendi nostrum esse complexuros. Cupimus enim, si quid ingeniolo uel nonnulla diligentia consequi nobis licuit, id in Reipub. ac religionis usum, quantum res ferant, conferre: ne in tanto studiosorum prouentu, mea unius opera desit Republicæ. Composueram anno superiore, non tam pro rei dignitate, quàm pro uirili parte, de pœna homicidij Orationem: eam'que HIERONYMO LASCIO, clarißimo ac fortißimo uiro, tribueram, sententiam in Senatu dicenti. Etsi autem in ea ipsa oratione omnia ferè (ut uideor) quæ in hanc causam conuenire poterant, tractaui argumenta: conatus sum quidem certè: tamen quoniam res ad exitum perducta non est, putaui me non ineptè facturum, si adhuc de eadem re ad uos uerba facerem: atque ea quæ in mentem mihi postea uenerunt, adderem: uos'que hortarer, uelitis quoque ipsi ad iustißimam Lascij sententiam (quam ego paucis antè diebus de illo audiui, quàm ex hac uita migrasset) uestras sententias adiungere. Neque uerò unius Lascij est illa sententia, sed & multorum in hac Repub. principum: multorum denique uirorum uirtute & doctrina præstantium: in primis uerò Regis utriusque inclyti nostri. nam & Sigismundi Augusti iudicium perspicuum uobis esse potest ex illa Lascij oratione: & huius patris Sigismundi primi uoluntas & sententia nemini uestrûm est ignota, cùm quidem & ad conuentus municipales multoties scripta, & in omnium ordinum frequentia persæpe dicta sit, ac publicis literis consignata. Nobis quidem, Principes, illę uoces optatißimę esse uisę sunt, atque ad rem conficiendam maximum pondus afferre: cum quibus & prudentium uirorum consensus omnium ætatum, & populorum omnium scita decretáq́, & oraculorum cœlestium authoritas concordaret. Quo magis dolendum nobis est, uos ad hunc

diem flecti non potuisse tanta tam'que mirifica consensione. Clamabant per dies comitiales annis prǽteritis uoluntatis diuinæ prǽcones è suggestis, de homicidio capite plectendo. Ostendebant, multis uestrûm in sacra æde præsentibus, non aliam pœnam lege diuina sanciri. Commendabant causam hanc precibus publicis Deo immortali, uellet ille flectere corda uestra ad iusticiam. Erant in magna spe Ecclesiæ omnes, non fore uanas preces suas. Verumenimuerò exciderunt prorsus spe illa, ubi pœnam stabiliri uiderunt: qua uita hominum, certo precio æstimata, prostaret etiamnum, & in quæstu haberetur. Indoluerunt honesti & pij uiri fatis suis, cùm uitam suam pecudum instar pecuniæ faciendæ expositam adhuc uiderent. Ingemuerunt muneri officij uestri, quod à uerbo Dei cognoscerent alienum esse. Questæ sunt Ecclesiæ omnes, spes suas & preces ad Deum publicas fuisse uanas. Prorumpebant in lacrymas cordati uiri, qui hoc putarent tempus esse miserum illud & extremum, quo homines ueritatem elucentem opprimentes, præferant sua decreta diuinæ authoritati, populorum omnium placitis, ac hominum prudentum ætatum omnium conspirationi. Quid est enim quod à pœna capitali in homicidas constituenda uos retardet? Si quæratis naturæ legem, illa certè clarissima uoce clamat, nihil in rebus mortalium tanti faciendum esse, atque humanam uitam, quæ ad Dei immortalis imaginem proximè accedere putanda sit: cuius causa res omnes conditæ sint, quas hic cœli complexus cingit ac coercet: ut qui eam uiolaret, cunctam rerum naturam uiolare putandus sit. Quòd si tanti nobis est bouis aut equi iactura, ut furi uitam putemus auferendam: quam tandem ab homicida repeti pœnam par est? an non dignus uideatur homicida, cui uel decem eripiantur uitæ, cùm furi una eripiatur? Maxima est profectò barbaries, pluris æstimari bouem quàm hominem, si æstimatio illa ab hominibus rerum imperitis fiat: Sin à prudentibus & rerum peritis, quo tantum facinus nomine uocabimus, quàm incredibilem quandam peruersitatem? Et sunt qui in cœlum ferre audeant prudentiam maiorum nostrorum, pœna pecuniaria in homicidas constituenda? Ego uerò, si maiores nostri in hæc tempora corruptissima incidissent, non dubitarem eos extremæ stulticiæ (quod etsi dictu sit durum, tamen dicendum est omnino: etenim multa temporis causa olim ferri poterant, quæ nunc hominum malicia sunt periniqua) non dubitarem inquam, maiores nostros, si nunc reuiuiscerent, uel extremæ stulticiæ accusare, si non uiderent iniquitatem huius numationis: uel maliciæ summæ, si uolentes prudentes'que tali pœna defendenda pergerent esse importuni. Mihi quidem magis excusandi uidentur à culpa, quàm prudentiæ alicuius laude ornandi.

Tum

Tum enim constituerunt legem pecuniariam, cùm & secula meliora erant, & homines æqui honestiq; obseruantissimi, ab hominum uerò cæde tanquam à peste aliqua abstinentissimi. Quis uerò laudet in hoc prudentiam illorum, qua nec gentes alias puniendis homicidis æquarunt, nec satis in futurum prospexerunt? Laudabatur Solon in Repub. Atheniensium, qui in paricidas nullam scripsisset pœnam. Cùm enim in illa Repub. paricidium nunquam perpetratum esset, non uolebat ostensor mali potius uideri quàm punitor, si de re inaudita pœnam constituisset. At maiore laude ueteres Romani & populi aliarum nationum digni habentur, qui iam inde ab initio nominis sui & in homicidas pœnam capitalem, & in paricidas multo seueriorem constituere non dubitarunt. Tale enim hominum ingenium esse uiderunt, ut nihil mali esset, quod non aliquando ab improbis committeretur. Quanto igitur magis prudentia maiorum nostrorum laudanda esset, si & aliorum populorum in hoc leges fuissent imitati, & pœnæ seueritate in sempiternum Reipub. suis'que consuluissent? Quorum quidem maiorum nostrorum si tantopere prudentiam laudamus, cur non potius frugalitatem illorum imitamur, continentiam, fortitudinem, iusticiam, & alias uirtutes præclaras? Quàm enim nos illorum dissimiles simus, facilè animaduertemus, si luxum nostrum contulerimus cum illorum frugalitate. Viuebant maiores nostri cibo & potu minimè exquisito. contentæ erant illorum mensæ domi natis: merces exoticas non magni faciebant. Nunc nos auri numerum longè maximum partim in Hungariam, partim in Italiam, partim in Hispanias mittimus. nihil nobis æquè sapit, ac aliunde aduectum. nulla uestis placet, nisi magno empta, & limbis multo pluris constantibus redimita. Interim Reipub. paupertatem deploramus: quam quidem Rempub. nisi tributo miseris colonis anniuersario imperato, defendi posse negamus. Cur uerò non potius conferimus in Reipub. defensionem, ea quæ conuertimus in luxum? Cur tantis locorum interuallis, tanti constantia, aduehi curamus, quę nec meliores, nec ualentiores homines efficiant: sed elatos, præstantiæ opinione turgentes, superbos, morbidos, effœminatos, molles, & ad nihil aptiores quàm ad leuitatem, uanitatem, ac maliciam? Cur igitur, inquam, non imitamur maiores nostros, uirtutibus, quas dixi, exercendis potius, quàm barbarica ista lege defendenda? cui similis nullibi extat: qua ius uioletur & naturæ & diuinum: qua consensus & iudicia omnium gentium constuprentur? De quibus quidem iudicijs populorum si qui sint qui non credant Lascio copiose narranti, quærant de ijs qui magnam orbis partem peruagati, uiuunt adhuc nobiscum. Audiui ego & priuatim & in Senatu summos & illustrissimos uiros

narran-

narrantes, non tantum pœnam capitalem ab alijs populis in homicidas esse constitutam: sed etiam in probris maximè apud eos esse nostram numationem. Nihil'que illis monstri similius uideri, quàm nos hac pœna à iudicijs cunctarum nationum discrepare. Proferrem uobis nominatim, qui hæc diuinitùs narrare consueuerunt: nisi scirem, uos frequenter eiusmodi uoces de ijs audire, qui & domi & militiæ clarissimi semper fuere. Quòd si qui sint qui dicant, uel in Italia, uel in Silesia, uel alibi quosdam homicidas sibi uisos esse qui adhuc uiuant, necdum supremo affecti sint supplicio: cum his quidem ego non contendero. Neque enim disputo, an lex capite plectens homicidas, ad unguem obseruetur ab ijs à quibus accepta est, nec'ne: fieri'que potest ut uel negligentia magistratus, uel alia causa non puniatur, pro eo ac deberet, homicida. Veruntamen illud affirmare ausim, & apud Silesios, & apud Italos, & ferè per totum orbem pœnam capitalem in homicidas esse constitutam. Sed in re minimè dubia non uolo esse longior. ad legem diuinam nostra festinet oratio, de qua quidem lege multa affert testimonia Lascius noster: quæ tanti sunt, ut à nemine mortalium sine scelere nefario rejci possint. Sed quædam illorum repetenda sunt. Acerbè expostulat cum Caymo Deus de Abele occiso: QVID FECISTI? inquit. VOX SANGVINIS FRATRIS TVI CLAMAT AD ME. Mira nobis in historia sacra imago proponitur, & iracundiæ humanæ implacabilis, quæ nisi cæde commissa reprimi non possit: & solicitudinis Dei immortalis, de homine ad suam similitudinem facto. Concepit Caym in Abelem odium acerrimum, quòd uideret illius munera Deo esse grata, sua prorsus ingrata. Egregiam uerò odij causam. Quæ res & ad fratris amorem debebat illum stimulare, & ad misericordiam Dei suppliciter implorandam: ea excitauit odium in homine scelerato. Quod cum ille diu in se continere non posset, occasionem cædis quærere cœpit. Inuitauit Abelem beneuolentiæ prætextu ad deambulandum, atque ibi uirus suum euomuit, ac sanguine fraterno saturare odium suum non dubitauit. Quid interea Deus? Omnino uisus est dormiuisse, nec ad tantum facinus oculos aperuisse. sed expergefactus est tandem cæde innocentis: & de quo uiuo nihil curare uisus est, de eo mortuo expostulat cum Caymo: QVID FECISTI O' CAYM? VBI EST FRATER TVVS? Negat Caym scire se quicquam de fratre: ac mendacio etiam scelus augere non formidat. Sed nihil potest esse occultū Deo, & uidenti omnia, & audienti. itaqꝫ Caymum falsi pariter ac parricidij arguit: VOX, inquiens, SANGVINIS FRATRIS TVI CLAMAT AD ME DE TERRA. O' uocem mirificam, quæ à terris ad sedes Dei immortalis conscenderit, simul'qꝫ ipsum Deum

Ge. c. iiij.

excitaue-

excitauerit ad ulciscendum. Quis autem crederet, Deo immortali tantæ curę fuisse istum homuncionem: qui ad nihil ualere uideri poterat, quàm ad oues pascendas? Quod quidem hominũ genus contemnendum putatur apud mortales omnes: et tamen tanti illud facit opifex suus, ut & uiolatoribus incutiat terrores, expostuletq́ue cum eis non secus quàm de illata sibi iniuria: & ut in posterum cautior sit uita humana, capite sanxerit, si quis eam uiolasset. Sic enim postea edixit: QVI HOMINIS SANGVINEM EFFVDERIT, EIVS QVOQVE SANGVIS EFFVNDATVR. Quid iustius dici potuit, uiri amplissimi? quæ pœna aptior excogitari, quàm hæc talionis, ut interfector interficiatur? non enim uita hominis ullo redimi precio potest. Nullę res sunt totius orbis, q̃ nõ dico superare, sed uel æquare uitã hominis unius possint. Opponite mihi iam prudentiã maiorũ nostrorũ: opponite, si placet, uel Lechũ ipsum, nominis nostri authorẽ: an huius sententia pecuniaria pluris erit, sentẽtia Dei immortalis? Si maiores iactatis nostros, si prudentiã illorum in cœlũ fertis, si antiquitatẽ miramini: nemo nec maior est, nec prudentior, Deo nostro: nulla sententia antiquior est illa, quæ rerũ principio dicta est: nulla sanctior, quàm quę cõsensu populorũ & gentiũ omniũ est cõprobata. Nulla gens erat apud ueteres illos, nulla ciuitas, quæ non deorũ oraculis moueretur: itaq; nihil unquã nisi uel auspicatò, uel responsis deorũ habitis gesserunt. At quod auspiciũ certius esse potest, qđ oraculũ uerius, quàm quod à summo illo Deo proditũ est, qui res omnes & cõdiderit & conseruet: quo nemò sciat melius, quibus legibus pœnisq; Resp. in primis contineri possint? Vidit Deus ille, uidit, ne dubitate, & carceres istos annuos, & marcas numorum tum sexagenas, tum centenas, tum ducentenas: sed tamen nulla ei iustior pœna uisa est capitali. Numatio uerò quàm turpis ei uisa fuerit, ipsemet ostendit Deus, cùm ita in Numeris edixit: NON ACCIPIETIS PRECIVM AB EO QVI REVS EST SANGVINIS, SED STATIM ET IPSE MORIATVR. Videte quæso, uiri amplissimi, an non his uerbis simul & Polonica numatio reprehendatur, & pœna capitalis constituatur? Quid igitur desideramus amplius? Quæ alia fingi potest, excogitari'ue pœna, quæ tam immane scelus arcere magis possit, quàm si dandam sibi ceruicem senserit homicida? terret enim mors, nescio quo pacto, uel ipsa sui cogitatione, animos hominum: frangit, ac debilitat. Argumento sint illi qui in acie uersantur, atque inter gladios micantes: ad quos etiam si nihil periculi aliquando perueniat, tamen conspectu gladiĳ, sono bombardarum, ita perterrentur, uix ut ad sese queant redire. Contrà, qui uitæ securi sunt, quamuis pecuniaria pœna, ipsi quoque carceres, illis denuncientur: tamen quàm in cædes o-

Genes. c. viiij

Numer. c. xxxv.

mnis generis ruant præcipites, totus hic Sarmaticus orbis testatur. Non præter causam igitur & numatio nostra reprehenditur uoce cœlesti, & pœna capitalis cõstituitur: cùm quidem aut nulla omnino, aut hæc sit omnium una, quæ importunam furiosorum audaciam maximè reprimere possit. Quòd si etiam in nostra numatione aliquid esset præclari, melius'que ea uitæ hominum esset consultum quàm ulla pœna alia: an uerò nos non pœniteret Dei immortalis authoritatem non sequi? à iudicijs populorum omnium dissentire? cum uoce naturæ pugnare? cum quibus certè honestius fuerit etiã errare, quàm cum maioribus nostris uera sentire. Nunc uerò cùm hęc ipsa numatio progressa sit in summam licentiam, cùm præbuerit causam infinitis homicidijs: cùm homines numati, fiducia numorũ putent sibi tot homines interficere licere, quot centena marcarũ numerare possint: quid causę est, quin adhuc nigro lapillo notamus hanc numationem? cur sequi cunctamur & diuinam & omniũ populorum sententiam? cùm quidem illa præter rationem qua nititur, uincat etiam infinitè maiores nostros authoritate? Age nunc, referte animum ad rationem legum ferendarum: an non iusticia est fundamentum legum pœnarumq́ omnium? Iusticiam autem uoco, non tam hominum opinione, quàm rerum natura constantem: quæ quidem talis est, ut unicuique reddi iubeat suum: omnia'que ad æqualitatem redigi, seu pœnis præmijs ue distribuendis, seu rebus contrahendis. Talem æqualitatem nulla est natio hominum quæ non amet: quemadmodum comitatem, beneficentiam, animum benemerendi studiosum, nemo non exosculatur. Etsi autem persæpe talis æqualitas inuentu difficilis est: tamen quantulacunque eius cognitio mortalibus à Deo donatur, tota mente totóque animo eam accipi par est. Igitur inquiramus, primùm in nostram numationem, an ei subsit iusticia illa æqualitatem rerum desiderans? Minimè id quidem. Quis est enim, qui ausit res totius orbis, cum uita hominis unius æquare? Quid igitur numatio ista, an digna est legis nomine? Ego quidem non arbitror: nisi putamus legem omnem ad tyrannicam illam regulam exigendam,

Sic uolo, sic iubeo, sit pro ratione uoluntas.

Sed procul hoc sit ab ea norma, rationeq́, quæ diuinitus humano generi monstrata sit rectis prauisq́ sanciendis. Inquiramus deinde in legem diuinam, quæ homicidium numerat in fraude capitali: an ea iusta est, an iniusta? Iniustam porrò nefas fuerit dixisse: nihil enim ab opifice illo orbis, qui ut potentissimus, ita iustissimus est, iniustum dici fieriq́ potest. Quòd si eam legem iustam esse, ut certè est, putamus: cur non eam ambabus manibus amplectimur?

mur? cur non in nostram Rempublicam recipimus? cur secundum eam cędes hominum non ulciscimur? Neque enim est uerum quod dicunt quidam, legem illam Reipub. tantùm Iudæorum esse latam, nō alijs populis: eam enim inter eas leges, quæ Iudęis scriptæ erant, numerari. Non est ita. Res enim ipsa & ordo sacræ historiæ testatur, antequam Iudaica natio ab alijs populis segregaretur, esse latam: hominibus quidē octo tantùm superstitibus à diluuio orbis? qui cùm arca relicta, terram inhabitare cœpissent, ne quis uiolare auderet alium, ea lege Deum uitas illorum communiuisse. Nondum natio Iudaica, ut dixi, segregata erat: quæ trecentis nonaginta duobus fermè pòst annis, ab Abrahamo nonagesimum nonum ætatis agente annum (tum enim primùm circuncisus est) suum duxit exordiū. Quid quod Christus ipse, Rep. Iudæorū iamiam præcipitante, alijs quidem uerbis, sed sensu eodem, repetit legem illam, cùm dicit, Omnes qui gladium acceperint, gladio perituros? Res pietatis plena esse uulgò putatur, gladiò aduersus uim iniustam tueri innocentem. Sed cùm lege æterna nemini permissus esset gladij usus præter magistratum, increpat Christus Petrum, hominem priuatum: iubet eum, ut gladium recondat. addit rationem ex legē diuina sumptam, Omnes gladio perituros, qui gladium usurpare ausint. Hæc legis uerba, paucis antè horis à Christo dicta sunt, quàm mortem illam salutiferam oppetijsset: ita ut pondus & authoritatem testamenti habere putanda sint: nec tam ad Rempublicam Iudæorum pertinere, cuius occasum iam appropinquare Christus prædixerat, quàm ad eas gentes quæ tanquam noui surculi à morte Christi in eum truncum insitæ sunt, unde ob ingratitudinem Iudæi sunt excisi. Cum igitur & ante ortum Iudaicæ gentis, & in eius occasu lex illa uoce diuina testata sit & confirmata, perspicuum est, non solis Iudæis esse latam, sed mortalium generi uniuerso. Ac mihi quidem historiam sacram, quæ omnium antiquissima est, reuoluenti, non aliunde Respublicæ uidentur initium sumpsisse suum, nec in alio fundamento collocatæ, quàm in lege illa, qua cædes hominum tam seuerè uindicantur. Magni olim fiebat patria potestas, eaq; sufficiebat hominibus in officio continendis: dum quisque filiorum, pro eo ac debuit, audiens erat dicto paterno. Verumetiam cum malitia hominum crescente, disciplina illa minueretur, necesse erat alia potestate, quæ non tam beneuolentia, quàm ui, homines ad suum munus pensum'que reuocaret. Porrò ea potestate Nemroth primus mihi usus esse uidetur, sedem'que regni & imperij sui Babyloniæ collocasse. Hunc igitur ipsum Nemrothum, qui seruatoris illius generis humani Noe pronepos erat, in lege illa diuina in homicidas & consæuisse

Rempublicam suam contendo, & alias postea Respublicas in eadem esse ædificatas. Quid enim ostendi possit contrarium? Etenim Nemroth, cùm Salæ alteri pronepotum Noe propè æqualis esset, uidit proculdubio (quemadmodum & Sale, trigesimoseptimo ferè à diluuio anno natus, uidit) ipsum Noam proauum suum: qui trecentum quinquaginta à diluuio, atque adeò à tempore latæ illius legis uixerit annos. Ita ut uerisimile sit, ipsum Nemrothum & legem illam de proauo didicisse suo, & Rempublicam nouam in illa fundasse. Nam si in alia quàm illa à proauo accepta fundasset, fuisset haud dubiè illius tanquam monstri cuiusdam à Mose mentio facta, cùm quidem Moses regni eius minimè obscuram mentionem fecisset: atque in summis Nemrothi laudibus id posuisset, quòd illi ex uirtute uenatori coram Domino robusto, factum cognomen fuisset: id'que cognomen adeò sermonibus omnium tum celebratum fuisse, ut postea summi uiri ac in negocijs Dei immortalis præclarè se gerentes, Nemrotho compararentur, ac prouerbio quasi, Nemroth robusti coram Domino uenatores, uocarentur. Eam igitur legem & in Republica Nemrothi primùm sedem fixisse suam constat: & deinde uelut per manus posteritati traditam, pro fundamento Rerumpublicarum seculorum omnium positam fuisse: eam ad hunc diem in omnibus regionibus Asiaticis, Africanis & Europæis summo populorum consensu uigere, haberi'que sacrosanctam. Magna locorum diuersitas cernitur ex fructuum, qui in illis proueniunt, diuersitate: nec minor ingeniorum, pro regionum uarietate: quo fit, ut quod moribus receptum sit apud hos, apud alios idem repudietur. Nec solum diuersitas regionum facit hanc uarietatem: imò uerò ciuitatis eiusdem, atque adeò domus unius, quantum differant hominum ingenia inter se, & facierum & operum humanorum dissimilitudo testatur. In hac igitur tanta & rerum dissimilitudine, & ingeniorum, tanta locorum distantia, tantis regionum interuallis, quam rem putamus effecisse, ut magno gentium consensu lex illa capite plectens homicidas acciperetur, conseruaretur, sacrosancta haberetur? Summam æquitatem in ea re oportet esse, in qua tot gentes, tot'que ingenia consenserunt: quam summa uoluntate acceperunt: quam fortissimi propugnaculi loco habendam duxerunt. Non igitur ui, nec clam, nec hominũ persuasione in Respublicas eam legem irrupisse intelligendum: sed sua ipsius æquitate, cum rerum natura, cum ratione, cum'que diuina sapientia quasi in possessiones suas uenisse, orbem'que terrarum omnem occupasse. Vtinam uerò & apud nos sedes collocasset suas. Sed nos miseros, qui soli, cum nescio quibus Danis, pellimus eam Rebuspublicis nostris; cùm tamen planum

planum iam fecerimus, non solis Iudæis, sed uniuersæ hominum naturæ ab opifice suo datam esse, ac institutam. Quòd si solis Iudæis posita fuisset: tamen quoniam summa omnium populorum conspiratione approbata & accepta est, quid causæ est cur à nobis repudietur? cur non simili honore decoretur? cur non eodem in gradu dignitatis collocetur? Quid causæ inquam est, cur sole clarissimo relicto, tenebras maiorum nostrorum sectemur? cur de cisternis hauriamus, purissimi fontis relicta limpidissima aqua? Neque enim audiendos puto, qui ita legem Dei immortalis ab hac Republica arcent, ut simul de iudicijs corruptis & contaminatis conquerantur. Ecquid, inquiunt, pœna opus est in homicidas seueriore? restauretur sanctitas iudiciorum: legantur iudices incorrupti, Dei timentes: qui non ex amore, non ex timore, sed ex ueritate causas expendant: qui ex suis subsellijs nec ui, nec gratia, nec precio ueritatem repelli patiantur: qui diligenter operam nauent iudicijs exercendis, causas extrahi non patiantur aliquorum calumnijs, suum cuique tenendum adiudicent. Hæc enim ubi facta erunt, & constituta, tum fore, ut gladij quoque & cædes conquiescant. Cùm quidem non alij uulgò interficiantur, quàm qui uel corruptis iudicijs, uel in longum ductis, res alienas occupare contra iusticiam audent. Ego uerò etsi hanc querelam nimium ueram esse multorum sermonibus cognoui: ipse quoque ob iracundiam quorundam, promissi inconstantiam, fidem ac iusiurandum mihi neglectum expertus sum: tamen non tanti eam esse, ut lex diuina ex Republica explodenda sit, etiam atque etiam considerandum est. Audiui ego multos præstantes uiros, cùm de iudiciorum iniquitate ita uulgò quererentur, ut hoc malum numerare inter fatales calamitates non dubitarent: compararent'que hunc statum Reipublicæ nostræ cum rebus Hungaricis, ante funestum illud, quo Ludouicus rex óccidit, bellum. Nobis quidem, qui Reipublicæ nullam gerimus partem, non aliud quàm bene ominari licet, patriæq; salutem Deo immortali precibus commendare. Veruntamen mirari satis non possumus, quid agatis uos qui Rempublicam tractatis. etenim uersari uos in medijs querelis illis, dubium non est. Quæ igitur causa est, cur tantis morbis medicinam facere non uelitis? Posse quidem uos, nemo negauerit: nisi fortè ignarus, quæ iudicis partes sint apud nos, quæ Præfectûm prouinciarum: quæ Senatorum: sine quibus ne regem quidem apud nos posse quicquam, non consuetudine tantùm, sed legibus etiam est præscriptum. Quod si uos indormitis his malis, penes quos est potestas, quæ tandem spes est Reipublicæ diu duraturæ? Sed, ut dixi, magis libet nobis

Qq 3 priuatis

priuatis bona precari, quàm malè ominari. Et certè spes quædam illuxisse uisa est proximis conuentibus iustitiæ seuerioris, cùm consultationes de iudicijs diligentius constituendis haberentur. Quę tamen iudicia cùm rectißimè erunt constituta, ne tum quidem causa erit quo minus capite puniantur homicidæ. Quæ enim, malum, stultitia est, legem bonam pelli à nobis ob id, quòd iudicia recta essent omniũ rerũ? nisi fortè putas fore, ut tum quoq; homicidia cõquiescant. Quod tamen optare magis licet, quàm sperare. Non enim tantùm ob fundos & ob iniusticiã cædes fiunt: sed sæpe malicia hominum, nulla caussa alia committuntur. Possem nominatim quosdam proferre, qui his annis crudelißimè ab ijs necati sunt, cum quibus nihil omnino negotij unquã habuerunt: nisi uererer, ne oratio nostra in hęc tempora incurrens, aliquos offenderet. Proferã tamen exemplum unũ, ab ętate nostra remotißimũ. Caym occidit Abelẽ: quamobrem? non erat certamẽ inter eos de agris, nõ de possesionibus. Quæ igitur causa cædis? Quia Abelis munera Deo grata erant, Caymi ingrata: hinc ira, inuidia, postremò cædes. Nota est etiã occisio illa puellę imbellis, in nescio quo cœmeterio per dies quosdam celebres, ab homine scelerato crudelißimè facta. Tales cędes cùm sæpe ab hominib. nostris nulla causa, sed su mma tũ licentia tũ impunitate cõmittantur, ne quæso diuinã legem in homicidas ab hac Repub. arcere uelitis: etiamsi iudicia quàm optimè exerceantur. Sed mihi in hac causa cogitationẽ omnẽ defigenti, sententiasq; uestras, uiri amplißimi, quas proximis in cõuentibus de pœna homicidij dixistis, animo repetẽti, dolendũ sanè uisum est, neminem uestrûm tanto in numero fuisse, qui de supplicio homicidis à Deo irrogato seriò dixisset. Eum enim ego seriò dixisse putarem, qui pœna illa exposita, eam suffragio suo cõprobaret: eam in hac Repub. deinceps ualere uellet: alias uerò, præter eam, inutiles Reipub. censeret. Erant quidem nonnulli uestrûm, qui pœnæ illius præclaram fecerunt mentionem: sed tandem ad extremum pecuniariam ualere iusserunt. Etsi autem non ignoro, uobis rationem huiusmodi sententiæ uestræ constare. (scio enim plerosque uestrûm uidisse, paucorum sententias quamuis optimas, non tanti futuras fuisse, ut contra longum illud subsellium præualerent:) tamen quoniam ingressus sum hunc dicendi campum, quæso à uobis, patiamini me de hac sententiæ dictione uestra paucis disputare. In qua tandem Republica hæc à uobis est sententia dicta: qua utraque pœna exposita, prætuleritis Polonicam diuinæ? an uerò ignoramus nos Dei populum esse? pluris sententiam diuinam à nobis fieri oportere omnibus maiorum nostrorum placitis? Quorsum enim illud in ecclesijs decantatum

uerbum:

uerbum: Verbum Domini manere debere in æternum? Si hoc fie- « ret ab hominibus à religione ueri Dei alienis, ut sua decreta præferrent diuinis, an non improbandum uideretur? Sunt enim animi hominũ cognitione Dei immortalis natura imbuti: nec quicquam mortalium animis magis infixum esse uidetur, quàm, quoties in contentionem Dei sententia cum humana ueniat, utra alteri sit præferenda, humanam diuinæ cedere oportere. Cùm igitur nos non tantùm natura imbuti simus cognitione Dei immortalis, sed etiam uoce cœlesti docti: an id non fit cum magna Dei contumelia, cùm sententiam humanam illius decretis præferimus? Mihi uerò honestius illi loquuti uidentur, qui pœnæ diuinæ ignari, id uolebant sanctum esse, quod à maioribus traditum acceperunt. Vos uerò, qui de diuina uoluntate edocti estis, an non rei uobis uidemini læsæ maiestatis diuinæ? Seruus sciens uoluntatem Domini, & non « faciens, uapulabit plagis multis, dicit CHRISTVS. Vos igitur sci- « entes uoluntatem Dei, uestrorum tamen maiorum prudentiam illi præferentes, an putatis uos à crimine læsæ maiestatis diuinæ abesse? pœnamq́ue tanti peccati uobis non imminere? Quòd si uiolatur maiestas regia, quoties contradicitur legitimis illius decretis: an non uiolatur maiestas illa, per quam & reges regnant, & uos in hoc Reipub. gradu estis collocati, cùm decreta illius longo interuallo postponantur nostris ipsorum decretis? Pudeat hominem, suam uelle præferri sententiã diuinæ. Pudeat magis magisq́ue Christianum, non uelle se suaq́ue omnia ad Dei nutus accommodare. Quòd si uobis, hac Dei lege uiolanda adhuc libet esse imperiosis: si plus apud uos ualet hæc libido imperandi, quàm ratio, quàm gentium exterarum existimatio, quàm populorũ uestrorum uerecundia, quàm regis utriusq́ue uestri uoluntas, quàm metus Dei immortalis: quid tandem restat, quàm ut sedem uestram erigatis contra omnem naturã rerum, contra homines omnes deosq́ue, pares'que uos faciatis ipsi Deo altissimo? Quid enim facitis aliud, quàm pares uos aut superiores Deo, cùm ita dicitis: QVAMVIS Deus constituit pœnam capitalem, tamen nos iure nostro constituimus pœnam pecuniariam? Huiusmodi uerò insolentissimam dominationem uestram, qua dignitas maiestas'que rei Christianæ & totius naturæ uiolatur, quis est qui æquo animo ferendam putet? Ego quidem non uolo author esse seditionis: sed quod in ore est multorum, quæso patienter me de eo audite disputantem. Profectò putant plerique omnes non imperiti rerum, hanc dominationem uestram cum impietate coniunctam, periniquã esse, & non ferendam. Quemadmodum enim imperijs hinc herilibus, illinc magistratus, quamuis legitimis, pugnantibus inter se ac contrarijs: impius sit

seruus, qui hero magis obtemperet quàm magistratui (cui quidem magistratui utrunque illorũ subesse certum est:) ita omnes legis diuinæ periti, nomine Christianorũ indigni uidentur, cùm ferunt hanc impiã numationẽ: cùm quidẽ illa nominatim uerbo Dei et reprehensa sit, & alia pœna constituta. Valere enim debet illa uox in ecclesijs Dei, Magis Deo obediendum esse quàm hominibus. non enim Dei, sed malignantium Ecclesia putanda est, in qua uoci illi locus non sit. Quòd si ad hunc diem populi omnes hãc numationis impietatem tulerunt, temporibus id est tribuendum: nunc considerandũ est, an eam diutius recta conscientia ferre possint. acerrima enim illa odia istius numationis quotidie ingrauescunt, partim concionibus publicis quæ fiunt in templis, partim regijs in Senatu sententijs, uoluntatéque monumentis literarum mandata: partim colloquijs uestris priuatis illis quidem, sed quæ ad aures multorum solent permanare. Vestræ igitur uirtutis est, cum Deo, cum'que natura rerum diutius non pugnare. Etenim illud est minimè dubitandum, Deum punire mirabiliter neglectum uerbi sui: neque solùm mentis cæcitate & defectione populorum, sed & peccatis alijs grauissimis, in quæ nos sinit ope destitutos sua labi. Grauissimam profectò offensionem esse oportet, quam ita horribiliter ulciscatur: nec desunt exempla ætatum omnium. Sed quoniam in præsentia de homicidij lege loquimur, uidete quæ & quanta contemptionem huius legis consequantur uitia. Primùm despectus tenuium summus, dum homines generis claritate insignes, putant uitam suam pluris fieri oportere quàm plebeiorum. Hinc uerò incredibilis nobilium in plebem insolentia: dum hi mortis metu multa ferre coguntur indigna, illi uerò non alio quàm canum numero hos reputare audent. Hoc peccatum quantum sit, quam'que offendat maiestatem diuinam, nemo uerbis consequi queat. Nam nec legi diuinæ locum in hac Republica relinquit ullum, qua quidem lege iubemur proximos non secus diligere quàm nosmetipsos: nec precationi Dominicæ, qua instituit CHRISTVS, ut Deum appellaremus patrem omnium nostrûm. Quære enim de nostra nobilitate, quis suus sit proximus? an eos diligere possint atque seipsos, quos nomine hominum uix dignentur? & ut nomine dignentur, re tamen ipsa superbissimè contemnant? Deinde, an patrem cum ijs habeant communem, quos pro fratribus non agnoscant? Quòd si eos agnoscunt pro fratribus, si æquè putant diligendos atque seipsos, qua fronte pluris uitã suam æstiment? quam quidem eorũ uitam non alio loco Deus habeat quàm plebeiorũ, nec alia pœna horũ cędem quàm illorum puniri uelit. Vnico enim uerbo in lege usus est, quo omniũ ordinum homi-

homines cõprehendit, dum ita edixit, Vt qui hominis sanguinem effudisset, eius quoq; sanguis effundatur. Quid quod preces quoque publicæ pro rege & magistratibus debitæ, eius legis contemptione ab ecclesijs CHRISTI excludi uidentur? Quo enim animo orandum est pro ijs, qui operam non præstant debitam, ut lex diuina in Ecclesiam ac Rempublicam Christianam recipiatur? Etenim Paulus ille apostolus, ideò præcepit ut pro rege oremus, & illius præfectis, quòd curæ illis sit, ut uitam cum pietate & grauitate agere possimus. Egregiam uerò hanc pietatis curam illorum, cùm per illos non liceat nobis legem Dei amplecti: cùm uitam nostram, quasi pecudum, lege lata, uelint uendi: cùm magis uindicandum putent peccatum, eripiendo boue, quàm homine occidendo, admissum. Quid multa? Deus edixit, ut sanguis sanguine uindicetur: an igitur bellum adhuc geremus cum illo, eius legem abrogando? Vetus est fabula, Gigantes olim terra prognatos, bellum Ioui intulisse: sed Iouem iratum, fulminibus iactis funditùs eos deleuisse. Profectò & nobis, qui tanquam Gigantes bellum tot annos gerimus cum Deo immortali, decretis illius contraueniendo, uerendum est, ne quando Deus supremis tandem supplicijs afficiat nos: Rem'que publicam istam à nobis transferat ad alienigenas. Quòd si ad hunc diem lentus esse nobis uisus est, nec seuerius nos castigasse: tamen metuendum est, ne tarditatem pœnæ, seueritate compenset: semel'que in nos effundat iram suam: præsertim cùm nos simus, qui in hæc tempora inciderimus, cùm iniquitatem numationis nostræ nemo non cognoscat. Clamant in eam concionatores uerbi Dei omnes, clamant honesti & probi uiri, clamant adolescentes ipsi: non enim obscurum est quid dixerit iuuenis ille Lascianus, annos natus sedecim. Reprehenditis eam uos quoque ipsi in colloquijs uestris. Quid igitur est, cur quæ priuatim improbamus, palàm abrogata non uelimus? an adhuc optamus locupletiores authoritates atque testes? an expectamus, dum uel bestiæ ac lapides ipsi loquantur de pœna capitali: uel Deus ipse in Senatum ueniens, nobiscum hac de re loquatur? Atqui loquitur satis per scripturas, per ora omnium ferè populorum, per'que rerum naturam ipsam. Quid igitur? nihil hęc omnia putabimus? populorum omnium legem irridebimus? contemnemus naturæ clarissimam uocem? uana & futilia putabimus quæ in ore uersantur concionatorũ, omniumq; nõ stultorum hominũ? negabimus recta esse, quæ & SIGISMVNDVS primus, & huius filius SIGISMVNDVS AVGVSTVS, reges, de hac re existimãt? Cõculcabimus, quę à Deo immortali significata sunt, & monumentis literarũ-

man-

mandata? non pertimescemus hominum secreta iudicia, quorum quidem hominum longè pars est maxima, qui gemitu & mœrore declarant, quantum odium habeant turpissimæ istius numationis, quam sola necessitate, non ullo rationis iudicio ferre cogantur? Magno in dolore erant honesti & prudentes uiri, cùm spes suæ pœnæ in homicidas diuinæ, conuenientibus superioribus eos frustratæ essent. Putabant Rempub. uobis parum cordi esse, qui uitas hominum non uelletis ab iniusta cęde, quantum fieri posset, magis munitas atque septas. Suspicabantur, nonnullos uestrûm commodum quoddam spectare: quod prorsus interiret, si pœna capitalis indiceretur: nonnullos uerò, qui cædem alicui molirentur, cauere sibi lege pecuniaria, ne ipsi quoque interficiantur: quosdam etiam omnibus consilijs deuios, prorsus odio æquitatis, odio dignitatis, odio Reipub. impelli ad resistendum sententiæ Dei immortalis. Hunc dolorem bonorum uirorum, has suspiciones illorum de uobis, propulsare non potestis, nisi legem diuinam omnium populorum authoritate approbatam, in hanc Rempub. accipiatis. Sed finis sit: pluribus enim egimus de tota hac causa, deque diuersitate & homicidiorum & pœnarum, in Lascio nostro. Ad extremum, per illam uos baptismatis ablutionem sacram, qua CHRISTO initiati estis: per uerbi Dei ueritatem, quæ in CHRISTI Ecclesia iure suo regnare debet: per Regum uestrorum authoritatem, quæ certè uobis debet esse sacrosancta: per hosce honorum gradus, in quibus ad Reipub. salutem collocati estis, oro, ac potius oramus omnes qui Rempub. saluam esse uolumus: (nō enim pro animi tantùm mei sensu ac dolore, sed omnium quos Respub. complectitur (turbulentis hominibus exceptis) uerba me facere putate: ad quos quidem omnes periculum huius numationis, nisi prouidetis, arbitror pertinere) Oramus igitur uos inquam, ac planè etiam & hortamur & obsecramus, ut in sententijs dicendis, & uestris ipsorum & proborum hominum iudicijs, cum Dei iudicio congruentibus, plus seruire uelitis, quàm libidini quorundam importunorū: ut lex diuina tot secula apud nos sepulta, uirtute tandem uestra excitata, regnet aliquando, & dominetur. Si pauciores uestrûm erunt, quibus sententia diuina placeat: tamen periucundum erit audiru, aliquos in tanto numero esse, quibus tanta res sit cordi. Neque dubitate, Deum uestris paucorum sententijs adfuturum, si seriò, diligenter, & ex animo dixeritis: reliquamque multitudinem ad uoluntatem eius legis perferendæ inclinaturum: qui in rebus desperatis, paucorum bonorum causa adfuerit totis ciuitatibus: qui sæpe paucioribus suo nomine pugnantibus, uictoriam dederit de numerosa multitudine. Vestram uirtutem & studium

in

in suam legem ornabit, præmijsq́; afficiet ille, qui promisit se glorificaturum eos qui ipsum glorificassent. Angelos etiam cum reliquis cœlitibus hoc uestro facto gauisuros, non dubitate: quos CHRISTVS lætitia efferri testatur, cùm uident peccatorem resipiscentem. Neque ignoratis, quàm ea res utrique Regi uestro erit grata: qui numationem hanc, tanquam idololatriam quandam pellere, & Dei legem in hac Republica iampridem erigere conantur. Populi uerò, harumq́; ditionum ciues, quanta lætitia perfundentur? Sanè incredibili, cùm & suam uitam maiori curæ uobis esse cognoscent, & Dei immortalis legem præferri à uobis omni humanæ uanitati. Itaque & uestra imperia libentius obseruabunt: & salutem ac incolumitatem uestram suis precibus diligentius commendabunt Deo immortali: & hos honores, authoritatemq́; uestram magis reuerebuntur. quæ quidem authoritas ueritatis diuinitùs monstratę propugnatione conseruatur: desertione, aut saltem neglectione, amittitur & exolescit. Reliquum est, ut uos etiam atque etiam orem, uiri amplißimi, ut officium hoc dicendi meum, bonam in partem interpretemini. Quod certè non alia causa, quàm Reipublicæ studio, à me est susceptum. ut enim nauis pulsu remorum concitata, sponte sua fertur, cursum'que tenet suum remigandi labore intermisso: ita ego, qui annis superioribus texere cœpi hanc causam, in hoc ueluti mare ingressus, continere impetum & quasi cursum nauiculæ meæ non potui, quin adhuc pergerem: sperans fore, ut hanc nauiculam optatum ad portum uestra uirtute appulsam habeamus: inq́; eius mercibus omnes qui imaginem Dei immortalis in nobis gerimus insculptam, conquiescamus. Deum precor opt. max. det uobis eam mentem, ut salubribus consilijs uestris Reipub. in longinquum prouidere possitis.

DIXI.

FINIS ORATIONIS II.

AD ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ET PRESBYTEROS ECCLESIARVM SARMATICArum, ANDREAE Fricij Modreuij, Oratio Tertia de pœna homicidij.



TSI uereor, Antiſtites & presbyteri ſacrorum, ac interpretes religionũ ſanctiſsimi, ne quem offendat hoc noſtrum toties repetitum, de lege diuina in homicidas, dicendi ſtudium: tamen humanitas & prudentia ueſtra, hoc ampliſsimo ordine ueſtro digna, mirificè reficit & recreat me, ſperantem fore, ut hoc officium meum pietati, quam filius patriæ debeo, aſsignetis. Hoc enim ſtatuo, pietatis officium eſſe ſummum, dare in id operam, ut Reipub. Chriſtianæ lex diuina reſtituatur. Ea inquam lex, cuius obſeruatione ſalus Reipub. & religionis dignitas poſsit maximè contineri. Sic etiam iudico, necp mihi licere, neque eſſe integrum, ut me ab ea cauſa ſubtraham, quam ſemel ſuſcepi tuendam. Laudantur enim ab omnibus, qui in re honeſta non defatigentur: cõtrà, qui oneri cedant, uituperantur, pro inertibus ac deſertoribus habentur. Cùm quidem illud in more poſitũ ſit, ut nemo ad eam cauſam libenter animum adiungat, quam ab alio uideat quaſi occupatam: tametſi per me quidem unicuicp liceret, in re tanti momenti uires exerere, ac patriæ periclitanti lumen oſtendere animi & conſilij ſui. Neque tamen ignoro quoſdam eſſe, qui paruitate noſtra offendantur, quòd homo nec ingenio, nec eloquentia, nec dignitate excellens, argumentũ hoc iuſtis orationibus primus in hac Rep. tractare ſim auſus: qui etiam, ſi dijs placet, putant homini priuato hãc tractationem minimè licere. Sed quoniam difficile eſt omnium uoluntati ſatisfacere, ut uel dicendo offenſionem, uel tacendo reprehenſionem omnium uitare poſsim: quæſo liceat mihi per uos in hoc quaſi campo adhuc excurrere, quem ego abhinc ferè trienniũ neſcio quo impulſu ingreſſus ſum. Etſi enim nihil habeo uel ſolidæ eruditionis, uel eloquentiæ, quæ res duæ iure ſuo aſſererent me ab iniuria contemptionis: tamen religionis quadam pietate obſtrictũ me eſſe Reip. puto, ut ei adhuc hoc officium pro mea parte, ceſſantibus alijs, præſtem. Quid quod res ipſa, quam tracto, eiuſmodi eſt, ut mihi beneuolentiã omnium eſſet conciliatura? nam eſt & fauorabilis ſponte ſua: & de earũ numero, quę in ſermonibus omnium uerſentur. Quæſo igitur, ut cùm rebus magnis ſuperſedeam, hæc mihi cum bona omniũ gratia tractare liceat, quæ protrita ſunt, & ampliſsimũ dicendi campum unicuilibet ſuppeditare poſſunt. Et quoniam in Senatu orationi noſtræ, qua omni iure humano & diuino fulti, per CHRISTI ſanguinem, percp

sacra omnia usi sumus, nullus erat locus: ad uos patres, atq; ad hoc collegium amplissimũ uestrum confugiendũ esse duxi. Quem enim in re tanta appellem alium, quem implorem, pręter uos in hac Rep. habeo neminem. Versata est olim Astręa, quam eandem Iusticiam interpretari licet, inter homines in terris, quemadmodum est in fabulis: præceptaq; tradebat morum ad uitam honestè degendam necessaria: sed spreta ab hominibus, terras deseruit, ad cœlumq; ascendit. Itaq; putate, iusticiã ab hominibus desertã, nunc ad uos uenire, tanquã ad quoddam suum cœlũ: ad uos, res cœlestes tractãtes, confugere: à uobis petere, ne se uelitis esse desertã. Nam quid magis iusticiam decet, quam hominũ uitas tueri? Quid aũt hominibus cœlestibus magis conuenit, quàm huius animantis uitã quàm tutissimã reddere, cuius causa & cœlũ conditum sit, & hęc rerum cunctarum moles uniuersa? Neq; uerò putate, patres, causam hanc rationibus muneris uestri aduersari, obesseq;: aut macula sanguinis uos ex hac dicenda sentẽtia aspersum iri. Quinimò propriũ hoc ordinis uestri esse putate, de iure diuino, cuius interpretes estis & doctores, uerissimè & fortissimè respõdere. Etenim ut uobis sedere in tribunali cõtra homicidas nõ liceat: licet tamen certè & in cõcione & in Senatu de ea pœna pronũciare, quę diuinitus homicidis sancita est. CHRISTVS ipse neminem unquã capitis condemnauit: & tamen idem ex lege diuina pronũciat, Eum qui gladiũ usurpet, gladio perire debere. Nos uerò nõ postulamus à uobis, ut sedeatis iudices in homicidas: sed, ut q̃ de supplicio illis debito lex diuina decreuit, ea uestris suffragijs cõprobetis. Vestrum est munus, uestrę partes, eas leges tueri & cõfirmare, quę ab illo Deo profectę sunt, cuius uices in terris uos mortaliũ omniũ maximè geritis. Quęso igitur, ut me attentè audiatis de re diuinitùs tradita orantẽ, atq; exquisitũ iudiciũ doctrinę uestrę adhibeatis ad nostrã orationem: cuius uos non auditores tantùm, sed iudices esse cupio: à uobisq; sententiã ferri tandem, qua decernatis, an lex Dei immortalis in Remp. Christianã recipiẽda sit, an uerò prorsus ex ea rejciẽda? quid enim tertiũ restat? Nam cui, per Deum immortalem, stomachum non faciãt frigidi illi auditores, qui uel non attentè audiant quæ proponuntur: uel si audiãt, tamen nec approbare, nec reprobare aut sciant aut uelint? multò uerò magis isti, qui temeritati suæ plus uelint loci esse in Rep. quàm ulli rationi: neq; aliud crepent, quàm tyrannicũ illud ex tragœdia,

Hoc uolo, sic iubeo, sit pro ratione uoluntas.

Neq; uerò cõmittam, patres, ut uos detineã longa oratione. Summas argumentorũ proponam, ac quasi epilogum addam eorũ quidem quę prioribus orationibus tractaui. Deinde, quantũ scelus sit in hac legis diuinę cõculcatione, ostendam. Postremò, remediũ indicabo, quod quasi cauteriũ per uos huic morbo applicandũ putẽ.

HOC igitur initium ac fundamentũ pœnę in homicidas capitalis cõstituendę esto, iussum & decretũ Dei immortalis: quo ille edixit, eius sanguinẽ effundi debere, qui hominis sanguinẽ effudisset: neque accipiendum preciũ ab eo qui sanguinis sit reus, sed statim eũ quoque mori oportere. Et CHRISTVS, multorũ seculorũ interuallo, in eandem sententiã, Eum gladio perire necesse esse, qui gladio utatur. Si nihil aliud nisi de iure ac lege diuina dicendum fuit, nihil dico amplius, patres: causa dicta est. Quid enim ad persuadendũ firmius debet esse homini Christiano, quàm decretũ & uoluntas summi Dei? Quis Deo resistere, quis legẽ eius abrogare ausit? Qui Senatus, qui populi, qui tribuni, qui proceres, qui equites sunt tanti, ut eorũ authoritas pręferenda sit authoritati diuinę? Huic decreto & rerum natura subscripsit, & populi gentiũ omniũ exterarum. Cur igitur sola natio nostra cõtradicit? Quod uerò preciũ esse dignum potest hominis uitæ persoluendę? Cur pluris res furtim ablatę ęstimandę sunt, quàm hominũ uitæ? Si equi iacturã non aliter sarcimus quàm uita furi eripiẽda: cur uitã hominis pecunia redimi patimur? Dura mehercule hæc est hominũ cõditio in hac Rep. ubi iumenta pluris fiunt hominib. Atqui illa cõdita sunt nostra causa: nec suę domi habitant, sed nostræ: nec fructib. utuntur terræ, nisi ut nobis usui esse possint. Quemadmodum à Dauide de Dei beneficijs præclarè scri-
» ptum est hisce uerbis: Qui producit iumentis fœnũ, & herbã serui-
» tuti hominũ. Volumus'ne seruos & mãcipia multo pręstantiore cõditione esse domi alienę, quàm ipsos hęredes suę? nobis uerò nõ tantùm iumenta, sed res quamlibet leues, modò decem numis grossis constent, chariores sunt, quàm hominũ uitę. O' leges pręclaras: Furi laqueo uitã abrũpito: homicidę scelus suũ pecunia luere fas esto. Quis cacodæmon author legis huius & consuasor fuisse putandus est? putatis'ne hunc hominũ amicũ fuisse? Quæ pestis funestior irrumpere potuit in naturã humanã? Serpit enim nunc, grassatur impunè in hominũ uitas. Nullus finis, nullus modus homicidiorũ: gladiatorũ & lanistarum plena sunt omnia: sanguis humanus effunditur: gladij è corpore recens extracti in cõpotationibus animi causa ostendũtur: tyrones multi ad tales pugnas deligũtur: cruore hominum quàm recentissimo ora illorũ & frontes illinũtur. hisce ritibus & ipsi mystæ sacris suis initiantur, & gladij eorũ certis ac destinatis cędibus deuouentur. Quid aũt mirum hęc fieri in Rep. ubi mores ad tantã licentiam incubuerunt? ubi plerique Equitum nobilitatem suam carnificina putant fieri illustriorem? Qui quot marcarũ nostratiũ denarios numerare possint, tot plebeios: quot uerò cẽtenarios, tot sui similes interficere ausint. Quã aũt putamus causam esse, patres, tot scelerũ, tantarũ impietatũ? Quã, nisi legis diuinę contemptionem & conculcationem? Qua in re quantum sceleris insit, quantum

quantum turpitudinis, iam ostendendum mihi puto. Id enim erat, de quo me secũdo loco dictur ũ receperam. Aberratum est lõgissi mè, patres, à uia recta, à ueritate, & à Deo ipso, posteaquã numatio- ni in hac Rep. regnandi licentia permissa est. Qua enim, per Deum immortalẽ, recti uia insistere potest, qui à uerborũ Dei uia deflexit? quam ueritatem inuenire, qui se rationibus falsi obstrinxit? Quem ducem ille, qui Deum & eius uerbum eiurauit, sequetur, prçter dia bolum? Per enim hoc scitè à Theologis mihi usurpatũ uidetur, cùm hominẽ equo compararũt, qui alterutri sessorũ Deo diabolóue sit prçsto. Quòd si ille permisisset se Deo insidendũ, habiturus esset ses sorem peritissimũ: talem nimirũ, qui çquis passibus gubernaret ul- trò euntem, restitantẽ excitaret, coerceret exultantẽ, lasciuientẽ in gyros moderatè flecteret, ac uia recta insistere faceret. Sin diabolo, eum quidẽ fore sessorẽ stolidissimũ, qui immoderatè utatur iumen- to suo: nihil pensi habeat planus locus sit an montosus, præceps'ne an decliuis, quà decurrendum sit: qui quoquouersum cursim sem- per, compositè nunquã progrediatur: per loca inuia, abrupta, & sa- xis horrentia discurrat, atq; ad ferocitatem & omnem insolentiã iu mentum impellat. Elegans profectò mihi hçc pictura uisa est eorũ hominum, qui Deo excusso, uerbo eius tanquã freno confracto ac conculcato, diabolo sese regendos permiserũt. Hæc enim recta erat uia, hæc ratio à Deo constituta puniendi homicidã, ut sanguis suus effunderetur. Sed cum defleximus ab illa uia, quid aliud restabat, quàm ut in auiũ nos & errores cõijceremus? Quàm enim hoc est a- uium, quàm à lege Dei discrepans, uitas hominũ pecunia æstimare, quas filius Dei non alio precio quàm sanguine suo redimendas pu- tauit? Deinde, quàm hoc à uia longè lateq; aberrãs, cùm uitç homi num çqua sorte in hanc lucem eductorũ, sibi inter ipsos consangui- neorum, sub unã eandemq; Dei tutelam subiectorũ, eodem Christi sanguine redemptorũ, eandem regni cœlestis gloriã expectãtium, horũ quidem denis, illorum aũt centenis numorũ marcis æstiman- tur? Postremò, quàm illud nõ auiũ modò, quod tolerabilius esset, sed tanquã è saxis ac rupe horrenti auulsum, stridet cadẽdo, ferturq; magna ui, non in ullã planiciem, sed in loca uisu fœda, cõfragosa, & prærupta omnia, dum ita dicitur: Plebeius nobilem occidens ócci- dito: nobilis plebeiũ interficiens, marcas numorum decem nume- rato? Non mihi si linguç centũ sint, oraq; centum: Ferrea uox, tan- tam absurditatem satis improbare possem. Nõ inter homines nata mihi hæc lex uidetur, sed in duris Caucasi cautibus. unde tandem ui uentorũ & tempestatum deuoluta, ab hominibus intonsis & in- cultis, in peruersis rupibus agere assuetis, nec ullo unquã iurè çquç confederationis consociatis, temerè reperta est. Qui homines cùm postea casas & ædes simul conferre, ac pagos deinde & urbes ædi-

ficare cœperunt, temerè prius legem repertã, temerè in suã Remp. receperũt. Inspiciant aũt mihi uelim propugnatores harum legũ, mores nationũ exterarum: ubi ordines quoq; sunt distincti nobilium & plebeiorũ: & tamen uitæ, cædesq; scelere factæ non distinguũtur. Non improbo ordinũ distinctionem. Quis enim hoc improbet, ut alij uirtutũ uel suarum, uel auitarũ stemmatis tanquã testimonijs publicis utantur: alij, qui nulla præstanti gloria excellant, nõ item? Et certè Resp. omnes quę habent ullũ respectum uirtutis, eæ etiam rationem nobilitatis habeant necesse est, utpote quæ insigne est quoddã uirtutum. Quamobrem etiã multa in Rebusp. beneficia habent nobiles suæ pręrogatiuę. Fungũtur honoribus multis, ad quos plebeij aspirare non possunt. Quis aũt sanus ferat disparitatem illã puniendę necis per scelus factæ? Hominum sunt illa inuenta, nobilitas ac plebeitas. ab hominib. sunt gradus illi cõstituti, uirtutis uel testificandæ uel excitandæ causa. In his, hominibus licet ingeniosis esse, quę ipsi constituerũt. At quis sanus, inquã, ferat, hominem legislatorẽ in ijs ludentẽ, quæ sunt Dei munere hominũ generi attributa? Solus Deus homini dedit uitã: solus eam auferre debebat. Sed si quis per scelus illã abstulit plebeio, cur minus puniatur, quàm si nobili abstulisset? Cur similem ob cædem alius capite, alius uilissimo precio plectitur? Cur ad scelus simile nobilibus animi adduntur, plebeijs adimuntur? Cur in eadem Rep. manent nobiles cum plebeijs, si non ijsdem legibus uiuere, non ijsdem pœnis scelera sua uolunt uindicari? Ita uiri nobiles, cùm rerum ferè omniũ constituendarum, tum uitæ plebeiæ leuissimè, ac potius nihili æstimandæ, potestatem sibi sumpserunt: quasi uel soli essent in hac Republica, uel uitam plebeijs suo beneficio dedissent. Hoccine est nobilitatis factum? hoccine officium ordinis uirtute fundati? Regum authoritate confirmati? Reipub. beneficijs aucti & ornati? Mitto in præsentia, communem illum naturæ omnis parentem Deum ab ijs contemni, qui generis ignobilitatem cõtemnant. Illud quæro, iccirco'ne Resp. ordinem equestrem in altiore dignitatis gradu locauit, ut ille tanquam è curru quodam triumphali inferiorem ordinem despiciat, uirtutes eius extenuet, uitam contemnat ac pro nihilo putet? In alijs Rebusp. hoc nõ est. utuntur enim Dei lege, qui pariter uitas hominũ ad suam imaginem conditorũ ęstimauit: ac citra ullã distinctionem edixit, ut sanguis humanus sanguine uindicetur. In nostra Rep. est. Quid ita? deflexímus à recta uia: Deum ducem abiecimus: permisimus nos insidẽdos diabolo, qui nos per inuia abripit omnia, in saxa & montes horrendos ducit, in abrupta & confragosa pręcipites agit. Cum enim ille mendax sit, & homicida, ut CHRISTVS testatur: immisit in corda hominũ mendacium importunissimum, ut illi uellent mortes hominum scelere allatas, non

capite,

capite, ut Deus iusserat, sed pecunia uindicari. Hanc uiã homicida ille, alteri suo operi, nempe homicidijs infinitis expeditissimam sibi struxit. Ita nulla est orbis totius pars, ubi fenestra est maior aperta homicidijs. Quis enim fando unquã audiuit, homines carcere & pecunia plus quàm metu mortis suę ab homicidijs arceri posse? Videte mores exterarũ gentiũ. Videte (ne procul uos ablegẽ) uicinos nostros Prutenos, non eos tantùm qui principis Alberti, sed qui etiã regis nostri imperio subiecti sunt. Videte & eos Silesios, qui nobiscu regis dicto sunt obedientes. Quiutcunq; indulgẽt sibi (ut mos est hominum) in alijs peccatis: à cædibus certè metu mortis pręsentis sunt abstinentiores. Viget enim apud hos populos lex diuina, capite plectens homicidas. Mirum uerò, cur non monemur his uicinorum, ac potius domesticorum nostrorum exemplis, qui & ipsi Regis imperio nobiscum obtemperant: hac certè re, cultu legis diuinæ, sunt multo fœliciores. Sed ferunt nostri Equites pręmium operis sui. tot enim & tantis cædibus in sese mutuò grassantur, ut prouerbio sit locus apud illos, quo dicitur, Malum consilium consultori pessimum. Dubitatis'ne igitur, Patres, inuentum esse diaboli nostram numationem, & imparem illam uitæ cædisq; hominum æstimationem? Dicam enim id quod res est: atque id eo liberius, quòd mihi hæc oratio apud uos habetur, uiros doctissimos, ac rei Christianæ peritissimos: Oportere Rempub. nostram aut uniuersam legem Dei recipere, siquidem Christiani nominis titulo uult censeri: aut excludere cunctã. Voco aũt legem Dei, non quam propriè Reip. Mosis, sed quam generi mortaliũ uniuerso tulit. Inter quas, illam legem sanguinis sanguine uindicandi, numerandã esse, prioribus Orationibus ostendimus. Si quæ igitur Resp. omnibus alijs legibus receptis hãc unã excludat, eam quidẽ Remp. nullo modo Christianã esse contendo. Notum est enim illud Iacobinũ: Qui fecisset omnia lege precepta, unam aũt legum uiolasset, eum quidẽ eo loco habendum esse ac si totã legem uiolaret. Quod si id uerũ est de ijs qui humana fragilitate delinquunt: quid tandem de ijs statuemus, qui importunitate, temeritate, contumacia, atq; adeò lege contraria contra Deum erecta peccẽt? Neq; enim hic de ijs peccatis iã disputandũ est, quæ in fragilitatem humanã cadant: quæ quidẽ tot & tanta sunt, ut de ijs sedulò rogandus sit Deus, ut remittat nobis debita nostra: sed de ijs, quæ lege cõtra Deum lata, iam non pro peccatis, sed pro bonis operibus à nobis habentur. O' quanta blasphemia hæc est nominis diuini: quanta cõtumelia maiestatis illius. Olim pręcepit Deus Adę, ut ne uesceretur de certo pomi genere, cuius esus perniciem illi esset allaturus. Inuentus est calumniator ille mendax, qui menti hominis rem contrariam suggessit, ut comederet: neque enim eum moriturum, sed fore potius similem Deo.

Præcepit postea idem ille Deus, ut sanguis humanus sanguine uiri dicetur. Inuenta est natio hominum, quæ illo mendacij patre instigante, non sanguine, sed pecunia homicidium sanxit. An uerò uobis, patres, non hoc peccatum illud uidetur, quod CHRISTVS uocet in Spiritum sanctum: nunquam quidem remittendum, nec in hac nec in futura uita? neque enim fragilitate in hoc peccatur, sed malitia destinata. Quæso uos, patres, si qui homines excludere uellent precationem Dominicam, de qua sibi à Deo scirent præcepta esse data: an tales in numero populorum Dei reponendi essent, utcunque seruassent omnes partes reliquas legis? non loquor de ijs, qui omisissent qualibet causa precari: tales enim permulti sunt, & talia peccata sunt negligentiæ ac fragilitati attribuenda: sed de ijs, qui lege lata prorsus è sui medio exterminatam uellent precationem. Ego quidem tales in ecclesiam diaboli prorsus reiecero. Age nunc, cum illis ipsis precationem extrudentibus nostros Solones comparate. Sunt'ne illis non quàm simillimi? Vtrique profectò prohibent rem à Deo sancitam & mandatam. Qui se, formula precandi expressa, iussit inuocari: idem ille homicidium capite plecti iussit; id'que non solis Iudæis, ne quis id calumnietur, sed uniuersæ naturæ humanę. Nam & ante exortũ Iudaicæ religionis, & in eius occasu, uoce cœlesti hæc lex sancita & cõfirmata est. Quod ego hic non difficile historia sacra comprobarem, nisi rem totam latissimè prioribus Orationibus prosecutus fuissem. Quid igitur de ijs statuendum putamus, qui turpissimè abutuntur sua potestate, eijcienda lege Dei ex hac Repub. utro in regno numerandi sunt, Dei an diaboli? quid enim restat tertium? Mihi quidem meritò atque optimo iure in regnum diaboli, unà cum exterminatoribus illis precationis, conijciendi uidentur. Neque uerò temerè hoc dictum existimari uelim. Ipsum mihi uerbum Dei potestatem dat & sentiendi ita ut dixi, & loquendi. Ipse CHRISTVS ex patre diabolo natos esse pronunciat, omnes uerbo Dei aduersantes. Ipse affirmat eos contra se esse, qui secum non sint. Ac ne illud quidem facio, ut iam diabolo adiudicandos putem illos exterminatores legis diuinæ: sed quale id factum eorum sit, id ex uerbo Dei pronuncio, quod recti & praui norma est. Tametsi quid interest, opus damnes aliquod, an eius authorem? puniuntur enim, qui peccauerunt: ornantur & laudibus & præmijs, qui rem præclarè gesserunt. Paulus hominem stupro notatum, magno animi impetu cum tota ecclesia non dubitat tradere Sathanæ. Cur igitur non liceat uobis, eadem uerbi Dei authoritate præditis, eos homines Sathanæ tradere, qui uerbo Dei aduersentur? Etenim ille idem stuprator quod fecit, fragilitate humana fecisse putandus est. neque enim interea ueritati resistebat; neq; id faciebat ut illam in Remp.

uellet legem receptam, ſtuprum rem eſſe honeſtam. At legiſlatores noſtri, animo obſtinatiſsimo ſcientes uolentesq́, contra Dei, populorum & naturæ ipſius uocem, legem numationis erexerunt. Hanc tuentur et defendunt contra Regis ſui, cõtra Principum multorum, denique contra populorum & fratrum ſuorum uoluntatem. Quis igitur iſtos dubitet eſſe diaboli inſtrumenta, in quibus mirabiliter exercet imperium ſuum ille homicida? An igitur iſti exiſtimandi ſunt in eccleſia Dei? an non digni ſunt, quibus ſacris, aqua & igni interdicatur? Et quoniam me huc ſuperior perduxit oratio, ut quid iſti Solones noſtri commeriti uideantur, dixerim: puto ſententiam, quid in ea re facto opus eſſe, quam'que quaſi medicinam huic malo adhibendam putem, liquidius à me dici oportere. Is enim tertius eſt locus à me in hac Oratione pertractandus. Neque uerò id fecero, Patres, quaſi uobis uoce mea præire uelim: ſed ut ne ea pars deſideretur in noſtra Oratione. Turpe enim eſſet, de morbo dicenti, remedij feciſſe mentionem nullam. Illud igitur mihi ordinis ueſtri eſſe uidetur, ut quiſque in concionibus publicis enormitatem ſceleris tanti, quantum poſsit, exaggeret: atque ad id faciendum adhortetur theologos omnes, qui uel publicè doceant in templis, uel priuatim operam dent peccatis hominum audiendis. Haud ſcio an anni præterierint decem, quòd mihi pœna diuina, cuius toties mentionem feci, de literis ſacris ſit cognita: qui tamen non omnino rudis eram in Biblijs ſacris. Quo mihi uerisimile fit, plerosq; in hiſce literis nunq; uerſatos, etiamnum huius rei nõ ſatis exactã habere cognitionem. Nam utcunq; feriant uoces illę eorum aures: tamen non ſatis fortè in animũ demittunt. Ita fit, ut nõ ſeriò tangantur cura tantę rei. Res mihi itaq; digna uidetur, ut omnes ecclesię, oẽs ſcholæ perſonent uocib. iſtis: Improbetur quãmaximè numatio noſtra: turpitudo eius & incommoda, quę ſecũ trahat, ob omniũ oculos exponant. Credite mihi, Patres, hoc remediũ nõ fore inutile morbo numationis depellẽdo.

Eſt & illud alterũ, cuius proximè mentionẽ feci: ut cõtra rebelles et Dei uerbo repugnãtes gladius ille exeratur, quẽ Paulus cũ eccleſia Corinthiaca in ſtupratorẽ illum exerendũ putauit. Profectò enĩ exterminatorib. iſtis tanquã reis, capitis quodãmodo cauſa dicenda eſſet: aut certè iudicium in eos ex formula à Chriſto expreſſa conſtituendum: ac niſi reſipiſcant, atq; actionibus à Deo mandatis uitæ emendationem teſtari ac promittere uelint, ſententia excommunicationis in eos ferenda: qua illi ſe non CHRISTI, ſed diaboli membra, niſi in uiam redeant, eſſe cognoſcant. Non enim excommunicatio ob tantum facinus in legem Dei commiſſum, uana quædam & inanis ſententia putanda eſt: ſed quæ ſecum & in hac uita trahat pœnam & calamitatem præſentem: & in futura, niſi qui rei

sunt resipiscant, perpetuos ac nunquã finiendos cruciatus. Quemadmodũ & Paulus Corinthiũ illum, quem ob stuprũ ex cœtu eiecerat, ꝓfitetur se Sathanę dedisse uexandũ & affligendum: et Stiliconis scribam ab Ambrosio propter falsi crimen excõmunicatum, furore correptũ fuisse, ex historia ipsius cõstat. Et à Christo nõ obscurè significatum est, eos qui sententia huiusmodi Ecclesię in terra damnati sint, in cœlo quoq; damnatũ iri. Quòd si id insolens uideatur, ut sacris arceãtur isti tyranni: illud tamen credo facultatem habere poterit, ut Theologi, qui peccatis hominum examinandis priuatim uacant, hoc malum iustissimis propositis causis exaggerent, ad pœnitentiã istos tyrãnos inuitent. Quæ quidẽ pœnitentia uera esse nõ potest, nisi resipiscãt: ad frugem sese meliorẽ recipiant: atq; id corã Ecclesia, actionibus à Deo mandatis testentur. Quemadmodũ Ioannem Baptistam præclarè cõcionatum accepimus, regnũ Dei propè esse ijs quos uitę prioris pœniteat, quiq; fructus edant pœnitentia dignos. Quòd si qui sint, qui peccata confessi huiusmodi resipiscentiã defugiant: ijs quidẽ nulla absolutio impertienda, nulla delicti uenia danda est. Quomodo enim scelere solueretur, quẽ non pœniteret facti? quomodo aũt eum pœniteret, qui sui similis esse pergeret, nec operib. Deo placentibus uitã se suã emendatũ ire testari uellet? Ligãdi igitur tales sunt ui uerborũ Dei in terra, ut ligentũ & in cœlis: arcendi sunt prorsus à sacramẽto corporis et sanguinis Dñi, qui se nec sibi ipsis, nec ecclesijs ꝓbare possunt. Et id quidẽ de Solonibus qui numationẽ tuentur, dictũ sit. De homicidijs porrò ipsis, et de eorũ uarietate, etsi quędã in Lascio diximus, tamẽ hic nõnulla addemus. Homicidia iusto quodã dolore cõmissa, leuius apud Ethnicos puniebanť: ut de Oreste accepimus, q cùm ulciscendę necis paternę causa matrẽ occidisset, hominũ consuetudine exclusus erat: signumq;, quo ab hominibus homicida cognosceretur, publicè ferebat. Is enim mos temporum illorũ fuisse uidetur, exempli causa institutus, ut ne alij ad similia facinora procliues essent: & ipsi homicidæ uitam emendarent, ac meliores esse discerent. Itaque signum quo scelus suum quasi publicè confitebantur, tantisper gerebant, dum tempore luctus exacto, certo ritu, & quasi publica pœnitentiæ testificatione cœtui hominum restituerentur. Non dissimile est, quod à Christianis episcopis usurpatũ olim legimus. ut cùm Theodosius senior imperator Rom. uindicando cædem militis, iniustam quidem illam, sed tamen seuerius puniuisset, ac propterea plures æquo necari iussisset, Ecclesię communione ab Ambrosio exclusus erat. cui quidem communioni non prius restitutus est, ꝙ̃ stato tempore in pœnitentiũ numero squallidus signa pœnitentię publicè edidisset, pronus in terram procubuisset, omnesq; satisfactionum leges homicidis præscriptas impleſſet. Et

quidem

quidē Ambrosio iubente & præscribente, Theodosius magna animi æquitate executus est. Deus etiam uarias infligit pœnas homicidis: ut regem Dauidem ita puniuit, ut et regno eijceretur, & sapientiæ ac uirtutū gloriā perderet. Casu perpetrata homicidia, & quæ tuenda uita nostra à nobis admittūtur, aut nulla pœna, aut ferè etiā exilio puniri debent: ut in libris Numerorū proditum extat, & nos in Lascio fusius demonstrauimus. Cæterùm de ipsis homicidis, qui uoluntariā cędem perpetrarūt, toties sententia diuina repetita est: QVI uolens hominē occidisset, eum quoq; occidi necesse esse: &, NON accipiendū precium ab eo qui reus sit sanguinis, sed eum quoque mori debere. Sed de homicidijs satis. DE propugnatoribus uerò Polonicæ numationis, an adhuc dubitamus puniri eos debere? an impunitatem habebunt, & licentiā sempiternā, ad cędes nefarias homines scelestos armandi? Profectò enim author sceleris esse putandus est, qui cum potestate existens, uel non puniri uult, uel nō pro eo puniri ac æquū est, peccantem. Prȩclarè illud dicit, quod nos in Lascio rationibus adhibitis planū fecimus, consentientes & facientes pari pœna puniendos esse. Id si admittimus: numationis defensores simili pœna cum homicidis puniendos esse, admittamus necesse est. Sin hoc durū esse uideatur: quæ iustior pœna in eos erit, atq; ea quā de libris religionis nostræ exposui? Quod si ex cœtibus Christianis raptores decumarū, manuum in presbyteros iniectores, templorū uiolatores, eijciuntur: an ferendi sunt isti, qui numatione defendenda, quasi gladiū porrigunt homicidis? Iure igitur optimo ab Ecclesia eijciendi, sacris arcendi, aqua & igne omniq; humana consuetudine priuandi sunt. Hæc mihi medicina, Patres, morbo de quo agimus adhibenda uidetur, non certè aliena munere uestro: ac uix est (quod ego sciam) alia, quæ ab hominib. ordinis Ecclesiastici confici posit. Neq; uerò crederem eam medicinā in ecclesia Dei multū ualere posse, nisi & à Deo ipso propositā, et à prophetis ac apostolis usurpatā uiderem. Quorsum enim illa? Clama, non cessa: sicut tuba exalta uocem tuā: exprobra populo scelera sua. Argue fratrem primùm nemine conscio, deinde aduocatis testibus: postremò, nisi resipuerit, dicito Ecclesiæ. & quæ deinceps sequuntur: sunt enim nota omnibus. Ad hæc accedunt Apostolica dicta, facta'ue: ut, Argue opportunè, importunè: Viuidus est sermo Dei, & acuto omni gladio penetrantior. Exemplum etiā notum est Pauli, quod in stupratorem edidit, eijciens illū de Ecclesia: sed magis horrendum, & planè tragicū, Petri, cùm Ananias & Saphira mentientes spiritui sancto, ui uerborū illius collapsi expirarunt. Non igitur uulgare remedium putate, Patres, quod non de meo sensu, sed de literis mysticis recitaui. Iam nihil necesse esset, ut officij uos admonerem uestri, nisi ordo

uester negligentiæ hac in causa uulgò notatus esset. Dicā omnino liberè, ut decet hominē ueritatis amantem, atq; hoc in loco, hocq; in consessu dicentem. Vos, si æquis animis audieritis hanc reliquā orationem, magnū dabitis documentū, uos, ut decet homines ueritati amicos, libertatem sententiæ dicendę non aspernari. Profectò plerıq; homines non prorsus stupidi, plus in uobis qui estis in Senatu desiderant officij, in dicenda sententia de hac causa. Neminem uiuorū nominabo. Et sunt inter uos, quorū sententia uinci non posit. eorundē tamen cōstantia & contentio in dicendo agendoq; maior iure desideratur. Sed erunt qui de uiuis post fata loquentur. De eo qui nuper è uita migrauit, loquar: Sebastiano Branicio, Posnaniensiū episcopo. Etenim ille abhinc trienniū, cùm unus ex ijs esset, qui iuribus patriæ emendandis delecti erant, rogatus de pœna homicidij sententiā, ita dixit, ut nullā prorsus pœnę diuinæ mentionem faceret. Erant quidam in eo delectorum numero, qui eius pertenuem, sed tamen nōnullam, & quasi in transcursu, mentionem fecerunt. Erat etiā nonnemo, qui ei prorsus reclamare uisus est. Branicius uerò, periculis ex numatione redundātibus copiosè enumeratis, pœnā usitatam duplicare uoluit. Tu'ne Branici, probare te posse hanc sententiæ dictionem tuā bonis uiris existimas? Necesse est enim aliquod horū esse, ut uel Lex diuina tibi fuerit ignorata: aut nulla cura affecerit te illius: aut tibi fuerit odiosa: aut metu aliquo abductus sis ab ea suadenda. Ignorantiam prætexere non potes, qui legū diuinarum & religionis custos fueris, & antistes. Odiosam uerò quomodo tibi fuisse diceres, nisi te à Deo hominibus'que summi sceleris condemnatum uelles. Quòd si nulla tibi cura fuerit illius suadendæ, dolendū est sanè tales eo loci esse, ubi cùm possint, nō uelint de Deo benemereri. Neque uerò minus dolendū est, si timore tacitā reliquisti ueritatem diuinam, pro qua nemo bonus, cùm opus est, uitā profundere recusat. Multo melius & Ambrosius Mediolanensis, et Stanislaus Scepanæus Cracouiēsis, episcopi sanctissimi: quorū ille in Theodosiū imperatorem Rom. ut proximè dixi, ob plures quàm æquum erat homines iussu ipsius trucidatos, Ecclesiæ cōmunione priuandum putauit: nec eundem sine pœnitentię publica significatione, eidem cōmunioni restituit. iste uerò, regem Boleslaum ob tyrānidem, nō minore seueritate etiam ex cōmunione eiecit. O' uiros uerè heroicos. O' pastores uigilantissimos, qui non pro lana, ut aiunt, caprina, sed pro salute ouium suarum, certamen cum lupis suscipere non formidant. Comparate mihi cum tanta illorū uirtute, celatum argentū, uestes preciosas, census, satellites, & splendida tecta, quibus se homines nostri temporis magnificos fieri uolūt: an non hæc omnia mirandū in modū sordescent? Sed de Ambrosio multa

præ-

preclara monumentis literarũ prodita sunt. Stanislai exemplũ nobis certè est domesticũ, dignũ sanè quod omnes boni, sed in primis ecclesiarũ duces imitentur. Etenim ille ne mortis quidẽ metu perterreri potuit, quo minus in Regem scelerosum, acerrimã ac fortissimam sententiã ferret. Hunc uirũ proponite uobis, uiri amplissimi, ad imitandũ: si ueram & solidam gloriã, apud Deũ & homines nunquã intermorituram, consequi uultis. Enimuerò uobis multo facilior est ratio rei cõficiendæ, q̃ Stanislao. Ille enim Regẽ habuit sibi maximè infestũ, amentia precipitem, omni diritate ac immanitate teterrimũ. Vos Regem habetis in hac causa studio mirabiliter precurrentem, à uero cõstanter stantem, atq; omnes suos quasi sublato signo ad ueritatem uocãtem. Turpe uobis est, uinci ab aliquo in ea re, cuius uos principatũ appetere, et certò tenere debetis. Erat Stanislao insolentia, ac potius immanitas regis furentis frãgenda ac cõtinenda: idq; usq; eò persecutus est, ut ob id tandẽ quasi uictima, Regis manu ad aram sacrã mactatus fuerit. Vobis uerò Rex metuendus nõ est: sed summa potius obseruãtia colendus. præit ille uobis iampridẽ uoce sua: hũc uobis ducem nõ strenuè subsequi turpe fuerit. At uerò uos nõ subsequi tantùm, ac uestigijs Regis insistere: sed rem ita coagmentare potestis, ut tandem facilius ad exitũ perducatur. Ostendi enim, quantum potui, rationes proprias muneris uestri, quibus facilè contrauenire resistentibus possitis. Nunquam, mihi credite, successus habebit prosperos hoc negotium, nisi quasi iunctis umbonibus certamen contra rebelles susceperitis: nisi contentionem & perseuerantiam in agendo maximam adhibueritis. Quòd si uos hac in re hastas (ut aiunt) abieceritis, neque uos ad rationes Regis diuinas adiunxeritis, neq; uestras uestri que muneris proprias prosequuti fueritis: quæ tandem spes religioni ac Reipublicæ, à uobis esse poterit in arduis & periculosis rebus, si eam in re periculis uacua deseritis? an uos Stanislaos unquam futuros sperabimus? an tyrannidem in Republica, (si quæ extaret) à uobis oppressum iri putabimus, si pia Principis uestri studia, propter quorundam inueteratam potentiam uel prorsus non iuueritis, uel non pro eo ac decet iuueritis? Sed speramus de uobis meliora. Agite igitur, Patres amplissimi, patriæ à uobis omnia præclara expectanti succurrite. Videtis in uos solos hominum oculos esse conuersos. illi à uobis petunt, ut oraculo diuino in hac Repub. possit esse locus, qui estis Dei oraculorum custodes & interpretes. Quò enim miseri se uertant? an ad Regem suum? & ille quidem diligentissimam operam multos annos adhibet legi diuinæ sanciendæ, dignã quidẽ Principe Christiano: sed nescio cur tot sanctæ eius hortationes neglectui habeantur. An ad alios uiros præstantes, qui in eadem sunt sententia cum suo Rege? at co-

at eorum quoq; authoritas non pluris est authoritate Regis. Ad uos igitur Rex, ad uos Principum multi, ad uos pleriq; Equitum, ad uos omnes boni se cõuertunt, uos intuentur, uestram opem desiderant. A uobis postulãt, ut qui sacris praestis, sacrã Dei legem in Remp. recipi curetis. Vobis cõmendant existimationẽ huius patriæ, ut quæ apud omnes nationes malè ad hũc diem audierit propter idololatricã numationẽ, recreetur aliquãdo, lege Dei recepta, fama meliore. Respicite pericula, quæ cũ numatione cõiuncta sunt, & cędes innumeras per summã licentiã factas. Vulgares sunt istæ, quæ ueluti animi causa fiunt, uel in itinere, uel in symposijs. Illæ rariores olim erãt: sed iam increbuerũt, cùm quidã humanitate omni exuti, in sexũ muliebrem sęuire, pietatẽ lædere, germanitatem uiolare, sanguine fraterno manus suas madefacere audent. Non iam frater à fratre tutus, non uxor à uiro, non uir ab uxore. trucidantur passim & prophani & sacerdotes: templa & cœmiteria uiolantur: aræ sanguine consperguntur: iura omnia & diuina & humana scelerate peruertunt. Quid, an illud nõ nouũ? uim aliquibus uestrûm qui cũ potestate estis, gladiatores isti denũciant: ignem, crudelia omnia, ac cędem ipsam minantur: profitentur id literis, ferro cruore tincto, ligno semiustulato. Quamobrem? Quia eos putastis ob cędes sacerdotum, ex templis edicto legitimo eijciendos. Isti igitur si pœna diuina fuissent puniti, an essent metuendi? Hæc cùm uos & quemq; bonũ plurimũ debent cõmouere: tum in primis curãdum est, ne hæc macula numationis, ne dedecus, ne scelus turpissimum, quod hãc Remp. ad hãc quasi senectã suã prosecutũ est, idem ad extremũ eius diẽ & quasi ad sepulturam ipsam cõcomitetur. Etenim tempus mutationis rerũ propè instare, animi hominũ non prorsus stupidorũ, nescio quo pacto pręsentire uidentur. Animaduertunt mundũ quotidie magis quasi senescere, hominũ maliciã crescere: signa diuinitùs olim p̃dicta multa cõcurrere, uel maximi belli, uel rerum inclinationis prænuncia. Vt igitur macula illa numationis, Reip. nostrę inusta, aliquãdo tandẽ eluatur: p̃fectò ratio officij, ac potius pietatis, quã patriæ debemus, nos oẽs hortari debet. Cuius rei procurãdæ in re ferè desperata & ab omnibus deserta, uobis in primis facultatem ab ipso Deo reseruatã putate. Quamobrem per Deũ immortalẽ cogitate hæc uobiscũ, Patres: in rem præclarã tota mente, toto'q; animi impetu incũbite. Date gloriã Deo immortali: numationẽ ex nostris finibus extrudite: Reip. Christianę legem suã reddite: cõspirate cũ Rege, cõsentite cũ bonis: hostes legis diuinæ deserite: rebellibus resistite: improbos coercete: indomitos effrenatos'q;, & ad mentis sanitatẽ redire nolentes, ab Ecclesia exterminate: ne si occasionẽ p̃termiseritis rei gerendæ, ueniat tempus, quo cùm uelitis esse in officio, nõ possitis.

DIXI.

AD

AD SIGISSMVNDVM PRIMVM REGEM POLONIAE, ANDREAE FRICII MODREVII in Querelam de contemptione legis diuinae in homicidas, Praefatio.



VARTVS agitur annus, SIGISMVNDE Rex, cùm mihi argumentum illud de homicidis capite plectendis (ut in Scholis fit) sumpseram tractandum. Cuius rei occasionem dederant mihi mandata et literę tuæ, quas tum de more dederas ad conuentus municipales: quibus literis et tibi legem diuinam de homicidis cordi esse significasti, & ad eam perferendā populos tuos adhortatus es. Cùm autem tractatio & commentationes illæ nostræ bonis quibusdam & eruditis uiris non displicerent, feci suasu illorum, ut in filij tui Regis nomine eas ederem. Creuit mihi deinde materies in tantum, ut duas postea Orationes composuerim: alteram ad eos qui tecum tractant gubernacula Reipub. alteram ad Pontifices, & eos qui sacris in prouincijs tuis præsunt. Feci scilicet quod pro ueritate diuina potui: plura facturus, si liceret. Quanquam quid à priuato fieri homine potest maius, quàm ut testimonium tribuat ueritati, cuius causa filius Dei testatur se natum esse, & in hunc mundum uenisse: ab ijsq́ suam audiri uocem affirmat, qui sint ex ueritate? Præclara sententia, & magistro ueritatis digna. quam si quis dicendo amplificare uelit, num istos in filijs ueritatis numerare possit, qui uoci Dei magis quotidie circumsonanti aures præbere nolunt? Excluditur enim publice ueritas diuina à tua Repub. Ac nisi per te quasi ab exilio tot seculorum reuocari cœpta esset: nisi in scholis & concionibus ab obliuione hominum uindicaretur: nisi per quosdam primarios uiros priuatim in nonnullam dignitatem assereretur: uestigium ubi lex diuina poneret, in tua Republica non haberet. Cùm igitur toties iam ueritatis agerem causam apud omnes regni tui ordines, eosq́ præcipuè, penes quos est aliqua potestas: neque spem ullam uiderem rei conficiendę, Orationibus amplius scribendis supersedere constitui. Verùm cùm animus tam subitò cogitationes pristinas abijcere non posset, Querelam conscripsi, eam'que ad eos populos tuos qui ius sententiæ dicendæ in Senatu nullum habeant. Quid enim iam restat aliud, quàm queri, cùm nec precibus nec sententijs dicendis proficiamus? Hanc autem Querelam nostra hac inscriptione tibi quasi addicendā & cōsecrandam putaui. Quid igitur hoc nouę rei, dicat quis, ea quæ ad populū dicantur, scribanturúe, dedicari Regi? Mihi uerò, Rex, nec exempla multorum præstantium uirorum desunt, qui ipsi scripta sua uel de ijs rebus quæ tantùm in scholis doceantur, Regibus dedicare non dubitarunt: & ut hanc ad populum querelam tibi peculiariter inscriberem, illa causa fuit, quòd nullius magis atq; Regis interest, ea nosse, de quibus populus suus queratur, qui se suamq́ salutem illi commiserit. Præclaram enim accepimus rationem à uetustis scriptoribus Regum constitutorum, ut illi essent in Republica summi, in quos uniuersa multitudo potestatem suam transferret: ut iure æqualiter dicendo, ac iniurijs propulsandis, omnibus consulerent: ut saluti omnium ex æquo seruirent. Qui enim parti multitudinis consulerent, partem uel negligerent, uel leuius curarent, eos calamitatem machinari suæ Reipublicæ: seditionem in eam immittere, odia capitalia, cædes hominum, & cadauera. Ac mihi quidem sæpe ac multum cogitanti de hac hæresi tuæ Reipublicæ perniciosissima, quòd in ea hominum uitæ, turpi quæstui exponantur: de hac iuris inæqualitate, quòd aliorū mortes pluris, aliorum minoris uendantur: de hac legum absurda præscriptione,

quòd simile ob facinus alij morte, alij paucula pecunia mulctētur: etsi te à culpa tot peruersitatum abesse, ex multis mandatis, literis & sententijs in Senatu dictis certò scimus: tamen per mirum mihi uideri solet, non tanti tuam Regis authoritatem in tua Repub. esse, ut populis tuis ueritatem diuinam persuadere queas. Omnes suadendi rationes in hanc causam concurrunt. Res honestissima est, & diuinę ueritati & hominis dignitati cōsentanea, ne pecunia hominum uitæ æstimentur. Res utilissima est, & qua rectior fuerit uita uniuscuiusq;, ut homicidia pœna capitis uindicentur. Nec uerò rei efficiendæ facultas deest, incumbente ad hanc causam uoluntate tua, cum bonorum & doctorum omnium, cum multorum Principum ac Equitum, cumq; multò maximæ partis populorum tuorum uoluntate coniuncta. Cur igitur rem ad exitum perducere non potes? Cur tua authoritas est sacrosancta, si rei sacrosanctæ prodesse nequit? Mihi quidē Regia potestas in primis legi diuinę custodiendæ destinata esse uidetur. propterea enim & nomen suum cum illis communicat Deus, cùm eos deorum ac filiorum altissimi nominibus appellat: & suo numine ait eos regnare, cùm ita dicit, Per me reges regnant. Quamobrem & in nomen Dei iurant reges, cùm in regnum inaugurantur, ut significent nomine & uice Dei se regnaturos: & in templis publice osculantur uerba Dei, ut palàm omnibus faciant, nihil sibi prius in suo fungendo munere, nihilq; potius esse debere, Dei uoluntate. Declararunt id Reges permulti non Iudæorum tantum & Christianorum, sed & Ethnicorum: ut Nabuchodonosor & Darius, multis ante Christum natum seculis Persarum reges, qui edicta proposuerunt contra blasphemos Dei excelsi. Tua uerò hæc authoritas, Rex, cur tandem nullam rationem inire potest, ut ne toties blasphemetur Deus ab istis, qui per summā licentiam eius ueritatem impugnant? qui legem in tuos populos impiam, in Deum contumeliosam, adeò pręfractè tuentur? Nam illud quidem uerè mihi uideor esse dicturus, iurisiurādi religione, quod regno ineundo dedisti, te nullo modo obstrictum esse ad numationem defendendam. Quis enim ex Deo authoritatē habens, contra Dei authoritatem quicquam sine crimine defendat? Omnem potestatem à Deo dicit esse Paulus. An igitur aberit à culpa potestas, quæ aduersus eum à quo est, impia decreta scribat, defendatúe? Itaq; & iurisperiti in omni iureiurando illud exceptum esse uolunt, ut ne quid contra Deum fiat, agaturq;: quem scilicet testem inuocant iurantes, & uindicem imprecantur, si fidem datā fefellissent. Et dedisti tu quidē, Rex, illustria documenta uoluntatis in legem diuinam tuæ: sed tamen quid in te desiderent boni uiri, uelim liceat mihi paucis exponere. Hoc enim tu adhuc in hac causa præstitisti Reipub. quod priuatorū multi præstiterunt, & pręstare possunt. Nam quid concionatores in templis faciunt aliud improbanda numatione, quàm sententias dicunt? A' nobis etiam quoties iam scripto sententia dicta est? Nihil igitur inter tuas Regis, & nostras priuatorum sententias, nihil inter authoritates adhuc interest. Cur igitur potestas Regia summa est, si non plus potest hortando ad honesta, quàm priuatorum? Neq; uerò ego is sum, qui potestatem Regis censeam infinitam esse debere, quæ iudicio & arbitrio suo agat omnia quæcunq; uelit: tyrannis enim hæc esset, nō Regia potestas. Sed dico, potestatem Regis legibus sanciendis, in ijs quę uiri boni & docti recta esse sentiant, maximam & summam esse habendam. Non enim putandum est, hominibus doctis nullum debere esse locum in sententia dicenda in Rebusp. præsertim uerò in condendis ac emendandis legibus. Quis enim de legibus dicat aptius, quàm qui fontes & causas earum explicare, qui rationes inuestigare, qui ad illam Dei uoluntatem æternam (quæ & in scripturis diuinis, & in ipsa rerum natura nobis declaratur) omnia referre possit? Neq; uerò in Senatum cooptari uolo quenquam contra leges patrias:

trias: tametsi hoc de uiris doctrinæ excellentis si suaderem, non alienum dignitate reipub. suaderem. Sed non hoc hîc agitur. Illud tantùm dico, uocem publicam Theologorum in concionibus, & sententiam uniuscuiusque uel priuati hominis, testimonijs diuinis, naturæ ac populorum consentaneam, non aliter esse accipiendam, quàm uocem Dei de cœlo sonantem. Quid igitur est quod dubites uti authoritate tua, Rex, lege diuina perferenda? Conuoca, si placet, Theologos, conuoca legum diuinarum & humanarum peritos, conuoca philosophos. Roga, exquire, inuestiga, expiscare, quid de numatione Polonica sentiant, quid de pœna diuina: utram alteri præponendam statuat? Nam in quem usum tot homines docti habentur, si usus eorum nullus est in Repub? quòd si est usus aliquis, ubi potius is quàm in legibus condendis debet apparere? Mitto quorundam uirorum Principum, multorum etiam Equestris ordinis, optimorum hominum, sententias cum sententia diuina congruentes. Mitto populos tuos, quorum uoluntatem charissimam certè habere debes. De sola natione literatorũ hominum loquor, eorum authoritatem in legibus Reipub. dandis maximi faciendam esse confirmo. Qualis apud Athenienses, dum illa Respub. stetit, erat Thesmothetarum, quos omni anno semel de patrijs legibus conuenisse memoriæ proditum est: & si quæ mutanda, corrigenda, abroganda uidebantur, annotasse, et tandem ad Senatũ de hoc retulisse. Sed cùm nullos habeamus eiusmodi thesmothetas, si qui sint qui consulendi uideantur de legibus infirmandis mutandisúe, hi sunt profectò uiri literati: præsertim cum hæc res modicè eos qui uersantur in Repub. tangere uideatur. Enimuerò si ne hac quidem ratione res ad effectum deducetur, mirum est quorsum tandem euadet tanta legum diuinarum pugna cum numatione. Non putandum est, aliquem tanta prudentia fore, ut finem huic pugnæ, numatione salua, facere posſit. Magna res est: mentes & cogitationes omnium sana mente præditorum occupauit. Aut tibi tacendum erat, Rex perpetuò de numatione tollenda, neque hæc ueluti Camarina mouenda: aut quod te duce uacillare cœpit, id (nisi uis turbatam Remp. filio relinquere) extirpandum ac funditus tollendum est. Dedisti & mandatis & sententijs tuis occasionem omnibus impugnandæ numationis. ab hac nunquam desistent boni uiri, quibus dignitas Reip. cordi erit. Ne dubita multos esse & in Senatu, & in Equestri ordine, in reliqua uerò multitudine ferè omnes, qui ad tuam sententiam suas sententias adiungant. His si accedent suffragia literatorum, quid deerit tandem, quo minus lex & numero suffragiorum & bonitate præstans, iurè perferri posſit? Nam isti quidem, qui suæ salutis ac temeritatis maiorem putant quàm salutis communis rationem habendam esse, aut à suffragijs prorsus repellendi sunt (quibus ipsi se priuare uidentur, cùm se suis commodis, nõ Reip. consulere ostendunt) aut certè à lege hac diuina ita excipiendi, ut censuit olim excipiendos SIGISMVNDVS Augustus Rex inclytus, filius tuus. Cuius sententiã quoniam ex Lascio meo, quem tibi lectum esse scio, intellexisti, non uolo longior esse illa repetenda.

Hæc ego scribo ad te, Rex, lapidemque (ut uides) omnem mouere nõ cesso, ut rationem reperire posſim aliquam diuinæ legis constituendæ. Ad quam rem unicam curas & cogitationes meas omnes uideor quibusdam conferre, improbantibus quidem illis hoc meum institutum: sed me profectò diligentiæ huius meæ non pœnitet. Quòd si id facerẽt alij & doctrina & potestate præditi, mea quidem sententia non malè facerent. Verùm nemo adhuc eorum qui gerunt Remp. acriter in eam curam incumbere uisus est. Literatorũ etiam sententiæ parum efficaces sunt. Ita fit, ut tibi integra causa reseruata sit. Quamobrem quid tibi faciendum sit, uides. Hortatore nullo tibi ad eam rem opus esset, ad quam tua sponte alios hortatus sis, si te ipsum audire uelles. Sed nescio quo modo fiat, ut cõsilium tuum longè saluberrimum, adhuc

non sis executus. Aetas quidem hæc tua prouecta hortatur te, ne rem longius extrahas: utque aliquando extrema persequaris eorum quæ inchoasti. Domuisti Moschos: Scythas sæpe repressisti: Valachos intra suos se fines continere coegisti: Prutenos ad fidem tuam & clientelam reuocasti. Sed nisi cædes tuorum populorum re congruentes, æstimatione ualde differentes; nisi simultates ex illis ortas, nisi dissidium intestinum sustuleris, eaque omnia uerbo Dei tanquam gladio ancipiti dissecueris: erit quod & nos & omnis posteritas in te desideret: teque dicent fluctus excitare sciuisse, sedare nesciuisse. Fac igitur quamprimum, per Deum immortalem, quod facere debes. Cura, ut quos tibi annos ad ætatem accedere uidemus, eosdem ad communem omnium salutem prorogatos tibi sentiamus. Scis omnes populos fidei ac potestati tuæ creditos & commissos esse: omnium igitur salus ex æquo tibi tuenda est, ut omnium rationem ad tribunal summi Dei dare possis. Neque uerò sum nescius, quosdam esse qui uoluntatem & conatum hunc tuum exterminandæ numationis sint improbaturi. Etenim si stylus hic meus & studium mediocre ueritatis explicandę odium quorundam mihi conciliauit: uix puto fore, quin tu quoque in reprehensionem aliquorum incurras, cùm ad sententiæ dictionem tuam consilia acriora uoles addere. Verùm illud tibi considerandum est Rex, qualésnam hi reprehensores sint, quibusúe rebus assuefacti. Nam bonorum quidem multitudo, quæ certè non exigua est, tota tua est: qui uota quotidie faciunt, ut tibi uirtute ac potestate tua uti: utque ad effectum consilij & sententiæ tuæ, Reip. uerbis literisque tuis testificatæ, peruenire aliquando libeat. Illi igitur tantùm homines aduersi infestique tibi esse poterunt, qui uel cædibus aliorum se pascere, uel perniciem aliquibus machinari solent. Qui certè ipsi eiusmodi sunt, ut nec amicitia eorum ulli bono expetenda sit, & inimicitiæ bonis omnibus appetendæ: probra etiam, si qua ab eis proficiscantur, & ærumnæ tolerandæ: CHRISTI uidelicet & uirorum præstantium exemplo, qui persecutiones & miserias iusticiæ & ueritatis causa perferebant, omnesque calamitates cum ea quam expectabant gloria libenter compensabant. Quòd si, qui ad CHRISTVM uenire uolunt, abnegare semetipsos iubentur: crucem suam tollere: perdere animam suam in hoc mundo: prò sancte Deus, quàm optabiliter ab omnibus omnes cruces, omnesque mortes propter ueritatem summi Dei essent tolerandæ? Quòd si tu adhuc, Rex, in hac causa pergis remissior esse: si consilium tuum salubre & prorsus diuinum adhuc exequi non curas: time, ne pœnam neglecti officij à te & à tuo genere repetat Deus. & id quidem eo magis, quòd cùm ueritatem habeas satis perspectam, parum acer es in ea exequenda. Seruus enim, ut CHRISTVS testatur, sciens uoluntatem Domini, uapulabit plagis multis. Seruiuit Ioachim rex Iuda, Nabuchodonosori regi Babylonio: populusque eius, propter scelera Manasse (ut narrat historia) & propter homicidia abductus & afflictus erat. Ioachim etiam filius, ipse quoque patre mortuo, rex Iuda, in captiuitatem Babylonicam cum matre, principibus & populi multitudine, propter scelera quibus imitabatur patrem, abductus est. Christiernus Danorum rex, propter tyrannidem memoria nostra regno pulsus est. Perijt miserè Ludouicus nepos tuus, rex Hungarorum, propter officium ætatis lapsu neglectum. Hæc & similia exempla iræ diuinæ te tibi proponere æquum est: ac in hac postrema ætate tua, ea quæ prius neglecta sunt, corrigere: ne in aliquos luctus incidas tu, & soboles tua. Vide igitur Rex, ne contemnas lenitatem Dei, qui te multis modis iampridem uocat ad legem suam. Præluxit menti tuæ uerbo suo, excitauit & Theologos, & multos uiros ex omnibus ordinibus regni tui: qui tibi ueluti calcaria addant, ad rem præclaram currenti. Itaque uide, ne accumules tibi iram & ultionem Dei uel in hac uita, uel in futura, si negligis tot amplas & prolixas admonitiones.

Neque

Neque ego (uere ut dicam) uideo quid tua consilia retardare possit ab hac lege ferenda, nisi quòd offendere nō audes istos numationis defensores. Verùm, tuum est Rex, meminisse, tuam hanc potestatem (ut testatur Paulus) à summo Deo esse. Quid autem homini Principi antiquius esse debet, quàm hominum sermonibus & præmijs contemptis, consilia & facta sua Deo approbare: à quo nactus sit principatum, factusque sit inter mortales augustus & uenerabilis? Incurret fortasse in odia turbulentorum hominum. At quanti est, bonis uiris, quanti prudentibus omnibus placere: quanti, ad cōmunem naturæ sensum & totius orbis uoluntatem se conuertere: quanti denique, cum Dei immortalis ac cœlestium omnium sententia atque suffragijs cōsentire? Quem quidem Deum, ne dubita cum uniuersis cœlicolis tibi adfuturum: omnesque hostes eius & portas ipsas inferorum tibi esse cessuras, cùm rem strenuè eris aggressus. Multos dies uidimus tibi ualdè gloriosos, Rex: sed hunc tibi profectò gloriosissimum fore ad immortalitatem non dubitamus, cùm numatione cōculcata, lex Dei in Christiana Rep. per te regnare cœperit. O' ue rè fœlicem illū diem, & tuis rebus clarissimis annumerandum, cùm populi tui uniuersi communem te sibi patrem uerè agnoscent: inueteratamque istam hydram à te confectam uidebunt: cùm tibi à cuncta aula cœlesti dere præclarè gesta mirificus plausus erit datus: cùm hunc ueluti supremum facies gradum, unde ex hoc regno ascendas ad cœleste regnum. Nulla re magis ad Deum accedere potes, Rex, quàm si ex illius præscripto quàm maximè Remp. tuam administres: nulla re magis ab institutis illius discedere, quàm cam legem, quæ te alijs iudicem seuerissimum, alijs similem ob culpam patrem facit indulgentissimum, usurpando.

Vale. Calend. April. M. D. XL. VI. Brezinijs.

AD SIGISMVNDVM SECVNDVM AVGVSTVM REGEM POLONIAE, ANDREAE FRICII MODREuij in eandem Querelam de contemptione legis Diuinæ in homicidas, altera Præfatio.

QVAE causa mihi fuit, SIGISMVNDE Auguste Rex, ut Querelam meā de cōtemptione legis Diuinæ in homicidas, parenti tuo, Regi multis rebus gestis illustrissimo, peculiariter dedicarem: eadem me hortata est, ut eam tibi transmittendam putarem. Cùm enim huius quasi fabulæ meæ actum primum à Lascio repræsentatum tibi consecrassem: existimaui hunc postremum actum dignum esse cognitione tua, atque utinam hanc cognitionem ipsam digna quoque actio aliquando consequatur. Manca enim & debilis putatur, sine actione, cognitio omnis. Toties uos & uirtutem uestram hortando ac monendo uoce scriptisque incitamus: Legem Diuinam uestris oculis subijcimus: calamitates tanquam procellas impendentes ex prædictis diuinis annunciamus. Neque uerò id nostra sponte facimus: uterque dedistis, tu cum patre tuo, occasionem numationis impugnandæ. In hanc concionatores ecclesiarum uestrarum grauiter inuehuntur: hanc homines literati ex scholis suis conuicijs explodunt: hanc ciues & omnes uiri honesti clamoribus & sibilis conscindere non cessant.


cessant. & tamen regnat adhuc numatio, te & patre tuo inuito: Theologis & iurisperitis aduersantibus: literatis & doctis omnibus contradicentibus: multis principibus tuis, innumeris Equestris ordinis uiris, plebe ac omnibus ciuibus tuis obstrepentibus. O miras radices huius turpitudinis: O uestram, qui Remp. gubernatis, ignauiam. Qui Vilna ad nos proximis diebus uenerunt, narrant, MATHIAM *Bessekirium, familiarem meum, uirum nobilem, & optimis uirtutibus præditum, ab illis ipsis in medio foro esse occisum, de quibus ille fratris sui Ioannis Bessekirij presbyteri necem moribus & iudicijs uolebat uindicari. In ea inquam urbe, luce & palàm in foro esse occisum, ubi tu Rex nunc es cum potestate, nulla habita est ratio tui, nulla loci, nulla temporis. Quid igitur ius ualet? quid iudicia? quæ uires sunt numationis? quæ carceris annui? An iste finis erat tot sumptuum, tot itinerum, tot uigiliarum, tot laborum à Bessekirio, iuris in homicidas persequendi causa exhaustorum, ut tandem ab interfectoribus fratris sui interficeretur? Quid iam tu Mathia Besse.:iri, si qua fata te nobis restituerent, diceres de numatione? an adhuc eam conseruatam, an potius fratris interfectores actutum de medio olim sublatos fuisse uelles? Quis enim iam pœnas à tuis & fraternis homicidis iudicio persequetur, nisi fortè qui se quoque ab eis uult interemptũ? grassabuntur enim illi indies magis: non legibus uincientur: non à magistratu interficientur: numi ab illis soluendi expectabuntur, & fortè carceres aliquot hebdomadarum. Occiderunt fratrem tuum sub meridiem ferè, in ipsis pomerijs Lancicienfibus. occiderunt te illi ijdem sole clarissimo, in urbe frequentissima, tantùm non in Regis conspectu. occident adhuc tot, quot poterunt. Diabolo enim suo & homicidorum omnium duce, hanc mentem uoluntatemque susceperunt, ut quando magistratus nec uult nec potest de illis debitas sumere pœnas, ipsi de alijs sumant indebitas. Hæc ego de duobus Bessekirijs narro, Rex, quæ de multis hominibus recens necatis narrare possem. Tanta enim est impunitas cædium in his prouincijs tuis, ut sine ullo respectu uel loci uel temporis, uel personarũ, passim homicidæ quoslibet interficiant. Quid autem interea agunt tui magistratus? an in homicidas inquirunt? an eos persequuntur? an mortes populorum tuorum ultum eunt? Non te accuso, Rex. constanti enim fama & sermonibus multorum celebratur, te, nece Bessekirij cognita, uehementer commotum fuisse: moxque ad aliquot millia equitum in omnia itinera, totidem etiam peditum in lustra deuia & in syluas densissimas circumcirca misisse: præmiaque ijs qui homicidarum aliquem adduxissent, proposuisse. in Liuoniam etiam idem te significari iussisse: si fortè ibi inueniri & cõprehendi homicidæ possent. Hanc ego uigilantiã singularem & solicitudinem tuã, tantũ abest ut accusem, ut eam singularibus laudib. dignissimã iudicem. Sed de magna multorũ præfectûm tuorũ negligentia loquor. Eos enim quiduis magis curare uidemus, quàm ut uel homicidia in oppidis pagisque prohibeant, uel aliquid temporis sumptuumue homicidis quærendis tribuant. Allatum ad nos est non ita pridem de Polono quodam, in Germania à suo ministro nocte intempesta occiso. deferebatur res eodem temporis momento ad magistratum: mittebantur lictores, qui homicidam quærerent: ac de more etiam gentis omnes patresfamilias*

liàs quisque ædes suas diligenter lustrabant. Verùm ne musca quidem homicida apparuit. Mirum hoc erat omnibus, homicidam in nullis ædibus, in nullis uscis, nullis in angulis, urbe, ut fit noctu, clausa repertum esse. Altera itaque die, aurora rubescente, mox equites mittuntur, qui & ipsi homicidam persequantur: & uillanos castellanosq́ circumquaque, signis quibus cognosci possit datis, in eam rem intentos esse iubeant. Paucis tandem diebus, paucisq́ ab ea urbe ubi homicidium perpetratum est miliaribus, homicida comprehensus, ac morte tandem, uti Deus præcepit, mulctatus est. Qui de ratione fugæ rogatus, dixit, se in curru aurigæ cuiusdam, tela, ut fit, tecto totam noctem delituisse: ac deinde sub auroram, ab auriga imprudente euectum esse. Mirum uerò quanta diligentia illæ gentes, quæ iure diuino gaudent, omnia uestigia scrutentur, ut ne euadat homicida. nos contrà, mirum quàm desides simus & quærendis homicidis, & persequendis. Solos nummos expetimus: mortes amicorum lucrosas nobis esse uolumus: de carcere non nisi moris conseruandi causa solliciti sumus. Quamdiu igitur patieris, Rex, hanc hydram crescere? Me quidem & uerba & res iam deficiunt ad tantam turpitudinem exaggerandam. Toties argumentis certissimis demonstraui, legi diuinæ in Rep. Christiana locum esse debere: sed adeò sunt obsessæ aures istorum qui Remp. tenent, ut uocem naturæ, populorum omnium, ac Dei immortalis exaudire non possint. Quid igitur iam superest, nisi ut Deo opt. max. suam causam, ab hominibus desertam, committamus. Cum quo si quid tibi commune est Rex, si potestatem illius ad te translatam, aut potius tecum communicatam putas: si ab illo regni tui stabilimentum expectas: conuerte te aliquando ad eam curam, ut te cum eius causa à quo nactus es principatum, coniungas: ut legem eius, cuius partes suscepisti, tuo populo restituas: ut tandem illi Regi regum potentissimo in loco filij sis optatissimi, inq́ numero eorum qui uicariam bonamq́ fidem præstant Domino suo. Ad extremum, abs te Rex etiam atque etiam peto, ut & Querelam ad populum meam, & Epistolam ad parentem tuum legi tibi iubeas: atq; omnia quæ ibi scripta sunt, ad te pertinere putes. Vale.

XII. Calend. Iul. M. D. XLVI.

Cracouiæ.

AD POPVLVM PLEBEM'QVE POLONAM, ANDREAE FRICII MODREVII QVERELA DE CONTEMPTIONE LEGIS DIVINAE IN HOMICIDAS: cui adiuncta est Oratio IIII, ad Deum: ex Psalmis Dauidicis composita.



CVM annis superioribus de ea homicidij pœna, quæ noxiæ par esset, & scripsissem, & cum Senatu, pontificibus, presbyteris, omnibusq; ordinibus egissem: in magnam spem ueniebam, orationi nostræ eum fore in hac Repub. locum, qui rei optatissimæ & gratiosissimæ esse deberet. Quid enim optatius, & magis gratiosum debet esse uniuersæ multitudini, quàm quòd ad uitam uniuscuiusq; tuendam pertineat? præsertim si id fit quod à diuinis oraculis, à legibus populorũ omniũ, & ab ipsa naturę uoce proficiscatur. Augebat spem nostrã præclara Regis uoluntas, ac mirificus multorũ Principum & omniũ bonorũ consensus. Sed me spes meę fefellerũt omnes. Iacet adhuc lex Dei immortalis, numationis nostræ pedibus fœdißimè cõculcata. obscuratur lux illa ueritatis diuinę, densißimis tenebris impietatis nostrę: pellitur iusticia ęterna, importunitate hominũ peruersorum. Quę aũt causa putanda est tantę peruersitatis? Legem ipsam quã suademus si expendas, pfectò est eiusmodi, quæ tum ad Dei honorẽ amplißima, tum ad nostrã hominum uitã tegendam utilißima uideri poßit. Neq; uerò obscurum est, quàm in ea negligenda multa peccentur. Cui enim licentiã hanc infinitam hominũ & necandorum, & iniurijs afficiendorum, magis quàm contemptioni legis Diuinæ acceptã referamus? ad quã quidem legem sanciendã, quanta nobis facultas iampridem offertur? Primùm enim, quanti hoc est putandum, quòd Regem habemus, qui & summa uolũtate ad eam perferendã incumbat, & ad id suos populos sedulò adhortetur? Deinde, & in Senatu & in omnibus regni ordinibus optimi quiq; numationem nostrã detestantur: legem aũt Dei in Remp. Christianã recipi optant. Quid igitur putamus impedimẽto esse, quo minus recipiatur, nisi quasdam pestes hominũ uel in cædes nefarias incumbentium, uel ex cędibus aliorũ facientium quæstum? Etenim sic mores hominũ sceleratorum sunt, ut & cõmodi spe, & cupiditate ultionis, omnem honestatem, omnes diuinas populorumq; leges de Repub. expulsas uelint. Nam eis & ultio instar uitæ, et lucri (ut inquit ille) bonus est odor ex re qualibet. Hæ sunt illis uerißimæ causæ, cur pœnã in homicidas diuinam ab hac Rep. arcendam esse putent. Has pluris faciunt, quàm bonorum hominũ iudicia, quàm leges populorum, quàm Dei ipsius uerba.

uerba. Non eos pudet leuitatis ac temeritatis suæ: non uerentur reprehensiones bonorum atq; prudentum: non metuunt iudicia nationum exterarum: non extimescunt pœnas læsæ maiestatis Diuinæ. Quemadmodum autem ueteri prouerbio dicitur, eos aulœdos fieri qui citharœdi esse nequeant: sic ego, qui oratoris munere, lege diuina suadenda, parū fœliciter functus sum, ad deplorandum eius legis contemptionem, temporumq; ac hominum iniquitatem cogor descendere. Et quoniā orationes nostrę ad eos qui pręcipua sunt membra huius Reip. frustra sunt habitę: uobiscum, qui nullas eius administrandæ attingitis partes, has querelas, huncq; luctum nostrum communicandum putaui. Prius homines summos nostra uoce appellabamus, qui & iudicium facere possent nostrarum orationum, & quod è Rep. magis iudicarent, cōstituere: uerùm illis hę ueluti epulę cogitationum nostrarum nihil sapiebant. Quosdam agri studium, (ut est in parabola Euangelica) alios boum cura, nōnullos uxor & liberi, alios alia studia à cœnula nostra abduxerunt. Tametsi nō nostra hæc est cœnula, non nostræ epulæ: sed diuinę, & ab ipso Deo immortali uniuerso generi hominum apparatæ. Ad eas igitur uos, qui procul ab aula & à curia estis, qui non in luce Reip. uersamini, sed ueluti in uicis, plateis & sepibus, inuitādos putaui. Neq; sperare debetis uos hilarè atq; ampliter acceptū iri: alterius hæc sunt temporis, non huius. Ad domū luctus uos inuitamus: ad cœnā, in qua cibi cum fletu sunt miscendi. Non omnia omni tempore conueniunt: est tempus gaudij, est tempus luctus. Lætari olim poteramus, cùm spes nobis aliqua ostentabatur rerū meliorū. Nunc desperatis illis, quid aliud quàm flendū est? Sed tamen ne putemus ꝑpetuò lugendū esse, cōsolabimur nos CHRISTI promissis, qui laborantes & oneratos uocat ad se: se enim illos refecturū. O' Domine IESV, qui lugētes beatos esse dixisti, hisq; ipsis cōsolationem promisisti, suppliciter te rogamus, ad sis luctui nostro, oculosq; misericordię tuę ad nos cōuerte. Et quamuis te mandatis tuis uiolādis, modis infinitis offendimus: tamē quęsumus te, ut uel id nobis benignè ignoscas: uel nos mitius castiges, ꝙ ista legis tuæ quasi luminis à nobis ablatione. Nō tam nos Domine nostra ipsorum calamitas affligit (quæ tamen tanta est, ut uix maior in genus mortaliū immitti potuerit hac nūdinatione uitarū nostrarū:) illud est quod nos incredibiliter angit & cruciat, hominum qui cum potestate sunt, uel neglectio summa in restituenda lege tua, uel temeritas incredibilis in eadem illa oppugnanda. Vides enim Domine, quot sunt qui lationem legis tuæ impediāt, qui, & quanti? quamq; uarijs tormentis eam impugnent? Quorū alij ardent summa cupiditate humani sanguinis effundendi: quidam urgentur amore incredibili rei faciendę ex hominū carnificina: nōnulli uerò partium studiosi, mallent omnia extrema perferre, ꝙ ut de fama nominis

sui,

sui,ac potius temeritatis in defendenda numatione semel susceptæ, aliquid detrahi patiatur. Et cum his quidē omnibus quid agamus, in quibus perturbationes plus regnant ꝙ rationes ullæ? Qui enim se affectionibus totos permiserūt regendos, apud eos nec ratio habet locū ullum, nec Dei respectus, nec hominū pudor. Viget apud illos fabula Ascræi poetę, qui Pudorē & Nemesin deas facit, ab hominibus cōtemptas, ad cœlos ascendisse. Quis enim apud istos, in quibus est tam auersa à recta ratione commotio, uel pudor esse potest, uel metus uindictæ? qui contra legem diuinam, contra omnes honesti causas, cōtra naturæ uocem obduruerūt? intantum quidē, ut hæc omnia contemnenda putent, partim utilitatis causa, quā ex mortibus aliorū percipiant: partim ultionis cupiditate: partim uerò partium cōtentione? Quòd si isti ipsi putāt res ex sententia sua geri debere: quo tandē animo existimāt bonos uiros id ferre? quis enim probus ad tantam imperandi licentiam non ingemiscat? quis non ardeat dolore? quis non angatur, numerari istorum sententias magis, quàm contrarias ponderari? Quis æquo animo ferat, honestis uiris uirtute sua in ferendis sententijs uti non licere? Quid est enim quòd propugnatores numationis pro se afferre posśint cōtra Dei ueritatem? quid? nisi nolle se à maiorū decretis discedere. Qui sunt igitur maiores isti? qui & quanti? quibus studijs præditi? qua prudētia singulari? plura uiderūt, legerūt, experti sunt, ꝙ nos uidimus, legimus, experti sumus? Bellicis quidē laudibus uideo maiores nostros abūdare. Loquūtur id & annales nostri, & rerū gestarum innumera monimēta: prudentiā uerò legū ferendarū quis nostrûm illis tribuat, qui pleraꝗ ab illis constituta aut tollamus, aut emendemus? Ac ne longius discedā à causa, an nō hoc ipsum, rudes illos in legibus cōdendis fuisse, nec satis à doctrina instructos, magno argumento est, ꝙ hanc numationem non modò contra Deum (quod ipsum per se scelus inexpiabile est) uerumetiā contra rerum naturā, contra leges populorum, cōtraꝗ opiniones omnium instituerūt. In quo cùm pudendi magis ꝙ suspiciendi bonis & prudentibus uiris uideantur: tamen permirum est, laudari in hoc à multis nostrorum, prudentiā illorum. Illud uerò quis perinde ut res postulat, mirari posśit: quòd cùm multa maiorum decreta ab hominibus nostris omni ferè annò infirmentur & abrogentur: tamen soli numationi tantus honos tribuatur, ut in ea prudentiā maiorum singulari prædicatione efferant. O' magnā iudicij prauitatem, si id ex animo faciūt: ò incredibilem morū peruersitatem, si prudētiam maiorū insolenti suæ cupiditati prętexant. Nam quid hoc per Deū immortalem monstri est, sectari maiorū uitiosas leges: legē autem Dei sanctā detestari? Omnes qui imitari student patres ac maiores suos, eniti debent, ut uitijs exceptis, ea quæ cum uirtutis laude coniuncta sunt, imitentur: nostri Equites multis uirtutib. patrijs præ-

teritis,

teritis, nihil æquè ac numationē exosculantur. Atqui decebat nos multis rebus exercitos, in rerum magna uarietate uersatos, melius multo sapere quàm maiores nostros: idq; studere, ut ea minoribus nostris relinqueremus, unde illi nos iustioribus causis in loco maiorū & haberent, & imitarent. Illud uerò quo tandē animo ferendū putamus, cùm quidā equitū suos maiores sanguine in prælijs profuso id ꝑmeritos dictitāt, ut sua mors morte à plebeijs, plebeiorū uerò pecunia à nobilibus solueretur? Quasi uerò nobilitas tantùm effuderit sanguinē in pręlijs, nō etiā plebeij: cùm tamē maior multo exercitus pars cōstet semper ex plebeijs, quàm nobilib. Sed fac solos nobiles pro Rep. gerere bella. quid igitur? ideò bellū cum hoste geritis, ut tandem plebi nefarias cędes indicatis? ut tyrannidem domi semper exerceatis? ut in plebeios perpetuò insultetis? Fuit, fuit tempus illud, cùm uiri fortes nō aliā mercedem laborū & periculorum suorū sequerentur, quàm uirtutis laudem & gloriam. Narrāt Romanę historię, Paulū Æmilium, uirū fortissimum, nihil pro reb. fortiter gestis in domū suā intulisse, præter memoriā nominis sempiternā. Idem de Africanis, & de multis uiris pręstantibus: quorū uirtutes ad immortalitatē & memoriā hominum cōsecratas uidemus. Contrà nostri equites turpem mercedē iactāt uirtutis uel suæ, uel suorū maiorū. Aiunt ideò se cū hoste gerere bella, ut ad libidinem suā lex figatur, qua & terrori sint plebeȷs, et ad perniciem eorū incumbāt: ut uita sua tuta, ciues interficiāt: eorū uerò cędem pecunia soluāt: ut legem diuinā è Rep. Christiana exterminent: ut suo scelere religionem summi Dei polluāt. Vtinam Deus fecisset, ut uel nunquā bellassent, uel uicti potius succubuissent, quàm hāc mercedē cum tāta turpitudine coniunctā flagitassent. Sed sunt q elegātius, ut sibi uidenť, impugnēt legē diuinā: quòd si illa cōstitueretur, pleriq; homicidę metu mortis pręsentis ad Turcā cōcederent: cui cōsilia, bello nos impetendi, facilè suggererent. Et hic quidē quasi portus & perfugiū quibusdā honestū esse uideť: quē in portū numatio uel ab alijs portubus reiecta, tutò se recipere possit. Ego uerò hūc ipsum scopulū esse magis existimem, ad quē numatio si appellať, naufragiū sit ibi extremū factura. Quod dū conor ostēdere, uelim me attentis animis et cū benignitate audiatis. Quid aitis numationis defensores? Homicidę metu mortis fugiēt ad Turcā. Itáne uerò? Cur igitur nō fugiūt etiā metu carceris annui? Cur numos ꝓ capite debitos nō potius cōuertunt in pręclarā istam profectionē? utinam quidē in animum inducāt fugere et illi, & omnes societatis humanę pestes, ad illam Christiani nominis pestem. Magna contagione existimarem Rempub. nostram liberatum iri. Cogimur enim cum homicidis communicare mensam, forum, cōmoda omnia: cogimur cum eis cōmiscere congressus, tecta, consilia: cogimur eadem cum eis Dei im-

immortalis ingredi templa: cogimur eos sæpe iudices pati, eorumque sententias in nos audire. His tot improbitatibus, tot authoramentis seruitutis, quæ Remp. iampridē respirare non sinunt, utinā uel fuga (quādo aliter nō licet) homicidarū liberemur. Cur aūt nemo homicidarū adduxit adhuc Turcas nec in Italiā, nec in Galliam, nec in Angliā, apud quas gentes capitalis pœna cōstituta est homicidis? Erat quidā fur & grassator insignis, memoria superiore, nō ignobili loco natus. huius igitur causa & lex de furib. suspēdendis, & alia de publicis grassatorib. capite plectēdis, abrogādæ erant. Scilicet periculū erat, ne homo nobilis, impiger, locorū ad bellum faciendum apud nos peritus, uirium & consiliorū Polonicorum non ignarus, ad Turcam fugeret: ac tandem ulciscēdi sui causa Turcas in nos adduceret. O' ignauam numationis defensionem. Metuitis ne, si ueritas diuina regnaret, adducant in nos Turcā homines homicidæ: Deum non metuitis, qui non tantum Turcas & Scythas immittere, sed & animam cum corpore perdere, & pœnis æternis addicere posit legis suæ contemptores. Et hunc quidē belli Turcici metum opponunt quidam, scilicet legis diuinæ lationem dissuadentes. Ego contrà ostendo non modò hanc nullam esse causam excludendæ legis diuinæ: sed potius & hanc ipsam numationē, & alias quasdam iustiores causas esse alicuius belli impendentis. Mitto effata fatidicorum. tametsi non neminem astrologorum prędixisse uideor recordari anni Christi nescio cuius, sed tamen qui ad hunc annum propè adsit, dubiam esse & ancipitē huic regno quasi fatorū uiam. Sed astrologos missos faciamus. Prętereamus & superbiloquentiā istam Turcicam, quæ quasi bellicum canere non immeritò quibusdam uidetur: utpote qua illi & rebus à nobis impudenter repetendis, & suis uictorijs insolenter iactandis, nimio plus utantur. Illa illa signa belli impendentis multo certiora ex prædictis diuinis notantur: contemptio summa præceptorum Dei, quæ quidem non ullo quæsito colore, sed iniuria & tyrannide ab hac Repub. arcentur: impunitas cædium: licentia periuriorum: iudiciorum peruersitas. Non erat, quod sciam, ullum tempus, quo tanta libertate boni omnes in hęc uitia & priuatim & publicè inueherētur: sed surdi sumus ad eorum uoces. Multis calamitatibus afflixit Deus his annis prouincias nostras, & subito locustarum aduētu, & frugum malo prouentu, & pestilentia, & eluuionibus, & exustionibus. Sed induratū est tanquam Pharaonis cor nostrum. præferimus adhuc maiorum nostrorum deliria decretis diuinis. Placet nobis lex quæstuosa: non uidemus quantam secum trahat pestem flagitiorum: nō mouemur magnitudine periculorū. Quid igitur putamus restare aliud, quàm ut Deus horrendo & crudelissimo bello implicet nos: ut nos ibi quasi in mari cū Pharaone mersos partim occidat, partim trāsferat in ser-

in seruitutem sempiternam, terrasq; nostras uastet. Impiè hæc aliquis à me putet prædici patriæ nostræ: sed profectò nec sine oraculis diuinis, & cum quadam ratione. Quam enim restare plagam nobis putamus, qui superioribus nihilo facti sumus emendatiores? an hunc plagarum ordinem atq; numerū & in historijs notatum, & à prophetis descriptum nō uidemus? ut cùm per Amos prophetam ita Dominus loquitur: Percussi uos uento urente & ærugine: multitudinem hortorum & uinearum uestrarum, oliueta & ficeta uestra comedit eruca, & non redijstis ad me. immisi in uos pestilentiā: percussi gladio iuuenes uestros usq; ad captiuitatem equorum uestrorum, & ascēdere feci fœtorem castrorū uestrorum in nares uestras, & non redijstis ad me. Subuerti uos sicut Sodomā & Gomorrhā, & non redijstis ad me, dicit Dominus. Hęc quidē & similia uerba si cum animis nostris reputemus, sicq; plagas quibus Deus ciuitates & prouincias afflixit nostras, non oscitanter perpendamus, an metu belli impendentis uacui esse poterimus? an Deum sperabimus plagarum modum adhibiturum, cùm ipsi nullum adhibeamus modum iniquitati? an putabimus, illum belli nostri optatum finem facturum, cùm nos ipsi nullū uitijs nostris finem faciamus? Ad quod quidem bellum uos ex fundis & reditibus uestris, uel stipendium pendere, uel militem mittere debetis. Ego uerò nullo modo sum is, qui uituperem hanc uoluntatem uestram defendendæ Reip. Et ratio id suadet, & Deus mandat, ut cui tributum debetur, ei tributum pendatur: cui uectigal, ei uectigal. Sed uidete tamē, ne fiat hoc Deo irato, dum cōtra externos hostes pugnare uolumus, domesticis hostibus non prius expugnatis. Erat illa quondam uirtus, ut honestissimi atq; fortissimi uiri prius domesticam sceleratorum importunitatem coercendam putarent, quàm externum hostem bello impeterent. Neq; enim putabant rem foris fœliciter geri posse, nisi intestina pernicie primùm sublata. Qui igitur hostes domestici maiores putandi sunt, qui domi magis Remp. affligant & perturbent, q̃ qui hanc tuentur legem, cuius obtentu multi dextras impias ad infinitas cædes conuertere audent? Hi igitur ipsi habendi sunt cædium authores, legum honestarum inimici, disciplinæ euersores. Hæc ego apud uos disserēdo, uideor fortasse non nemini uestrûm iusto longior esse: sed uelim tamen ut me adhuc æquis animis, ut cœpistis, audiatis. dabit enim à me opera, ut nihil sine causa dicamus, nihilq; à proposito discedamus. Profectò nihil nobis tam pertimescēdum uidetur, non gens, non natio, non isti ad Turcam transfugitu ri, quorum metus prætexitur numationi retinendæ, non ullum externum periculum: quàm hoc inclusum malum, intestinum ac domesticum, legis diuinæ oppugnandæ. Non solebant ueteres rem bellicam nisi auspicatò administrare. nam si quid contra auspicia

aggressi fuissent, cladem sibi certam futuram putabant. Quod aũt nobis certius signum cladis esse potest, quàm hæc tyrannis & summa crudelitas legis Dei ex nostris finibus propulsandæ? an hoc nõ est auspicium funestum? an in aliquã spem belli fœliciter gerẽdi ingredi possumus? Stulti sumus profectò, qui putemus hostem à nobis uinci posse, per quem Deus nos tantos in legẽ suam tyrãnos statuit punire. Persequemini inimicos uestros, dicit Deus, si præcepta mea obseruaueritis: quinq; uestrûm persequẽtur centũ alienos, & centum decem milia. Contrà, si pręcepta neglexeritis mea, dispergã uos in gentes: educã in uos gladiũ meum, terramq; uestram faciam desertã. Hæc sunt, hæc arma præcipua in hostes nostros, pręceptorum Dei obseruatio. his armis defecti, sperare desinamus omnẽ uictoriã. Tu igitur, dicat aliquis, à bellò gerẽdo nos prorsus deterres? Quãdo enim hoc erit, ut homines præceptis diuinis ita pareãt, itaq; ea obseruent, ut non multis uitijs inquinentur? Ego uerò uellem omnes quàm maximè posse obsequi uoluntati diuinę. Neq; dubitarẽ ita obsequentibus, certam de hoste uictoriam polliceri: quemadmodum Deus ipsemet pollicetur. Quin etiam ne istorũ quidem de hoste desperarem uictoriam, qui in Deum fragilitate humana peccẽt. Cæterùm, quis nõ deterreat à bello istos, qui nõ fragilitate, sed summo scelere legi Dei aduersantur? Qua enim consciẽtia putatis istos in aciem descensuros? Nunquam obliuisci possum lacrymarum uiri fortissimi HIERONYMI LASCII, quas princeps ille, paucis antè diebus quàm ex hac uita migrasset, cõmemoranda hac numatione profundebat. Intelligebã hominẽ morti uicinũ sibi fuisse conscium nonnullius culpæ, quam olim uel in corroboranda numatione, uel in omittenda occasione suadendæ legis diuinæ cõtraxisset. Ac non dubito quin, si diutius uixisset, eam de lege diuina sententiã in Senatu dixisset, ut extitisset eius cõscientiæ testimoniũ in hac Rep. sempiternum. Istos igitur inquam, quorum culpa factũ est, quominus lex Dei acciperetẽ: istos deniq;, qui impiũ eorum conatũ, cum possent, pro uirili parte nõ impediuerũt, qua conscientia putatis in aciẽ descensuros? Sint illi fortitudine pręstanti, sint animi magnitudine singulari: profectò ubi gladijs ac bombardis se peti uidebũt, fieri non potest quin uiribus concidant, ipsamq; uictoriã sibi è manibus eripi sinant. Stimulabũt eos cõscientiæ rei pessimè actæ: ardẽtes faces eis intentabũt: gladios & omnia arma è manibus excutient: reposcet tum Deus ab istis Caymis sanguinẽ Abelũ, per scelus effusum. Iam quid ijs fiet, qui cùm se pręclara cõscientia sustentare possent, tamen sciant sibi unà cum impijs in acie esse oportere? an non metuent sibi ab umbra impiorum? Certè, si sapient, metuere debebunt. Etenim qui cum latrone militat, latronis pœnæ sit socius oportet: & qui in acie uersatur cum homine scelerato, cum eo communem

subeat

subeat fortunã necesse est. Id quòd cùm in multis historijs, tum prę-cipuè in sacra uidere licet. ubi Saule rege propter iniquitatẽ, ut narrat historia, interempto, interierunt simul cum eo Ionathas, & alij filij innocẽtes. Ita illi paternæ culpæ exortes, mortis participes fuere propter armorũ societatem. Quid quòd Saul, etiamsi populũ Dei defenderet, legem, ceremonias, & totam illam Iudaicam politiã: tamen ob iniquitatem non minus quàm Goliath ille de castris Philistinorum, hostium populi Dei, est damnatus. Verba igitur omnia diuina sint prius falsa oportet, quàm ut ego credam, tali duce, tali milite, tali pópulo, Remp. istam defendi posse. Quòd si ad hunc diem bella aliqua, salua numatione, prosperè gessimus, immensæ Dei bonitati tribuendum est. cęcus enim tunc mundus erat. nulli doctores àpud nos audiebantur, qui uel numationẽ improbarent, uel legem diuinam ex sacris literis recitarent. Nunc uerò quæ spes potest esse belli fœliciter gerendi, cùm ad clarissimũ lumen legis diuinæ uolentes scientesq; oculos claudimus? an non digni sumus quibus & oculi eruãtur, & bona mens eripiatur, & mala omnia immittãtur? Quę certè iamiã impendẽtia si quis animo nõ cernat, hunc ego iudico hominem stupidiss[illegible]. Nunciantur enim uerbis diuinis: prædicũtur ab hominib. theologis: præsentiuntur à prudentib. omnibus. unusquisq; bonorũ pro sua parte curationẽ tot malis intestinis uult adhibere. Et quemadmodũ morbis crescentib. industriã hominũ qui medeantur, extare oportet maiorem: ita uitijs hominũ ingrauescentibus exoriãtur multi necesse est, qui reprimãt, coerceant, corrigãt, calamitates impendẽtes nunciẽt. Quòd cùm in omni natione, tum præcipuè in Iudaica accidisse uidemus: apud quos tum plures prophetæ & doctores, cùm homines plurib. flagitijs cooperti essent, diuinitùs excitabãtur. Idq; erat signũ mali breui impendẽtis, cùm homines rectè præcipientibus non obtemperabant. Nunquã adhuc accidit memoria nostra, ut tanta bonorũ omnium conspiratio esset in numatione reprehendenda. Sed tantus est ueternus, qui eos homines qui cũ potestate sunt occupauit, ut quo magis excitanť, hoc magis indormiãt tantæ causę. Quòd igitur signũ potest esse certius cladis breui secuturæ? Quis nos liberabit ab ira Dei, ad nos puniendos imminente? Non nobis proderũt sacra quibus initiati sumus: non religio quã nomine retinemus: nõ supplicationes quas de more decernimus: non opinio illa, qua Deũ putamus aliter religionem suam seruare non posse, nisi seruatis nobis. Referte, si placet, animos ad ecclesiam post Christũ natum in oriente desolatã, dissipatam & extinctam. Referte & ad illam quæ ante Christũ erat in natione Iudaica. Quoties illi uicti, tributarij facti, dissipati, in captiuitatẽ abducti? Itaq; & nos interficiemur, & in captiuitatem abducemur, & sedes perdemus nostras, nisi præcepta Dei obseruauerimus. Instruamus

mus nos omni genere armorũ,ut uolumus:comparemus omnia ne cessaria bello:conciliemus nobis uicinorũ populorũ auxilia. hoc tamen nũquam efficiemus,ut bellum prosperè geramus,nisi primùm cum Deo in gratiam redeamus:nisi legi tot secula conculcatæ assurgamus: ei nos quàm maximè cõciliemus: tot offensionũ multorum seculorum ueniam ab ea deprecemur: damna eius cõtemptione data, quantũ liceat, sarciamus: locum'que ei honestissimũ, qualis ipsum Deum deceat eius authorẽ,in hac Rep. erigamus. Cui enim eo loco dignissima esse non uideatur? à qua scilicet Deus ipse cum rerum natura,ueritas cum bonis & sapientibus stet omnibus. Quis autem à numatione stat præter gladiatores, auaros, & homines turbulentos? qui eiusmodi sunt,ut alij cædes hominibus machinentur,alij lucrum ex cædibus quærant,alij honestatis hostes habeantur. Atqui istis ipsis potestas est integra iudicãdi,de tanta lege. Interim qui tot impijs conatib. obsistere possent,cessant. & aut oscitantes totã rem negligunt: aut etiam quasi in re ludicra,nihil ad se pertinẽte, rident atque exultant: neque huius quasi ueterni sui (id quod signum est breui impendentis interitus) dolorem sentiunt. O' rem non hominib. tantùm, sed cunctæ etiam naturæ rerum luctuosam, & nullis lacrymis satis deplorandã. Nulli sunt authores satis graues,nulli hortatores idonei ad rem prorsus diuinam: non Rex, non theologus, non boni uiri,non Deus ipse: ad impiam & quæstuosam,cum natura & Deo pugnantẽ,sufficiunt homines turbulenti,auari, in hominibus necandis exercitati. Quantus quæso est numerus rationum,quanta uis,quantũ pondus,quot populi, quæ authoritates legem diuinam suadentes? Si unum aliquod simile istorum haberet numatio,quis, Deus bone,posset horum lanistarũ & auarorum ferre temeritatem ac insolentiã? qui nunc nudi, & ab omni ratione inopes, solo splendore nominis,ac magnificentiæ suæ (sic enim uocari gaudent) nos contemnunt. Valere iubent consensum populorum exterorum,naturæ iudicium, authoritatem Dei immortalis. Maiorũ nostrorum placita præ illis amplectuntur: placet eis uox tyrannica,

Hoc uolo, sic iubeo, sit pro ratione uoluntas: placet quæstus ex cædibus: placent carnificinæ. Interim nos, ueritatem'que, quam pro uirili tuemur,tanquam stulticiam rident. nostrum hunc conatum,quantum possunt, eleuant & deformant: Scholis'que, ea quæ dicimus scribimus'que,digna esse dictitãt,non Senatu,nec Rep. Quibus nos respondere possumus, nos quidem non esse ignaros uirium nostrarũ, nec muneris nostri: quorũ huius nihil habemus in Rep. illarum modicũ habemus. Sed tamen in tanta hominum seu cęcitate,seu peruersitate,quis est uel rerum omnium rudis ac ignarus, qui non intelligere possit tot offensiones? Ego uerò libenter istos uicissim interrogarim,cur ad Remp. gerendam indignũ esse putẽt afferre cognitionẽ

optima-

optimarũ artium? nõ hoc dicerem, si quos in ijs artibus progressus fecissem: ne cui fortè de meipso loqui uiderer. Nunc nihil de me dico: sed quod & in hac & in exteris Rebusp. uidi, id quidẽ tacere non possum. In omni enim Rep. bene constituta illi semper magnitudine consiliorum excellebant, qui ab optimarũ artium facultate erant paratiores. Nec leges Romanæ tanti hodie essent, si ab hominibus non satis à doctrina excultis fuissent conscriptæ. Itaque non immeritò Petrus Thomicius, amplissimus & illustrissimus uir, hominem equitem increpasse putandus est, bonum quidem uirum illum, sed earum rerum imperitum quibus Resp. rectè administrari & contineri posit. Tu'ne etiam, inquit ille, ô bone arator, de Rep. consultabis? Indicauit Senator prudentissimus, non satis esse homini ad deliberationes de Repub. accedenti, tenere artes administrandę rei familiaris: sed scientiam esse comprehendendam plurimarum & maximarum rerum. Nos uerò non comparamus nos cum istis irrisoribus studiorum nostrorum gratia, non authoritate, non opibus, ac ne ullarum quidem artium cognitione. omnia hæc quibus magni sunt, illis concedimus. Sed tamen causa quam tractamus, si cum illorum causa contendat, omnino plus loci nostræ fore apud bonos uiros putamus. Agatur modò res apud tribunal rationis, non temeritatis & affectionis peruersæ. sedeant iudices quibus patriæ salus & legum dignitas prior sit quæstu, ultione, impia dominatione: qui ius & bonum natura ualere uelint, non ullius ordinis respectu: qui non seruile ius in homines inferiorum ordinum, sed æquabile in omnes in eadem Rep. uiuentes induci uelint. Ponantur in æquas lances quę à nobis dicuntur pro ueritate diuina, cum ijs quæ ab illis afferuntur pro impietate numationis. nõ permittatur summa rerum istis qui rabiosissimè in capite uitiis hominum dominari uolunt. Quid enim indignius, quàm uinci ab istis qui pares tibi nõ sint causa, nedum superiores, sed prorsus infimi? Et tamen tot annos uicti sumus: imò Deus uictus est cum sua sententia. O' secula, ô mores. non omnes hæc cogitare: Sigismundos duos hæc tolerare: Pontifices & presbyteros hæc non posse corrigere: Senatum & magistratus in his conniuere? An uerò manus Turcica maiore superbia, maiore importunitate, maiore crudelitate premeret nos, quàm nos isti premunt Dei hostes, sitientes sanguinis humani, populorum & naturæ legem uiolantes, rectæ rationi non obtemperantes? Non eos abducunt pericula & damna ab impia numatione: non uerentur furorem homicidarũ alere & corroborare. Quæ enim querelę, qui luctus digni in tanta indignitate inueniri possunt? Quos deos, quos homines implorabimus? Desperare cogimur ciues, ab ijs qui cum potestate sunt: ad Dei opt. max. opem confugiendum est. nisi ille respexerit nos, Res hæc publica sponte sua concidat necesse est.

Quod enim exitium Reip. præsentius esse potest, quàm cum ij qui eam tenent, tyrannide utuntur lege aliqua defendenda? Quid magis animos populi à præfectis alienare possit, quàm uiolenta & populo Christiano minimè ferenda potentia, qua rerum natura polluatur, iura omnia deorũ hominumq́ue uiolẽtur? Sed satis sit. Illud ad extremũ libens de Solonibus istis nostris interrogauerim, cur leges alias atque alias leuissimis de causis figant annis singulis & refigant: ut de genere linguarum, de formis libellorum, de opificum descriptionibus tollendis, & id genus rebus alijs: solam numationem tam sacrosanctam habeant, ut eam tenacissimè putent retinendam? cùm tamen nulla alia sit extra hanc quam tantopere mutari ac prorsus abrogari necesse sit. Est enim turpis per se: infamans nominis nostri: inutilis naturæ humanæ: Regi aduersa: Deo odiosa: bonis & prudentibus luctuosa: neq; ulli grata præterquam lanistis, gladiatoribus, lucri ex omni re auidis, crapula & luxu perditis, & reliquis hominum pestibus. Profectò spiritum esse impurum oportet nationi nostræ singulariter & maximè infestum: qui nos ualida manu premat, ut ne ueritati diuinæ assurgere, néue eam amplecti possimus. A' qua tyrannide utinam liberes nos tandem Seruator noster, oculosq́ue nobis aperias ad tuam ueritatem, tu qui lux es omnium mentes illustrans. uides IESV Christe afflictionẽ populi à te redempti: uides quàm simus ab omnibus deserti. non Leuitę, non sacerdotes, non pontifices, non præfecti, non fratres nostri student legi tuæ erigendæ. non tanguntur cura tot afflictorum, tot uulneratorũ, tot interfectorum. Atq; in tot miserijs nõ est reliqua nobis consolatio illa, ut ijs ipsis uel malè uelle, uel aliquid sinistri imprecari possimus: sunt enim sanguis noster: à te nobis sunt dati rectores & pastores. Illa tantum, ut in re mala, fortasse consolatio nobis fuerit, non nouã esse, nec inauditam tantam neglectionem pręfectorum. Tu enim olim narrasti de maiore Samaritani misericordia, quàm uel sacerdotis uel Leuitæ: per quos quidem eos designasti, qui essent in aliquo dignitatis gradu constituti. Mitte igitur Domine nobis Samaritanum, aut potius tu nobis sis Samaritanus, ut tot Reip. uulnera obliges ac sanes. Et quamuis uoluntatem tuam offendimus, mandataq́ue neglеximus tua: tamen quæsumus te Domine, ne tanta seueritate punias nos populum tuum. Satis plagarum nobis esse poterit, uel ab externo hoste, uel à magistratu legitima utente potestate, uel ab ira tua. Ne quæso punias magistratum nostrum tanta cæcitate: néue nos infamia hac graui & inueterata legis tuæ ex nostris finib. eijciẽdæ, diutius flagrare sinas. Etenim Domine probris maledictisq́ue uexamur à populis cunctis, exprobrantibus nobis & impietatem in tuã legem, & amoris proximi uacuitatem. Ipsi uerò intra nos animi tranquillitatem non retinemus: dum obseruantiã non ex animo magistratui

magistratui præstamus: parumq́ reuerēter de illo sentimus, legem tuam improbante: eam uerò approbāte, qua quorundam nostrûm uitas minoris q̃ aliorum, in uniuersum autem omnium uitas minoris quàm pecudum ac bestiarū fieri uidemus. Te igitur DOMINE, qui cor lapideum populis tuis ablāturū, carneum aūt in locum eius suffecturum te promisisti, òramus, ut òmniū cordā à tantā peruersitate ad uiam mandatorū tuorum cōuertas. Incute cordibus eorum ueros pauores iræ tuæ aduersus peccatū. Infunde eis proximi amorem uerum. ferias eos sensu impendentium calamitatū. inijce curam mentibus illorū, ut tandem sibi hanc maculam Reip. nostræ, ob turpem numationem ab ipsa quasi infantia eius inustam, aliquãdo delendam statuāt: ne'ue sinant, ut quæ semper damno nobis fuit & infamiæ, eadem Remp. ad funus ipsum prosequatur. Surge Domine, audi preces nostras: introeat in conspectum tuum gemitus noster. Libera nos ab inimicis nostris, Deus noster: & ab ijs qui insurgunt in nos, protege nos. Libera nos ab ijs qui scelerate agunt: & à sanguinarijs hominibus salua nos, qui insidiantur nobis, horribiliter irruunt in nos, uitas nostras circumuallāt. Qui opibus suis obruunt, & ore suo superbè intonant. itinera nostra obsident, & oculis suis obseruant, ubi expandant in nos retia sua. Gladios suos stringunt, arcus tendunt ad trucidandum nos. Similes sunt leoni prædæ auido, iuueni leoni qui ex occulto insidiatur: faciunt cadauera seruorum tuorum, fundūt sanguinē eorum uelut aquam. Surge Domine, dissipa consilia eorum, & cogitationes cordis eorum fac ut sint irritæ. conuerte in caput eorum, quæ nobis machinantur. Incidant de improuiso in calamitatem, & reti suo quod absconderunt capiantur. Gladij eorum penetrent in corda ipsorum, & arcus eorum frangantur. Sentiant manum tuam Domine omnes hostes legis tuæ: experiantur dexteram tuam inimici populi tui. Effunde in eos indignationem tuam: & furor iræ tuæ comprehendat eos. fiat domicilium eorum desertum, & in domibus eorum non sit habitator. Degluti eos in ira tua, germen eorum de terra perde, & semen eorum ex hominum numero. Qui das salutem regibus, qui scientia & æquitate eos donas, ut animos populorum tuorum saluēt, & sanguinem eorum preciosum existiment: de gladio maligno eripe nos. Saluos fac nos Deus noster, ut laudemus nomē tuum sanctū, & gloriam tuam celebremus. Beatus Dominus Deus, ab æterno usque in sempiternum. & dicat uniuersus populus, Amen, AMEN.

Hæc uerba ex Psalmis Dauidis hincinde sunt desumpta.

IN ACTIONES FRICII DE HOMICIDIIS legitimè puniendis.

Facundus ore dum rotundo Fricius
Ferri licentiam abrogat,
Impunè paßim cædibus & sanguine
Grassantis in ciues suos,
Pœnas reuoluens parricidæ debitas
Abominandæ noxiæ:
Laudat tuas natura leges, & Dei
Statuta, ius & gentium.
Quibus Polona gens fidelibus nisi
Adducta suasionibus,
Graui remittit nuncium uecordiæ,
Statamq; legem suscipit:
An non tuis natura sanctionibus,
Summiq; iussis uindicis,
Et uiribus semel resistat omnibus:
Non expiando crimine,
Ausis nefandum inferre bellum numini
Atrocior Gigantibus?

Ioan. Lan. Si.

ORATIO PHILALETIS PERIPATETICI IN SENATVLO HOMINVM SCHOLASTIcorum, de Decreto conuentus, quo pagi ciuibus adimi permittuntur, habita:

M. D. XXXXIII. CALEND. Aprilis.



TSI nobis potestas sententiæ in Senatu dicendæ non est: tamen in Senatulo hoc nostro, ut de rebus humanis omnibus, ita etiam de Senatus consultis in hoc conuentu Reip. factis, puto licere nobis disputare. Hoc enim certè officij nostri est, ut, cùm Resp. nos erudiendos bonis disciplinis curauerit, eruamus semper ex ijs disciplinis aliquid, quo præclaras actiones commendemus, reprehendamus autem improbè facta. Sæpe olitor, ut est in ueteri prouerbio, opportuna loquutus est. Quo magis anniti nos oportet, ut literis, in quibus uersamur, adiuti, de Repub. deq; actionibus humanis omnibus disputemus. Sed aliàs de rebus alijs: nunc de eo decreto, quod Senatus & Equitum cõsensu à Rege latum est, ne cui ciuium liceat deinceps pagos adipisci: quos uerò olim adepti essent, eos uendi oportere: dicamus sententias. Quod quidem decretum importunitate & odio in oppidanos nobilitatis factum esse, uidetur. Tametsi autem multi nostrûm sunt partim huius, partim illius ordinis: tamen nos, qui sumus ad ueritatem docti & instituti, decet absq; ulla animi perturbatione, absque amore uel odio in hunc uel in illum ordinē, disputare de actionibus illorum: non debent nos affectiones trahere in utramlibet partem: sed disputando colloquendoq; sequamur ueritatem ducem. usurpemusq; illud ab Aristotele nostro contra Platonem magistrum suum disputante, grauissimè dictū: AMICVS quidem Plato, amica ueritas: sed prçclarum est, pluris ęstimari ueritatē. Ego itaq;, etsi parēte utroq; nobili natus sim: tamen cùm incredibili ueritatis inuestigādę studio tenear, sic dicam sententiam meam, ut non aliter dicerem, si in cœtu deorum dicendū mihi esset: præsente quidem illo summo Deo, qui mentes hominum cernit, qui renes scrutatur & corda. Sic igitur dico meo locò, decretum illud conuentus periniquum esse, contra rationem contraq; iura diuina & humana scriptum. Vt enim partem illam decreti prætereã, qua dicitur, non licere ciuibus pagos deinceps emendo adipisci: quæ tandem probabilis afferri causa possit, cur ciues inuiti & nolentes cogantur cedere possessione pagorum uel auitorum, uel iustè emptorum? quorum & possessionem multos annos usurpassent, & culturam exercuissent? Ratio id & æquitas negat, ut aliquis in Rep. legibus cõstituta cedere cogatur re sua,

quam iure & legibus, quam precio, quam à maioribus relictam adeptus esset. Quis enim finis unquam contractuum erit in rebus humanis, si res emptas, publicè ad tabulas & solenniter confectas, à maioribus hæreditatis nomine relictas, oporteat bonæ fidei possessorem, alterius arbitrio, quoties ille uellet, & ut uellet, permittere? Quid apud nos leges ualebunt, quid consuetudines iudiciorum, si quæ iure confecta sunt, ea rescindantur? libidini equitum permittantur? si multorũ annorum, aut etiam seculorum possesiones, mo ueantur? Quid illæ legum præscriptiones, quid usucapiones à iurisperitis decãtatæ? Qui quidem iurisperiti, ne dominia rerum essent incerta, cõtinuatione possesionis ac temporis lege definiti, eadem illa dominia acquiri & in perpetuum stabiliri pronunciarunt. Quod pondus uerborum erit & formularum, quæ quidem in iudicijs maximè semper excellebant? cùm ita uenditor ad tabulas publicas dicebat, Cedo possesione pagi mei Socrati, qui numerauit mihi quantum uolebam, do illi possesionẽ, transfero in illum ius & dominium: spondeoq́ neminem cum illo de ea hæreditate acturum: sin aliquem agere contigerit, damnum omne præstabo. Hæc uerba emptionum solennia sunt in iudicijs. Quæ si iam uim non habent suam, quid aliud leges sunt nostræ quàm telæ aranearum? Iam quid prædari est, si hoc non est, eripere homini nolenti rem suam? certè non latrones tantùm in agris deprędantur hominem, cùm res eripiunt: sed quisquis rem meam me inuitò seu precio seu gratis conetur à me alienare, is mihi profectò prædo erit. Neque uerba Esaiæ prophetæ, cum dicit cap. 33. VAE QVI PRAEDARIS, VAE QVI SPERNIS, ad latrones tantùm pertinere intelligenda sunt: sed ad omnes qui rem alienam inuitò domino aliò transferre conantur. Itaq; etiam coniunxit unà prædones & contemptores aliorum: ut notare & planè digito mõstrare uideatur eos, qui odio & contemptu res alienas ereptas uelint. Et in alijs quidem Rebuspub. licet in uniuersum omnibus rem suam honestis modis meliorẽ reddere, licet iustè acquirere. Itaq; dolendũ est, nostram Remp. nõ uelle in hoc aliarum similem esse: dolendũ est, emptiones & possesiones, quæ tempore longo ratæ erant, irritas fieri: consuetudines iudiciorum solennes, importunitate quorundã labefactari: leges de illis multis seculis obseruatas, nõ aliud iam esse quàm uel ceram flexibilẽ in utranq; partem, uel telam aranearum, quam liceat robustis istis quoties libeat perrumpere. Quorsum igitur decreta Aristotelis nostri, qui hominẽ non sinit imperare, sed rationẽ? quam quidem rationem legum ferendarũ uult esse causam & fontẽ. Ea enim ubi nõ regnet, ibi principẽ in tyrannũ degenerare, & ex Rep. fieri barbariẽ & immanitatẽ. hinc factiones fieri, & interfectiones. Plenæ sunt historiæ exemplorũ. Meministis Demetrij Phalerei in exilium acti, &

Agidis

Agidis Lacedæmonij necati: & nostra memoria Christierni Dani, qui tulit tandē tyrānidis suę cœlitus immissas pœnas, regia maiestate prorsus indignas. Haud scio an in hunc numerū referēdus sit Ludouicus rex Hungarorū nobilissimus, quem ego quidem innocentissimum fuisse iudico. Sed rex erat. non tantùm eorū quæ deliquisset ipse, pœna illi luenda erat: sed eorum etiam, quæ eo conniuente nequiter alij fecissent. Tantam ferūt, eo rege, licentiā Equitum fuisse in Hungaria, ut nihil planè eis non liceret, quod modò libéret. bonis alienis insidiabātur: ex alieno, quantū libebat, nullo dato precio, usurpabāt: in prædia aliena inuadebant. Id si uerū est (nam ego quidem præter auditū nihil habeo) quid mirum est, Ludouicū & infœliciter contra Turcas pugnasse, qui nesciret contra suorum uitia pugnare: nec paulo infœlicius mortem occubuisse? Nō enim in pugna occidit, ut solent milites nō ignaui: sed, ut ferunt, in paludibus quibusdā, sine uulnere, quod in acie uersantib. solet esse gloriosum: sine ulla uel amicorū, uel conscientię, regalis officij consolatione: sine honore sepulturę, sine sepulchri religione. Et adeò mors illius obscura erat, ut nemo ad hunc diem pro certo affirmare ausit, quo in loco, & quo mortis genere perierit. Quę quidem mors illius quantum malorum inuexerit orbi, quis est qui ignoret? Hoc exemplum uelim proponant sibi reges, & quicunq; sunt cum potestate. considerent & uitam Ludouici in re omni dissolutiorem, & regij officij munus non satis ab illo præstitū. Hanc uerò uitam, hunc officij neglectum quā putas mortem sequi debuisse? Sed tamen mitior erat exitus uitæ Ludouici. Quàm uerò horribiles fuerint eorum qui nō tantum officij deserti fuerunt rei, sed ipsi quoque uel tyrannidem exercuerunt, uel decretis suis probauerunt, & exempla quæ prius dixi satis demonstrant: & illud omnium maximè, quod in sacra Regum historia de Achabo rege & Nabotho habetur: quæ cùm mirè quadret 3.Reg.21 & apposita sit, ad sermonem institutum non sit ineptum paucis eam hic perstrinxisse. Vidit Achab rex uineam Nabothi, ædibus & fundo suo uicinam & adhærentem. Eam igitur propter uicinitatem habere optat à subdito suo. Nec tamen ui utitur, eripienda illa: sed uel meliorem uineam uel precium iustum daturum se confirmat ac pollicetur. Non iniustæ proponebantur conditiones Nabotho, si uineam, uel uendere uel permutare uoluisset. Ad quod quidem faciendum cùm ipsa æquitas, tum gratia regis sui, poterat eum adhortari. Verùm cùm uinea sibi charior esset, recusat eam regi postulanti: deprecatur etiam, ut quam à maioribus hęreditariam accepisset, eam cum bona regis gratia possit retinere. Offensus est rex, re non exorata, pergrauiter: usque adeò quidem, ut præ animi impotentia furibundus se in lectum proijceret, faciem ad parietem conuerteret, à cibo prorsus abstineret. Verùm uxor à

mœrore

mœrore regem reuocare conatur, ac uineam sua opera illi pollicetur. Effecit igitur uxor primùm, ut falsis subornatis testibus, Naboth à iudicibus occideretur: deinde, ut rex uinea potiretur. O' rem miseram & calamitosam. O' reginam crudelissimam. Rex hoc intelligit. Iudices uident: & tamen falsos admittunt testes: occidunt innocentem. Rex in sinu tacito gaudet, ponit pedem in possessionem uineæ tantopere concupitę. Tum uerò Deus, qui d lorem oppressorum, iniurias & cædes ulciscitur, pœnam Achabo, uxori, filijs, & uniuersæ eius posteritati per prophetam denunciauit, quæ breui postea subsequuta est. Nam & Achab telo, in incertum à quopiam emisso uulneratus, interijt, canesq; sanguinem eius linxerunt: & uxor illius ex loco superiore præcipitata, sanguine parietem consperſit, equorumq; ungulis conculcata & à canibus deuorata est: & septuaginta eius filij gladio interfecti: & omnes illius optimates, noti ac sacerdotes deleti sunt: ita ut nemo uel filiorum uel amicorum Achabi superstes esset. Tanta seueritate usus est Dominus cæde & iniuria Nabothi ulciscenda, ut & posteritatem Achabi omnem è numero uiuentium abstulerit: & omnes consiliarios illius, optimates ac sacerdotes, qui uel consultores erant rei pessimæ, uel regem pro munere officij sui à tyrannide non dehortabantur. Quanto præclarius ille omni posteritatis memoria dignus Aratus, princeps Sicyoniorum. qui non tantum non permisit possessiones aliorum eripi: sed cum quidam prætenderent iuris se aliquid habere in illas, maluit petitoribus pecunia satisfieri, quàm eripi possessiones multorũ spacio annorum usurpatas. Sed nota est historia omnibus. itaq; nihil attinet eam pluribus prosequi uerbis. Meministis autem socij morem scholarum ueterem anteactorum temporum, quem hodie in scholis Germanorum quibusdam audio renouatum: pueros singulis dierum hebdomadis iudicia: pędagogo præsente, solitos fuisse exercere. Legebatur ex pueris iudex, ad certa tẽpora hoc munus obiturus: addebantur illi, qui in consilio cum eo essent: ad eos pueri deferebant quaslibet iniurias, reos accusabant, condemnari petebant. Iudex uerò audita re, & omnibus ad rectè iudicandum cognitis, uel damnabat uel absoluebat accusatum, pro rei qualitate. sed tamen si quid contra æquitatem iudicasset, non id ferebat impunè: siquidem pædagogus & uirga iudicẽ castigabat, & docebat rectius iudicare. Cùm ad hunc modum in schola Persiæ quadam munus & insigne iudicis inter pueros in orbẽ iret, accidit ut Cyrus puer (qui postea Asiæ toti imperitabat) suo loco iudicis officio fungeretur. Ad hunc puer statura procerior, sed ueste utens breuiore, accusauit puerum statura minorem, sed ueste longiore utentem: petens uestem longiorem sibi adiudicari, suam uerò minorem minori. Cyrus iudex parte exaudita utraque, sententiam dixit secundum puerum maio-

3.Reg.21. 4.Reg.9. & 10.

maiorem: uestes inter pueros, minore quidem inuito, commutauit: idq; æquum esse pronunciauit, ut pares paria habeant: utanturq; grandiores uestitu longiore, minores breuiore. Et Cyrus quidem ad hunc modum. At magister quæstione de iudicio illo habita, & Cyrum castigauit, & eius sententiam retractauit, docuitq;, nõ ex proprijs alterius rebus incommoda nostra sarcienda esse. Neq; illud, ut pares paria habeant, locum habere nisi in ijs rebus quæ ex communi bono distribuantur multis. ubi pro ratione meritorum uirtutis, doctrinæ, & prout quisque ad res aliquas appositus sit gerendas, singula singulis distribui par est. Cæterùm ex rebus priuatis alicuius, hoc fieri minimè licere: neminem'que cogendum esse, ut nolens alteri rem tradat suam. Sunt'ne Equitum nostrorum facta atque postulata illi iudicio Cyri non simillima, cum illi opinione proceritatis suæ imbuti, oppidanorum tanquam minorum pagos pecunijs suis, ueluti uestes minores maioribus, ex lege nuper nata conantur commutare? Cui quidem legi utcunq; alicuius tanquam Cyri authoritatem prætexant, nunquam tamen efficient, ut pædagogo recta ratione utenti factum suum probare poßsint. Semper pædagogus docebit, unumquenque sua incommoda aliunde quàm ex rebus aliorum proprijs sarcire oportere. Sed operæ precium fuerit causas audire, cur ciuibus dicant non licere pagos poßsidere. Quia, inquiunt, non sunt nobili genere orti: nec licet illis in acie, inq; primo ordine contra hostem uersari: nec possunt esse rerum militarium locupletes testes: satisq; illis esse, si rem mercatura alijsq; opificijs quærant. Hæ quidem causæ (quantum ego existimare possum) ab animis nobilium iratis, parumq; ciuibus æquis, omnino proficisci uidentur. Quòd si Equites offensionibus uel Reipublicæ uel certè æquitatis causa depositis, uti uellent humanitate & beneuolentia aduersus homines ordinum inferiorum, nullo sanè opus esset labore causis illis confutandis. Neque uerò dubitate, id quod mihi est perspectißimum, permultos nobilium esse optimos uiros, ab omni uirtute & ab optimarum artium cognitione paratißsimos, qui præ se homines ordinum aliorum nullo modo contemnant: tribuant'que eis & testimoniorum fidem quarumlibet rerum, & eas uirtutes quæ attingant cunque naturam humanam, nec de fortitudine illorum dubitent uel in acie contra hostem. Verùm quia bona pars Equitum uix putant plebeios, homines esse, cùm uirtutes quas sibi assumunt detrahant illis uel fortitudinis, uel ueritatis dicendæ: age sanè disputemus de illis causis. Incipiamus autem ab ea, qua & locum in prima acie contra hostem, & fidem testimonij rerum militarium ciuibus negant. Neq; ego ignoro, Socij, causam hanc ex patria lege desumptam esse: qua exceptum est, ne cui de re militari dicendi fides habeatur, nisi utroque

Vu parente

parente nobili nato: hoc est, qui stemmatis gentilicijs quatuor sit insignis. Contra quam legem si quis putet impium esse disputare, huic nos sanè relinquamus iudicium suum, nec patiamur eum esse in cœtu nostro. Nobis enim Aristoteles noster licentiam magnam concedit de omni re proposita disputandi: neque eam putat legem dicendam esse, cuius ratio nulla extet. Sequar igitur ducis & magistri nostri præceptum, ut prius explicem uocabula quædam, quàm confutem legem illam, atque adeò quid sit illud quod uocant rem militarem. Illi uerò inquiunt res militares esse non quaslibet, quæ à militibus fiant, sed quæ in bellis gerantur contra hostem: ut in acie uersari, non deserere locum, non uertere terga, non abijcere arma, ferire hostem, interficere, & quæ ad bellum pertineant conficiendum exercere. Hoc igitur ita posito, sequitur ut disseramus, num ciuibus liceat militares res illas exercere? Id uerò ita esse, & lippis & pueris perspicuum est. Ingens numerus plebeiorum fit in bellis aduersus hostem: quidam fiunt decuriones, quidam nobilium ministri, partim equites, partim pedites. Qui ipsi in bello egregiam pro uirili parte operam nauare solent, multi sunt pares: quidam uerò superiores nobilibus multis, ijs gerendis quæ in bello necessaria sint. Neque enim illud generis est, nec ordinis ab hominibus constituti, fortem in bello esse: sed muneris diuini, quemadmodum Socrates uerissimè apud Platonem inquit: in Deo situm esse, & quòd uir sit fortis, & quòd iners sit ac imbecillis. Qui quidem Deus, ut ex æquo iubet solem spargere lucem in omnes homines: ita & animum fortem, ut uult, & quando uult, donat hominibus generis cuiuslibet ac ordinis. Id si ita est (quemadmodum certè est) profectò impudens fuerit, qui tribuere sibi uelit propriè, quod in omne hominum genus ex Dei uoluntate sparsum est. Quinetiam si tuum propriè foret, tamen etiam atque etiam esset animaduertendum, omnia in rebus humanis esse incerta: multos inter æquales domi atque inter pocula uisos esse fortes, qui in acie nulli fuerint contra hostem: nec minus illud considerandum, quàm Deus ipse resistat hominibus gloriosis, cùm ita ore Paulino dicit: Quid habes quod non accepisti? Si autem omnia accepisti, cur gloriaris quasi non acceperis? Sed Equites aiunt: licere quidem in bellis esse plebeijs, sed in prima acie uersari non licere. Ego uerò non sum is, qui primum negem locum nobilitati domi ac militiæ. Etenim ualere debet is ordo apud omnes, & auitæ uirtutis memoria, & uerò rerum à se gestarum commendatione. Quis enim id sanus negauerit? Sic enim statuo: ut doctoribus primæ debentur partes in doctrinæ dijudicatione: ut professorum iudicio statur in operum artis suæ æstimatione: sic nobilitati primas in re militari deferre æquissimum fuerit.

fuerit. Quæ quidẽ res militaris cùm eadẽ nobis uel præcipuè hunc ordinem pepererit, eodẽ in honore eum maximè conseruet necesse est. Quod tamen cum dico, nequaquam plebeĳs locum negauerò in uniuersum cum nobilitate, strenuis inquam, fortibus, animosis, ad rem militarem multis prælĳs doctis, alĳsq; bellicis uirtutibus præditis uiris: ob quas quidem uirtutes cum ipsis nobilibus primas deferamus, cur etiam in quibus illæ reperiantur, non eodem loco honoreq; digni habeantur? an tu timidum nebulonem, bellicis uirtutibus uacuum, sola generis excellentia cõmendatum, prima in acie collocabis: plebeio post principia reiecto, uiro forti & se acriter ad mortem offerenti? præferes igitur & claudum nobilem in curriculo, plebeio pedum pernicitate ualenti? Hoc quidem si in honoribus fieret domesticis & togatis, ubi palmæ aliquando ĳs dantur qui nunquam certassent, esset quidem utcunque ferendum: cæterùm in eo loco fieri istud, ubi de capite agatur, de patriæ salute, de aris atque focis, quis sanus ferat? Age porrò, quid fieri uelles, si nobiles uiri in primo ordine locati uel uicti essent (id enim in bellis euenire absurdum non est) uel certè pugnando fessi ac uiribus defecti: an non in locum eorum succedere uelles triarios quosuis, uel plebeĳ ordinis uiros? Ne mihi quæso obstrepas, me de re, quæ fieri nunquam posſit, disputare. Quin potius conuerte animum & cogitationes tuas ad historias omnium temporum. Illæ te docebunt, Martem inconstantem esse: persæpe uictores fuisse uictos. Vincebant olim Romani, cùm imperarent toti orbi: sed postea & uicti sunt frequentisſimè, & imperium orbis ab eis translatum est ad Germanos. Quod igitur accidit Romanis, quęso te, ne putes fieri non posse, quin accidat nationi nostræ. Quod ego quidem tam cupiam nunquam fore, quàm quod uehementisſimè. Sed tamẽ de re quæ fieri posſit, agè urgeamus Equites nostros. Si fati iniquitate in acie occidissent Equites, an in locum eorum non uelles succedere plebeios? an in primos ordines asciſces solos nobiles? Sit hoc sanè ita: sed quid si nobiles sint uel parum multi, uel non satis apti ad pugnam: an potius Rempublicam in periculum patieris uenire, quàm ut plebeĳ fortes, ut fit, & robusti uiri, in acie, inq; ordine primo se sisterent, ac profligarent hostem? Quid si tanto numero ueniant hostes, ut pluribus in locis simul confligendum sit cum illis? Id enim si unquam aliàs, nunc certè Turcica potentia infinitè crescente, maximè metuunt prudentes uiri. Quid igitur, inquam, si tanto numero ueniant hostes, ut primis ordinibus contra illos sufficere non posſit nobilitas, an negabis locũ in prima acie plebi? Certè si amas Remp. nequaquam committes istud. Iam uerò si licet in acie uersari plebeĳs, si Rempub.

armis defendere, si in primo ordine prælium inire, si res militares alias exercere, cur etiam non liceat testimonium de illis dicere? Ridiculum sanè est, fortitudinem aut uirtutem, aliam exercere te posse, de qua pro testimonio dicere nihil possis. Nam & Christus dicit: Quod uidimus testamur, cur itaque testimonio non creditis nostro? & philosophi nostri rectè iudicant: non ex fortuna fidem ponderandam esse, sed ex uirtute. Cùm itaque nobilitas generis, in bonis fortunæ numeretur: non in animi bonis, in quibus sunt uirtutes & scientia: profectò lex illa patria ualde imperitè facit, cùm fidem rerum militarium solis nobilibus tribuit, de quibus tam uerè ciues, quàm ipsi nobiles, & iudicare possint, & loqui. Iam ueritas inter uirtutes locum obtinet: cur igitur ab ea arcebimus plebeios, quos certè ab aliis uirtutibus arcere impium sit? Sæpe mirari soleo maiorum nostrorum prudentiã, multis legibus ferendis: sed in hac lege odio plebeiorum lata, doleo lapsum eorum turpissimũ. Ita plebeiis fidem testimonii dicendi abrogarunt, quasi uel infames essent omnes quicunque nobiles non essent, uel iudicii nihil habere possent de re militari. Quid autem, ô bone, si nobiles, qui fortè rem te præclarè gessisse in bello uiderunt, mortui sint: uiuant autem ciues, qui te quoque fortem & animosum uiderunt: an non uoles ab iis testimonium uirtuti & fortitudini tuæ tribui? Quid si quis sycophanta insimulet te stationis desertæ, an ne sic quidem uoles citari ciues, officii tui præclari in Republica defendenda testes? præsertim cùm nobiles, qui uidissent te fortem, mortui essent. Ridiculus es profectò, qui ita tibi places fumosis imaginibus istis, ut ad tantas absurditates delabaris. Scitis autem Socii, quid doceat Aristoteles noster: Rationem, animam esse legis: nec eam omnino legem esse, quæ ratione uacet. Vrgebo itaque adhuc Solones istos nostros. Quę tandem causa est, cur solis nobilibus potestas sit testimonii dicendi de re militari? an maius est studium ueritatis in illis, quàm plebeiis? aut, potius illi acutius cernant quàm isti? aut hoc sit iure optimo militari ordini cõcessum, ut de militaribus rebus soli ipsi testes fieri possint? uix enim quartum inuenias, quod probabiliter dicatur. Atqui ut ab extremo ordiar, res istæ de quibus agimus, ut posuimus antè, bellicæ sunt. Illæ igitur cum etiam à plebeiis (quod iam ostendimus) exerceantur: an non ineptum fuerit, ab omniúque philosophorum consensu abhorrens, quam tu rem facere possis, de ea tibi loquenti fidem haberi non oportere? Quòd si urges nomen ordinis militaris, certè eadem ratione plerique nobiles parum idonei erunt testimonio dicendo, ut qui milites nõ sint. Error est enim ille nõ ferendus, & ex scholis explodendus nostris, omnes nobiles milites esse: distincti enim sunt ordines isti. Neque

enim, si omnes nobiles milites essent, in militum album nobiles plerique referrentur: quemadmodum nemo qui nobilis natus est, curat se nobilem creari. Perspicuum est autem, nobilium plerosque in collegium militum à regibus cooptari. Qui quidem reges inter ceremonias cooptationis illis utuntur uerbis, Lyepsi riczetz nisz panosha: nimirum significantes militem potiore conditione esse, quàm si generis nobilitate contentus esset. Ac ne illud quidem uerè dici potest, acutius & rectius cognosci res gestas à nobili quàm plebeio. Restat igitur ut dicatur, studium ueri maius esse in nobilitate. Quod quidem uerè ex parte, non totum dicitur. Vnde enim tot fraudes illæ, imposturæ, falsa testimonia inter illos? Neq; præter rem Rex noster tot conuentibus & singularum prouinciarum & totius regni, egit de abrogando more iuramentorum, nisi quia etiam à nobilitate uidet falsò nomen Dei passim usurpari. Et profectò in rebus humanis ita est, ut nullus ordo tam sit ab omni uirtute instructus, quin uitiorum multis maculis respersus sit, ac inquinatus. Sequitur alia causa, cur non liceat plebeijs pagos possidere. Quia, inquiunt, non sunt nobili genere. Hoc uerò quid aliud est, quàm terrā solis nobilibus datā? hos solos homines esse? Cur autem nobiles multas habent domus in oppidis, & quidem præter ciuium leges prærogatiuas & muneribus uacantes? Cur præturas (quas aduocatias uocant) in multis ciuitatibus tenent? Non credatis, Socij, iusticiæ inter ciues administrandæ studio id ferri: abhorrent enim ab omni ciuium consuetudine, & iuri dicendo aliquem ciuium præficiunt. Ipsi tantùm agros, possessiones, census, & quosuis fructus percipiunt. Cur igitur, inquam, nobiles & domus & præturas & possessiones habent in oppidis, si oppidanis non licet pagos habere? Cur nobiles mercaturam exercent, si mercatori non licet uillam & agrum colere? Nouistis, ni fallor, eos nobiles qui pecudum multitudine numerosa coempta, eam transmittant in Silesiam & in Germaniam. Memini enim de quibusdam uestrûm, qui in Germania aliquando uersati estis, me audire, agmina pecorum, agros Naumburgenses, ad fluuium, ni fallor, Albim, compascentium persæpe esse conspecta: quæ pecora ab Equitibus quibusdam Polonis questus causa in intimam Germaniam mitterentur. Et tergiuersantur quidem Equites, se hac ratione mercatores dici non debere, ut qui uendendo nō utantur ulnis. Sed nos, ó Socij, cōtemnamus in nostris scholis sophisticas nugas istas. non enim in ulnis mercandi ratio cognomenq; consistit: sed in hoc, si tu res coemas non usus tui causa, sed ut illis diuenditis quæstum facere possis. diuendas sanè uel ulna metiendo, uel integras res tradendo, hoc non uariat rationem mercaturę: quemad-

modum rationem nobilitatis non uariat diuitem esse, uel pauperem: modò stemmata numerare possis paterna & materna, nobilis es. Erant apud maiores nostros nobiles, uiri fortes, amantes æqui & honesti. Cùm enim ipsi uirtute meriti essent nobilitatis insignia, eadem uirtute conseruandam sibi nobilitatem, qua acquisiuissent, putabant. Cumq; in omnibus rebus gerendis ad uirtutem tanquam scopum, animum oculosq; dirigerent, prosperabat Deus eorum facta. domi à plebe obseruabantur: foris ab hoste timebantur: non se commendabant populo uestitu, non aureis torquibus, non profusis epulis, sed humanitate in plebem, amore in Rempublicam, fortitudine in hostem: amari uolebant à suis, non timeri. Et hoc quidem tempore permulti sunt profectò nobilissimi uiri similes illorum: sed multos etiam inuenias dissimillimos, qui tum se putent uerè nobiles, cum aliquid de ciuibus consuluerint grauius quàm expedit. Itaque & pagos illis eripere conantur: & cùm detestentur ordinem mercatorum, ipsi mercaturam rerum quarundam (præter ulnariam, quam solam infamant) exercent: & præ se hominem putant esse neminem. Quid enim est hoc, tribuere alicui hominis nomen: cui detrahas hominis ornamenta, studium ueritatis, pondus & authoritatem testimonij dicendi de rebus præclaris? Cum'que deceat ununquenq; hominem aduersus infimos se summisse gerere, meminisse'que illius, Deus superbis resistit, modestos amat: plerique Equitum tum se præclarè putant explesse munus nobilitatis, cùm fortiter miseram plebem despiciãt, cùm eos de suorum numero excludant, cùm non dignentur eos consessibus suis, cùm agros & possessiones eis eripiant. O' mores peruersos, ô disciplinam labefactatam. Putatis autem socij, ueras esse causas illas quas in ore habent, cur ciuibus pagos auferri uelint? ne quis uestrûm hoc sibi patiatur persuaderi. Si quis enim Deus daret nobis facultatem inspiciendi istorum corda & cogitationes, uideremus incredibile illorum odium in plebeios, auariciam summã res alienas occupandi, contemptionem tenuium, & alias pestes: quibus animi illorum infecti, impulsi sunt ad rogationem perferendam contra legem Dei & amorem proximi. Hæ sunt ueræ causæ legis illius iniquæ, non illę quas prætexunt. An uerò uobis, Socij, non ad interitum hæc spectare uidentur? Non opus est prędictionibus astrologicis. insolentia hæc & licentia immoderata, profectò non aliud huic regno quàm interitum portendit. Audiet enim Deus ille gemitum plebis: ulciscetur tantum despectum populi à se redempti: hanc'que nouam & inauditam cupiditatem res alienas occupandi, eripiendi ciuibus fundos, quos illi iure ac legibus emerunt,

quos

quos ab auis & proauis precio emptos possederunt, quos legum præscriptione tenuerũt, diligentia ac cultura fructuosos reddiderunt. Nec ulla cœlestia portenta hominibus moderatis & in futurum longè prospicientibus maiorem terrorem incutient, quàm cùm uidebunt pelli ciues per iniuriam bonis iure ac legibus possessis: cùm odiosum illud (quod uictores olim usurpabant, dominantes uictis) renouabitur carmen,

— Hæc mea sunt, ueteres migrate coloni:

Nobis uerò, Socij, qui à pueris in luce literarum uersamur, quanta caligine ac obscuritate inuoluta omnia uidebuntur? Docuerunt nos magistri nostri, iure quemque tenere rem, quam teneat ex empto & ex sponso: quam pactione, nominibus'que ad tabulas factis conquisierit: quam ab auis & proauis, bonæ fidei possessoribus, hæreditatis nomine acceperit: quam legis præscriptione multos annos possederit. Has ueri dominij leges tradiderunt nobis magistri, has regulas ex natura ortas, has rationis præscriptiones. Huic clarissimæ ueritati, quas tenebras (prò dij immortales) obducere conantur isti rebus alienis, tanquam esurientes lupi, inhiantes? Dico igitur, legem illam de pagis, ciuibus adimendis, inhumanissimam esse, ab omni ratione prorsus alienam, legibus diuinis & humanis repugnantem: à nostris uerò philosophicis decretis plus distantem, quàm cœlum à terra distet. Itaque ei locum in Senatulo nostro nullum relinquendum, eam'que authoritate Academiæ nostræ carbone notandam censeo: nec dignam puto cuius mentio ulla fiat in cœtibus nostris, nisi tum, cùm in morum peruersitatem inuehi necesse erit. Quod si mihi in Senatu regni dicendum esset, certè sententiam, quam dixi, non mutarem: mallem'que author esse & legis illius abrogandæ, quæ fidem & religionem testimoniorum in totum derogat plebi de rebus bellicis: & huius edicti de pagis, ciuibus adimendis: quàm ut suasor essem crudelium & impiarum legum. nec desinerem orare atque obtestari Regem, ut moderaretur Equitum consilia, & à crudelitate flecteret ad humanitatem & æquitatem. Id si impetrare nõ possem, tentarem alia uia ingredi: suaderem'que Regi, ut potius pagorum quorumuis possessores oppidanos, nobiles crearet: quàm sineret in eos tyrannidem, bonis illorum eripiendis, exerceri. Profectò enim nobilis creatus non minore loco esset, quàm erant maiores nostri: qui ipsi beneficio Principum nobiles facti, ad nos nobilitatem, quam uirtutis ergò acceperant, transmiserunt. Quòd si tanti apud nos sunt nobiles creati, ut partim in collegia sacerdotum soli nobilitati patentia sint cooptati, partim digni habiti summis Reipublicæ honoribus: cur non etiam idonei puta-

rentur uel testimonijs rerum militarium dicendis, uel pagis possidendis? Sin uerò neutrum illorum facultatem habere posset, ut nec leges illæ abrogari, nec oppidani nobiles creari possent: sed ratum maneret atque firmum, agros & possessiones eis eripere, ego nihilominus uel contradicentibus omnibus mea uoce uellem testari, me non assentiri tam impio decreto: mallem'que imitari Nicodemum illum, qui in medio concilij sedens, non assensus est impijs sententijs. Itaq; uel uoce mea testarer, me non consentire sententiæ impiæ: uel omnino de Senatu surgerem, nec uellem ibi esse ubi tam horrenda decreta scriberentur, nec scriba tam impiarum legum esse sustinerem. Non excusabit in die illa suprema Pilatum timor Cæsaris, quo impulsus est ad sententiam in CHRISTVM innocentem sanguine scribendam, nō quidem ex animi sui sententia, sed ad Iudæorum arbitrium. Itaq; nec Regem nostrum, nec Senatum, nec scribas excusabunt iniusta decreta, quæ ex Equitum arbitrio ferant scribant'que contra iusticiam. CHRISTVM enim in membris suis, fama & bonis eos spoliantes, crucifigere nituntur.

Itaque non mirum erit, cùm & locustæ deuorabunt omnia sata agrorum, quos sceleratè optant eripere populis CHRISTI sanguine nobilitatis: & pestis sæuiet, & rapientur pleriq; ab hoste, secundū uerbum Esaiæ prophetæ, capite 33 ita dicentis: „ VAE qui „ rapis, quia & tu rapieris: uæ qui contemnis, quia & tu contemneris. Non mirum erit, cùm totæ familiæ excindentur: quemadmodum Achab cum uxore, filijs, consiliarijs & sacerdotibus, ob iniurias Nabotho, & uiris alijs factas excisus est. Has enim plagas, ut scitis, Leonardus Cracouiensis ecclesiastes ad diuæ Mariæ, magna cum authoritate ex pulpito, huic regno, propter tyrannidem imminere prænunciat: cuius ego prædictiones uerissimas esse iudico, utpote à Dei uerbo profectas, longe'que ueriores quàm omnium fatidicorum. Itaque non uellem, uti dixi, nec in tali cœtu sedere, secundum uerbum Dauidis illud: Odi congregationem malignantium, & cum impijs non sedebo: nec scriba esse tantæ impietatis. Erat Daniel propheta unus Principum regni Persici. hic non consensit impio decreto regis sui: quod quidem decretum summo Principum omnium, magistratuum, satraparum, Senatorum & iudicum consensu latum erat. Sed, quia impium erat, contra illud Daniel palàm, & (ut narrat historia) apertis fenestris facere non formidabat: id'que usque eò, ut tandem maiestatis læsæ damnatus, in lacum leonum detrusus sit. Sed Deus ei ueluti in media morte adfuit. Itaque & ipse ex faucibus leonum liberatus est: & accusatores eius à Rege damnati sunt: & rex ipse cognito errore suo, decretum scribere contrariū ad popu-

populos ſuos non dubitauit. neq; uerò putauit rem indignam maieſtate ſua, reſcindere decretum ſuum iniquum: cùm contrà decreta iniuſta, quæ temerè & pertinaciter defenduntur, multum de authoritate & exiſtimatione regum detrahant ac diminuant. Qua pœna uix profectò aliquid grauius accidere magiſtratui poteſt: qui amiſſa authoritate contemptui uulgò habetur, neque populum in officio retinere poteſt. Rogemus igitur Deum primùm, ut hæc ſeriò cogitet Rex cum magiſtratu & omnibus qui ſunt cum poteſtate: deinde, ut ne boni uiri uelint authores eſſe ſcriptoresq; perniciosarum legum: Tum etiam, ut horum in Repub. authoritas maximè uigeat, qui ſecundũ diuinam Platonis ſententiam ſtudia philoſophica ad potentiam adiunxerunt. Dixi, quod habui. Aueo iam audire, quæ ſit cuiuſque ueſtrûm de hac re mens & ſententia.

DIXI.

HERMENES LECTORI S.

Non ignoras lector, ciuis nomen apud Latinos eſſe honeſtiſſimum: eiusq; appellatione & Senatores contineri, & Equites, & quoſque nobiliſſimos uiros. Itaq; Philalethes magis Polonicè facit quàm Latinè, cùm diſtinguit ciuem à nobili in hac Oratione. Eſt & illud conſiderandum, Philalethen ſeruire ſuæ hæreſi, cùm in fine Orationis optat authoritatem illorum ſummam in Repub. eſſe, qui philoſophicis ſtudijs ſint imbuti. Etenim Plato tum Reſpub. fœliciſſimas fore dicit, cùm aut Philoſophi gubernabunt, aut gubernatores philoſophabuntur. Vale.

AD

AD REGEM, PONTIFICES, PRESBYTEROS, ET POPVLOS POLOniæ, ac reliquæ Sarmatiæ,

ORATIO ANDREAE FRICII MODREVII, DE LEGATIS AD CONcilium Christianum mittendis.



ETSI causæ sunt multæ, quæ nos ad communem Christianorum omnium lætíciã, concilio hoc Tridenti inchoato, impellant: tamen impeditur lætícia hęc nostra, dum neminem inter uos esse uidemus, qui hac occasione operã suam religioni summi Dei tuendæ, & ab iniurijs horũ temporum asserendæ, præbere uelit. Quam quidem religionem ita distractã & laceratam uidemus, ut sine opera & industria bonorũ et doctorum uirorum in pristinã unitatem, et in ueterem concordię formã reduci non possit. Pendebamus animis (me enim, ut unũ de ijs qui religioni benè uelint, cõplectar) pendebamus igitur multi animis, expectãdo, ecquid à uobis religionis Antistitibus de cõcilio qđ Tridenti cœptũ est haberi, cõstitueretur. Neq enim clàm nos erat, & te Regem cũ tuis populis, & uos Pontifices cũ presbyteris, ad cõcilium illud à Paulo tertio Pontifice Max. missis legatis, uocatos esse. Cumq nobis psuasum esset, uobis Episcopis id muneris præcipuè incumbere, ut ad cunctas diœcesium uestrarum ecclesias hac de re, primo quoq tempore, referretis: tum nõ desperabamus, te Regem cum tuis populis, strenuam illis in hoc operã nauaturũ fuisse. Verùm de Concilio hoc, silentium mirum: nullũ signum datũ, nulla significatio Ecclesijs facta: tanquã ea res aut nihil ad nos pertineret, aut talis esset in qua pedarios nos esse oporteret. Et Pontifex quidem, penes quem, cùm ad concilium hoc uocati estis, summa ecclesiarum nostrarũ potestas erat, & alij nonnulli religionis Antistites nostri de hac uita in aliã translati, reddũt iam rationem iudici summo Deo uillicationis ac procurationis suæ, uel neglectæ, uel rectè habitæ. Vobis uerò qui has nobiscum carpitis auras, omnia quę illorum ac uestro etiã neglectu adhuc iacent, excitanda ac de integro curanda sunt. Quod quidem uos facietis, si uoletis. Velle aũt debebitis, si et uestri muneris rationes rectè uobiscũ perpẽderitis, & uos ad omnes benè audiendi partes excitaueritis. Non enim arrogans tantùm, sed & dissolutus putandus est, qui in tanta potestate, quãta uos estis, existimationem de se hominũ contemnat: satisq sibi putet esse, rerum omnium copia abundare: in uitæ splendore ac rebus profanis uersari. Enimuerò uestri hoc est muneris, longè aliam instituere rationem concilio iam coacto: itaque uos gerere, ut nõ alia

potestas in ecclesia Dei à nobis, quibus præfecti estis, desideretur. Hoc enim cùm erit factum, tum iustissimam habebimus causam gratulandi, et uobis hos honores, & nobis tales patres & pastores. Quàm enim multa in se desiderari passi sunt, qui ante uos erãt Episcopi, nemo est in hac Republica qui ignoret. Sed nos intermittamus in præsentia mortuorũ mentionem. Quid nos ipsos deceat, quæq; nostra sint officia, uideamus: & ut actiones nostras probemus summo iudici Deo, in id uero toto pectore incumbamus. Et quoniam de concilio hæc nobis oratio est instituta, dabitis mihi hanc ueniam: ut quid faciendum mihi esse uideatur, uobis demonstrem. non quòd uos egeatis cõsilio nostro; sed ut hoc signum uobis sit obseruantiæ, & in uos, & in Ecclesias uestras, summæ meæ. Etiam profectò, ut si qui uestrûm lentiores sunt, eos ad rem tantam nostra oratione excitem: magnum enim operæprecium huius orationis uidebor mihi facturus, si quem cohortatione nostra rei omnium longè maximæ, cupidum incensumq; effecero. Hoc enim ut facerem, & officium quoddam meum me admonuit: ut scilicet hanc literis, in quibus pro mea tenuitate uersor, gratiam referrem: & tempus ipsum concilij iam coacti & instituti, quod quasi publica uoce, uocat omnes ad cõtrouersias religionis tollẽdas: & rei Christianæ amor, quæ nisi quasi in unũ corpus coalescat, semper in animis hominũ cõmouebit perniciosas dubitationes: & uulgi desiderium, expectãtis iampridem ecclesiarũ omnium cõsensionem, ouilisq; Christiani à CHRISTO promissam unitatem. Iam conscientia ipsa mea conditionis horum temporum, an me impellere non posset, ut ne hãc occasionem prætermitterem, uos uestri officij admonendi? quam quidem conscientiam spero olim mihi fore, officij huius à me non præteriti, locupletem testem: in illo die cùm Dominus occulta hominum, iuxta Euangelium suũ per IESVM CHRISTVM iudicabit. Et quoniam in re ardua & nobis ad explicãdum perdifficili uersamur, quæso ut me benignè & attentè audiatis: nobisq; etiam ignoscatis, si quid alicui uestrûm secus quàm dixero, uisum fuerit. nullius enim uestrûm sententiæ nostra oratione præiudicatum uelim: neque adeò sum temerarius, ut non sim meliora docenti pariturus. Videntur autem mihi in hac oratione, illa tractanda, an aliqui ad concilium à nobis mittendi, & à quibus illi deligendi sint: deq; ratione & synodos nostras celebrandi, & eos qui ad cõciliũ mittant eligendi. postremò, quales eos qui deligent, esse uolumus. Principiò mittendos esse in concilium uiros delectos, & Christianũ nomen, quo Poloni gaudemus, nos hortatur: & Pontificis Romani postulata, & mos maiorũ. Legi enim in Actis cõcilij (ni fallor) Basiliensis, interfuisse in eo archidiaconũ quendã hominem Polonũ, publicè eò missum. Neq; enĩ licet, neq; ad existimationem
nem

nem hominũ est præclarum, summo orbis Christiani concilio in re maxima nostra studia deesse: magis id adeò, quòd ea re negligenda non uni alicui nostrûm, sed toti nomini Polonico inertiæ turpitudo ac ignauiæ suscipienda esset. A' quibus autẽ deligendi sint qui mittãtur, simulq́ de ratione habendi synodos, copiosius est explicandũ. Etenim ne quid inconsultò agatur, uestrum est Episcopi, ad ecclesias diœcesium uestrarũ, de rebus in cõcilio agendis et constituendis quamprimùm referre: synodos etiam de more indicere: eoq́ omnes & presbyteros et populos uocare: ac omnibus qui uelint, potestatem dicendi facere. Res enim cõmunis est omnium religio, neminem cura illius non attingit: non licet de ijs quæ cõmunia sunt omnium, quicquã priuatim constituere. Quòd si Rex cum Senatu de Repub. tractaturus, prius ad conuentus municipales refert de singulis capitibus deliberationis futuræ, q̃ publicè aliquid constituat: quid tandem faciendũ esse existimamus in re quæ nõ unius sit regni, sed totius orbis? quę nõ ad hãc tantùm uitã breuem, sed ad illam æternã & nunquã finiendam pertineat? Insolentiæ est, nõ consilij, paucorũ arbitrio eam rem cõstituere, quam scire omniũ intersit: incogitãtiæ est, nõ prudẽtiæ, nullos domi sermones de ijs cõferre, nullis ea disputationib. limare, quę foris et maxima corona tractãda sint. Quòd si quę tractãda in concilio sunt, plana essent et expedita: tamẽ nescio cuius incõsiderantię esset, nullis sermonib. de ijs domi publicè cõmunicatis, in illũ conuentũ orbis mittere. Nunc uerò cùm cõstet esse intricatissima et maximè implicata, de quib. uiri doctissimi, in sacris Biblijs exercitatissimi, triũ linguarũ peritissimi, annorum ante amplius uiginti interuallo, inter se cõsentire non possint: an'non summæ ignauiæ tribuendũ uideatur, si aut nõ diligenter prius pertractentur omnia domi, quàm foràs proferantur, aut ijs cõmittantur in illam hominũ lucem perferenda, qui uel omnibus, uel certè bonis & doctis uiris, parùm probarentur? Etsi aũt tanta hæc sint, tam multa, tamq́ uaria: ut non immeritò temporis longissimi indigere uideantur: tamen uestræ est prudentiæ & uigilantię, quę ab alijs & à uobis neglecta sunt, ea & celeriter aggredi: & quantum per temporis angustiam liceat, curare, omni'que studio ac diligentia sarcire. Synodis igitur singularum diœcesium indictis, capita deliberationis ac consultationis futurę conscribenda, ac Ecclesijs mittenda esse putarim, ut ne quis imparatus ad synodũ ueniat: præficiendos item synodis uiros doctos & graues, & controuersiarũ religionis non ignaros, qui capita deliberationis proponant, sententias rogent, & tandem ad synodũ prouincialem de omnibus referant. Omnibus etiã non tantùm Ecclesiastici, sed cuiusq́ ordinis hominibus potestatem faciendã dicendi: idq́ uel maximè ijs, qui de tantis rebus cõmodè dicere possint. Nam quos ea di-

dicendi facultas, scientiaque tantarū rerum deficit, eos rés ipsa excludit omnes, non tantùm profanos, sed & sacris initiatos, à dicendo. Sed si qui in popularium cœtu sunt, doctrina religionis atque optimis artibus & disciplinis eruditi, ijs non uideo cur potestas permittenda non sit dicendi, eaque exponendi quæ è Repub. & ex religionis dignitate esse uideantur. Nemo enim ab ea causa arcendus est, quæ ad conscientiam uniuscuiusque in Deum pertineat. Magna enim uis conscientiæ bonæ est, à qua bono uiro discedere nunquā liceat: quæ & in hac uita tranquillitatem animo afferat: & in futura testimonium apud summum Deum graue & firmum datura sit uitæ nostræ, & actionibus nostris omnibus. Eis autem qui dicturi sunt sententias, libertatem omnem concedendam arbitror, ut ne quid simulent, dissimulentue, quod in utramque partem dici possit, Prorsus enim indigni mihi uidentur tali cœtu, qui aliud sentiant, aliud loquantur. Quod cum aliàs uituperetur: tum uerò in eo loco ubi consilia quærenda sunt religionis tuendæ, animaduersione dignum uidetur. Neque uerò si libertas cōcionum improbatur, propterea libertas in Synodis dicendi improbanda est. Neque nos libertatem eam damus cōcionibus publicis ad populū, ubi controuersi nihil, certa omnia & definita dicenda sunt. Sed eandem ita in synodis requirimus, ut nisi adsit, prorsus synodos inutiles censeamus. Qualis enim ea synodus, ubi singuli dicere cogantur ea quę ecclesia recepit? cōtra ea ne mutire quidem ausint? Concionum hæc lex est, non deliberationū, neque disputationum. Nam qui mittendi sunt in conciliū, ut disputent & disceptent mittentur, non ut cōcionentur. Neque eorum sententia, qui in ecclesiam aiunt errores irripere non potuisse, in synodo nostra approbāda est. Quę sententia ut sit uera, nihil tamē ad eas disputationes proderit, cùm multos ecclesiæ errores aduersarij ostendere conabūtur. Quod ut illi nō facerent, multi tamen pij & docti uiri & nostra & patrū nostrorū memoria questi sunt de multis abusib. multisque errorib. qui per nimiā & diuturnā securitatē, ac potius pręsidū negligentiā in ecclesias inuecti sunt. Et quoniā multi in disputationibus, ecclesiā ferè in ore habent: eiusque titulo, quasi ab omni errore uacua sit, aduersariorū argumenta soluere nituntur: ideo sententia illa in aliud tempus reijcienda est. Et quemadmodum Geometræ à disputantibus postulant sibi concedi quædam, ex quibus tandem eliciant quæ uelint: ita in his disputationibus postulandum est nobis concedi, ecclesiam errare posse. Quid enim ecclesia est aliud, quàm cœtus hominum Christo credentium? Hos uerò errare posse, an non magno argumento nobis est Petrus, qui & Christum negauerit, & post acceptum Spiritum sanctū à Paulo reprehensus sit? Iam hęc pastorū oscitātia & ignauia nemini ignota, quem scientia rerum necessariarum cumulauit?

Xx Quòd

Quòd si pastores in errore uersantur, quid uicarij? quid item popu lus? an non locus erit prouerbio Euangelico, ut Cæcus cæcum ducens, ambo in foueam cadant? nam quòd aiunt, ecclesiam errare nõ posse: de uniuersali Ecclesia intelligendũ esse, docti uiri cõtendunt: quæ cum ex omnibus Christo uere fidentibus (ubicunq; gentium il li sint) constet, non dicetur errare, si aliqui erroris expertes fuerint, etiã si ingens multitudo errauerit. Quamobrem per tempus passi Christi, Ecclesia uniuersalis (quæ tum Apostolis & paucis quibusdam hominibus continebatur) errare non dicebatur. Quamuis enim Apostoli quoque ipsi in magnis tenebris erroris & inscitiæ rerum diuinarum tum uersabantur: tamen Maria uirgo & mater, religione in Deum sua pura & syncera ecclesiam ab erroris infamia uindicabat. Erat enim semper Christi Dei & hominis in primis colens: Christo'que id temporis pœnas scelerum totius orbis persoluenti, debitam gratiam pio animo iustis'que honoribus persoluisse putanda est. & hæc quidem est sententia Panormitani. Hæ igitur & similes disputationes si permittendæ non sint, cur concilium indictum est? Poterat Pontifex Romæ edicere, uera omnia esse quæ ecclesia docet: nec nationes singulas ad concilium hoc uocare, si disputationes in utramque partem fieri nefas esse duceret. Aut igitur Pontifex accusandus esset, qui concilio indicto occasionem hanc dederit disputandi: aut disputationes de religione licitas esse concedamus necesse est. Nam illud quidem ferendum esset minimè, ut condemnatio esset aliquorum dogmatum in concilio sine disputatione, ac sine ulla scripturarum collatione. omnem enim existimationem apud bonos & intelligentes cõdemnatio eiusmodi amitteret: nec à bonis & industrijs, Christia noq; nomini consultum uolentibus, sed ab inertibus, temerarijs, nihilq; in posterum prospicientibus, profecta uideretur. Cui enim tales cõdemnatores, spiritu diuino, qui iubet scrutari scripturas, & non potius maligno, qui se mendacem in ore prophetarum fore mi natur, se ad eiusmodi condemnationem actos persuaderent? Sit igitur in primis positũ hoc in nostris synodis, disputationes de rebus religionis per tempus hoc concilij necessariò admittendas esse: ipsamq; ecclesiam errare posse. Quòd si id inter pronunciata & sententias sponte sua & per se notas, quas cõmunes notiones appellãt, numerari nõ potest: numeretur saltem uel inter hypotheses, uel inter ea quæ in scholis uocant petita & quasi postulata. nisi enim hoc erit datum, nulla ad reliquas tractationes progressio fieri potest. Quid si illud in philosophorũ gymnasijs usitatũ, nos hic quoq; usurpemus? ut, quemadmodũ illi mathematicũ quidẽ nõ errare, sed homines in reb. mathematicis errare posse cõcedunt: sic nos dicamus Ecclesiam quidem licentius errare non posse, sed homines in rebus

ad ecclesiam pertinentibus errore implicari posse. Sed hæc disputatio omnis est longioris temporis, quam tamen ingressus sum, libertate ista utens quam in synodis boni, pij & prudentes requirūt. Ad eam uerò libertatem unusquisque conscientiæ suæ fide commoueri debet. Quid enim magis ad rem uerè & ex animo gerendā nos excitare, quid stimulos acriores nobis ad dicendam ueritatem addere posit, quàm conscientia recta, quæ & in latebris cordium, in recessibusq; animorum nostrorum dominetur: & sæpe in uultu emineat: & Deum habeat inspectorem, testem & iudicem suarum actionum: à quo tandem uel præmium uel uindictam rerum à se gestarum sit expectatura? Itaq; grauiter hoc facit Paulus, cum doctorem ecclesiæ ad militiam docendi sese accingentem, instructum esse uult fide non simulata, & bona conscientia. ab ea enim si qui aberrassent, eos ingens naufragium facturos esse salutis suæ. Sed ne quis latebras quærere conscientiæ uideri posit, certè qui dicturi sunt sententias, & iureiurando astringendi sunt ad dicendam ueritatem, & præmijs inuitandi. Etenim si in iudicijs legitimis, iure hoc à se inuicem litigatores exigunt, ut calumniam ac malitiā solenniter iurent, an hoc non iure fiet in re omnium longè maxima ad salutem animarū pertinente, ut quisq; iureiurando dicat quod è Rep. & ex dignitate religionis esse sentiat? Deinde si in Rebusp. benè constitutis præmia proponūtur benemerentibus, profectò ad rem hāc nouā & arduam omnes amplissimis præmijs eliciendi sunt. Proderunt enim & qui pro ueritate & qui contra ueritatē dicent: illi quidē religioni tuēdę, hi uerò hostibus propulsandis. aut enim minus feriēt, aut prorsus caueri poterūt tela pręuisa. Quid, quòd Pontifici huic Paulo Tertio in more esse aiūt, studiosè de reb. cōtrouersis disputantes audire? pręmiaq; constituisse disputantib. ipsis, omnibus quidē illis: sed ijs duplicata, qui uicissent, seu partiū sint catholicarū, seu diuersarum. Ita uir ille dum hanc disputandi rationē audire non aspernatur, ac mercede etiā uiros doctos ad illam excitat, status & summas controuersiarū cōdiscere potest. id quod ad iudicandū de re in primis necessarium putatur. Fieri enim non potest, ut rectè iudicent de rebus duabus, utra pręstantior sit, qui alterutram tantum norunt. Nos contraria ratione, negligenda putamus omnia ab aduersarijs usurpata: disputandi libertatem odimus: edictis ac religione à libris hæreticorum maximam literatorum partem repellimus. Quomodo igitur refellent illi aduersariorū argumenta, quæ nec lecta, nec audita, nec intellecta unquā eis fuerūt? Hęc ego dū dico, ò nostri Episcopi, dumq; expendo quales debeant esse & quibus rebus instructi, qui de controuersijs religionis dicant sententias non contemnendas: uideor mihi de Synodis singularum diœcesium ea dixisse, quæ inopia disputatorum & iudicum uix apud nos facul

tatem habere posſint. Cætera quidem de uiris delectis ad concilium mittendis, de deliberationibus publicis, de libertate dicendi ſententias, cõſtare adhuc mihi uidentur cum multis doctis & induſtrijs uiris. Sed quid de Synodis diœceſium? indici debent, nec ne? Et quidem ut indicantur, non patrijs tantùm, ſed gentium etiam moribus ac inſtitutis adduci debemus. Etenim illud eſt in moribus noſtris, ut et conuentus municipales pręcedant conuentum uniuerſorum, & Synodi diœceſium præeant Synodo prouinciali. Quid, quòd ratio ipſa, quæ lux eſt & lumen rectè factorum, nos huc uocare uidetur, ut quæ omnium ſunt, de ijs ad omnes referamus? Sed contrà nõ nemo fortaſſe iurè diſputauerit, fruſtra referri ad eos de re quapiam qui de ea capita conferre non poſsint. Quotus autem quiſq; eſt, qui ſtatus cauſarum quæ nũc in diſceptatione uerſantur, rectè intelligat, nedum ut ſententiã de eis ferat? Neq; enim diſsimulandum eſt, uix in ſingulis diœceſibus ſingulos eſſe qui ad earum cauſarum cognitionem animum inducere quiuiſſent. Religio enim obſtabat, & pontificum interdictiones. Et id quidem etſi nobis uitio dari non poſsit, qui à lectione librorum hæreticorum religione impediamur: tamen ad cauſam, qua de agimus, prorſus eſt inutile. Qualem enim ab eo expectes ſententiam, qui ſtatum cauſæ non nouit? tantum abeſt ut uel fundamenta aduerſarij habeat perſpecta, uel ea teneat quibus illa euertat. Multi noſtratium ſunt in eo errore, Lutheranos ſoli fidei iuſtificationem tribuentes, actiones bonas improbare. Qualem iſti dicerent ſententiam, de hoc iuſtificationis dogmate rogati? an non iuxta prouerbium fieret, ut de boue rogati, reſponderent de hircoceruo? Quid igitur, indicendæ ſunt Synodi, nec ne? Mihi uerò Eccleſia hoc iure fraudanda nõ uidetur, ut ea imprudente de tantis reb. fiant aliquę deliberationes. Etſi igitur per anguſtiam temporis fieri non poſsit, ut quiſq; pro eo ac par eſt pararet ſibi de tantis rebus copiam dicendi: tamen ſunt alia pręter dictionem ſententiæ prorſus Synodica, quæ à bonis & induſtrijs uiris egregiè pręſtari queãt. Poſſunt enim multi ea exponere, de quibus ad concilium referri neceſſe ſit: quibus uel plebs, uel ſtatus eccleſiaſticus, ſeu more recepto, ſeu lege aliqua pernicioſa grauatus eſſe uideatur. Poſſunt & eos eligere, qui ad rerũ tantarum tractationem deſignentur. Quòd ſi olim penes Eccleſiã ius erat eligendi ſuum paſtorẽ, an non optimo iure uniuerſis eccleſijs tribuemus, ut eos eligant tractandis tantis rebus, qui optimi omnium & doctiſsimi eſſe uideãtur? Dixi quantum potui de Synodis, qua ratione celebrari, & de ijs qui in concilium mittantur, à quibus eligi debeant. nũc de ratione eligendi reliquum eſt ut dicamus. Quoniam autem in tanta uarietate ingeniorum ac iudiciorum fieri non poteſt ut unus aliquis placeat omnibus, qui ſit ad rem aliquam idoneus: itaq;
non

non improbo sententiã illorum qui sortium ministerio in electionibus uti censent. Qua de re uelim, ne molestum uobis sit sententiã meam cognoscere. Quamuis enim sortes nõ improbem: tamen ne quis casui ac temeritati relinqui locus uideatur: existimo è re fore, si lecti forte alios postea eligant iudicio, quibus res agenda cõmittatur. Ita puto seruatum iri & Arithmeticã, et illam nunquam satis à prudentibus laudatam Geometricã proportionem in electione. Ex omnium enim numero in electores assumentur ij qui forte dati erũt: hi tamen ipsi ex optimis & doctissimis eligent eos, quos tanto muneri maximè idoneos fore iudicabunt. Sed age dicamus de ijs explicatius. Positis de more urnis duabus, quarũ altera nomina uniuersorum contineat, altera notas binas: eligendorũ scilicet & reijciendorum, sortes ducãtur. Tum aũt cuius nomen exibit unà cum nota eligendi, is elector esto: cuius uerò exibit cum nota reijciendi, is de eo numero excluditor. Neque est quod aliquis queri possit hoc modo se reiectum. cùm enim difficile & inutile esset omnes electores fieri, certè non alia eligendi uia cõmodior erit quam sortis uti ministerio: ut eius quasi arbitrio alij eligantur, alij numero eximantur. Et hoc quidem modo electores cõstituentur, quorũ numerus non sit maior denario: ideo etiã totidem notæ eligendorũ in urnam imponantur. quorsum enim plures essent? His uerò ipsis electoribus decem, potestas sit eligendi suffragijs uel uoce uel tabella latis, eos qui mittantur in Synodum prouincialem. Ac ne electores ipsi uel beneuolentia, uel cõmodi alicuius spe ducantur in eligendo, astringendi sunt iureiurando: ut ijs suffragentur, qui omniũ optimi, doctissimi, & tantæ causæ maximè idonei esse uideantur. Neque uerò necesse esse puto, ut suffragijs electi plures sint duobus. Sed si fortè accidat plures esse, quorũ tamen doctrinæ & uirtutis contentio sit perdifficilis: illi, si Synodo uidebitur, mittantur omnes in Synodum prouincialem: sin minus, res inter eos reuocetur ad sortem, tot notis eligendorum designatis, quot mittendi uidebuntur. Ita qui hoc modo ad hanc prouinciam uocabuntur, quoniam primùm suffragijs, deinde sorte uocabuntur, eam diligentissimè curabunt administrandam. Et hic quidem sit actus primus Synodi municipalis. Alij actus erunt in dicendis sententijs: exponendisque ijs rebus, quas ad Synodum prouincialem, deinde ad concilium perferri necesse sit. De quibus rebus nihil nunc dicere institui. Tantùm enim ea dicenda nũc mihi uisa sunt, quę uel Synodo cogendæ, uel ijs qui ad conciliũ mittantur deligendis necessaria esse uideanť. Superest, ut quoniã de diœcesana Synodo quantũ potuimus, diximus, aliquid etiam de Synodo prouinciali disseramus. Cuius primus actus erit in ijs eligendis, qui in concilium mittantur: ut ij tandem disputationes & deliberationes omnes quas in concilium perlatu-

 ri sint,

ri sint, omni diligentia & de alijs audiant,& ipsi secum expendant, ac animo cõprehendant. In quorum electione eandem quã scripsi puto seruandã rationem,ut primum Synodus decem electores sortiatur.Hi uerò decem iureiurando suffragentur quibus uelint: hoc est,illis qui optimi,doctissimi, & Reip.Christianę utilissimi fore uidebũtur. Vt uerò hęc electio per suffragia sit prorsus libera,neque electoribus necesse sit uel beneuolentiæ uel necessitudinis rationẽ habere,nõ mihi displicet ut tabellaria fiant suffragia : quę in urnam unam (una enim sufficiet) conijciantur : sic enim occultissima esse poterũt. Illud uerò ab electoribus iureiurando exigatur, ne suffragijs per tabellam ferendis, sibi ipsis suffragentur. cęterùm liberum sit illis suffragari quibusuis alijs : modò illi digni esse uideantur tanto muneri obeundo. Omnes aũt electores ternis suffragentur: itaque etiam ternis chartulis deligendorum nomina inscribant. Tot enim sufficere mihi uidentur,qui in concilium mittantur.Extractis postea suffragijs, numeranda sunt nomina tabulis seu chartulis inscripta : quæ nomina si trium fuerint tantùm, numerũ iam habebimus delectorum: sin pluriũ, trium nomina, qui plura (etiam si numero dispari) modò plura alijs tulerint puncta, seponantur: aliorum omniũ qui pauciora ꝙ tres illi, numero expungantur. Sin uerò terni omniũ maiores calculi,pluribus quàm tribus seruiant:pro singulis eorum, calculis paribus gaudentium, res seorsim reuocetur ad sortem: in alteram urnam nominibus eorum coniectis,in alteram notis binis: quarum una tantùm sit deligendi, alteræ omnes sint reijciendorum. Hac ratione ex omni numero ternorum calculorum,ad unos tandem alijs reiectis, uenietur. Ita tres habebimus delectos, qui in concilium ab ecclesijs Sarmaticis omnibus mittantur summa cum potestate. Atq; illud etiam in rem esse arbitror, ut notarij præstò sint qui omnia excipiant, & in literas publicas referant: ut ne quis postea, non ritè aliquid in Synodo actum esse, causari possit. Et hactenus quidem de ratione eligendi eos qui mittantur,dictum sit. Nunc reliquã promissi nostri partem absoluamus: quales scilicet delectos esse oporteat : quot uirtutib. & quanta eruditione ornatos. De quo quidem ipso non puto à me satis pro dignitate dici posse : sed tamen aliquid dicendũ est. Omnino enim & doctrina excellenti,& prudẽtia singulari,& uirtutibus multis præditos esse oportere, qui in hoc orbis Christiani concilium mittantur, omnes boni & prudentes uiri iudicant. Etenim uersari cũ laude in illa celebritate omnis generis hominũ, & in illo orbis theatro uiris doctissimis refertissimo, nemo magis potest, quàm qui propius ad eos ingenio,doctrina & iudicij acumine accedat. Non tam ibi generis claritudo ualebit, quàm morum elegantia : non tam diuitiæ,quàm doctrina : non tam authoritas ordinis,quàm sententiæ pondus.

pondus. ualeat domi nataliũ splendor, ualeant opes, ualeat authoritas: in concilio certè hæc omnia posteriora habebuntur doctrina & uirtute. Quòd si Themistocles, Atheniensium dux clarissimus, mauult bono uiro pauperi, quàm parum probato diuiti filiam suã collocari: præfertq; uirum egentem pecunia, pecuniæ quæ egeat uiro: an non et nos, omnibus quidem in rebus agendis: sed ijs præsertim quę in luce clarissima orbis Christiani uersabũtur, prę feremus eruditionem cũ uirtute cõiunctam, generi, diuitijs & authoritati? Tametsi, uerè si dicendum est, uera authoritas non aliunde quàm ex uirtutis & prudentiæ opinione apud bonos uiros comparatur. Neq; tamen id ita dictum uelim, quasi diuitiæ obsint ad res præclaras: sed ne earum maior ratio habeatur. Optandum enim esset, ut homines locupletes & dignitate præstantes, præstarent etiam alijs uirtute & eruditione. Sint igitur qui deligentur, à linguæ Latinæ facultate quamparatissimi. pudet enim persæpe eos loqui, qui celeres nõ sint ea lingua & exercitati: etiam si rem de qua loquendum sit, exactè norint. Linguæ Græcę habeant aliquam cognitionem: ut si loqui nõ possint, ea tamen intelligãt, quæ in cõtrouersiam ueniant. Multas enim cõtentiones inter uiros doctos in uerbi cõtrouersia positas esse certum est. Legi ego quosdam Theologos ferè triumphantes de uictoria in re prorsus falsa: id'que linguæ Græcæ ignoratione. Itaq; sępe aduersarij eos responso non dignãtur. satis enim conuinci possunt indicatione Gręcæ linguę: ex qua Augustinus noui instrumenti ueritatem, quemadmodum ex Hebræa ueteris, inuestigandam putat. Sed Latinam & Gręcam linguam qui teneant, multi apud nos inueniuntur. Hebræa uerò lingua etsi ipsa quoq; necessaria sit: tamen haud scio an sint tot studiosi illius apud nos, ut eorũ delectus haberi possit. Iam quis est q dubitet, delectos & Dialecticis & Rhetoricis, alijs item ingenuis artibus imbutos esse debere? in ea uerò ipsa Theologica facultate eos omnia antè lecta, meditata, & animo percursa habere oportere? Sunt qui hoc saxum multos annos uersent: adhuc tamen sudare coguntur, si quid antea non animaduersum, eis fuerit obiectum. Quid igitur hic faciant nouitij? Quos si Paulus repellat ab episcopatu, an nõ repelleret eosdem ab hoc certamine, ex cuius euentu & Episcopi cũ presbyteris & omnes populi deinceps pendêre cogantur? Non enim delectos inter turmales esse uolumus, sed inter duces: non inter pedarios, sed inter principes dicendæ sententiæ: non inter cæcos qui credere auditis cogantur, sed inter eos qui ipsi oculis uidere suis omnia possint. Nam q; quidã leui brachio putãt omnia in cõcilio agi oportere, errãt illi quidẽ, si quisquã alius, maximè: atq; haud scio an illud ex animo loquanẽ. Sed hoc prætextu adũbrare conantur pigritiã, oscitantiam, & inscitiam suã: nec probabiliter, nec satis

rectè. dum enim imperitiã suam dissimulant, eamq́ in se ferendam putant, hominib. imperitis & parum idoneis assentantur, illosq́ suis suffragijs ornare non dubitant. Quàm uerò id contra officium ab illis fiat, tempus ipsum & euentus aliquando declarabunt. Ego uerò nõ sum is, qui alicuius oscitantiã imperitiamq́ uel in Repub. uel in religione ferendã putem. In legatis uerò tantam diligentiam, tantamq́ doctrinã requiro, quanta fieri possit maxima. Panormitanus scribit, fieri posse ut aliquis unus rectius de religione q̃ reliquus uniuersi concilij Senatus sentiat. Illud etiã addit, in rebus religionis, sententiam unius alicuius priuati hominis, authoritate scripturæ diuinæ fultam, præferendã esse sentẽtiæ uel Papæ, uel totius cõcilij, quæ nõ adeò firmis scripturarum testimonijs nitatur. Quid igitur? utrum rectius fuerit, ut legati errore illo pudendo imbuantur, aliorũ opera totam illam prouinciam administrari debere, non sua? se enim tantùm numeri supplendi causa, ut pedibus in sententiam aliorum eant, utq́ in cõuiuijs & magnificentia ostentãda uersentur, eò mitti? qui quidem error socordiam eorũ alat, inertiam, leuitatem? an potius, ut cura eorũ augeatur, studium, industria ad res maximas: eis'que ita persuasum sit, quasi ipsi futuri sint ijdem illi de quibus Panormitanus scripsit, qui toti cõcilio uoce sua præeant, uniuersumq́ cõcilium eorum sententia niti queat? Et id quidem in cõcilio Niceno, quod ex trecentis decemocto Episcopis cõstabat, factum legimus, cùm Paphnutius uir sanctissimus, & inter postremos (ut uidetur) numeratus, uniuerso cõcilio contradicere ausus est: in eiusq́ tandem sententiam ab omnibus itum est. Quid igitur nos facimus, cùm illas quas suprà diximus uirtutes, requirimus in delectis: optimarũ artium cognitionem: theologicarũ disputationum peritiam: iudiciũ de ijs rebus, quibus religio & cœlestis Reipub. dignitas cõtineatur, quantũ fieri possit maximum? an'non palàm uocamus eos ad uigilantiam, laudem, honorem & dignitatem: deterremus autẽ à stulticia, ignauia, turpitudine & infamia? malumusq́ eos Augustinis ac Leopolitis similes esse, quàm earũ rerum quæ in controuersia sunt imperitis, quantumuis magnificis uiris? Neq́ uerò dubito, quin pleriq́ uestrûm in eadem mecũ sint sententia: quidam etiam plura in delectis requirãt: uerùm ego præcipua, quæ in illis requirãtur, enumeranda putaui. Cùm enim multa mihi, quasi rogato sententiam, de delectis dicenda forent: illum uulgi errorem, in quo plurimi uersantur, coarguendum esse duxi. Et quoniam facilè innascitur hominib. ingeniosis & doctrina excultis nimia gloriæ cupiditas, etiam atque etiam legatis opera danda est, ut ne à recta cõscientia uel latum unguem discedant: à qua qui deflectunt, eos quidem rei malè gestæ pœnam & in hac & in futura uita manere, certum est. Caueant igitur, ne maiorem putent rationem existi-

existimationis suæ quàm ueritatis habendam esse. Etenim plus existimationi seruire quàm ueritati, cùm in omni re seria perniciosum sit, tum uerò in causis religionis perniciosissimum. Sequitur enim illam gloriæ nimiã sitim pertinacia horrenda, bono ac prudente uiro indigna, et tuendi quod semel susceptum esset, & nunquam cedendi rectiora docenti. Sed boni uiri est, ueritati ingenuè assentiri, à quocunque mõstrata fuerit: sophistæ uerò, tueri suas opiniones, hoc est, consulere quouis modo existimationi suæ. Proponant sibi boni uiri ante oculos Deum humanarum actionum inspectorem: à quo in hac statione ueritatis tuendæ se collocatos putent: ab illo aut mercedem aut ultionem expectandam esse statuant, officij uel rectè uel malè præstiti. Quòd si quis putet de sua existimatione quicquã detractum iri cedendo, meliora docenti, is quidem uehementer fallitur: imò uerò ita statuendum est, non eum infamiam fugiturũ, qui obstinatè tueatur opiniones suas: dum uel non intelligat, uel intelligere nolit rectiores aliorũ sententias, quorũ alterum inscitiæ est, alterũ temeritatis. Neque nos, cùm in legatis requirimus doctrinam excellentem & singularem, ad temeritatem ac pertinaciam eos instructos esse uolumus: sed ut magno iudicio & dicenda sua & audienda aliorum sententia utantur. Sunt enim quidam peruersè docti, qui nec de suis nec de aliorum sententijs iudicare, imò uerò uincant disputando an uincanẽ, intelligere nõ possint. Sed tamen garriunt aliquid, ut ne tacendo uicti esse uideantur. Ego uerò illam requiro in delectis doctrinã, ut & aliorũ dicta intelligere, & sua cum illis rectè cõferre, quid ex propositis efficiatur, quid cohæreat, quid item repugnet, summo iudicio iudicare possint: ut in definiendo lenti sint, in affirmando circũspecti, in cedendo aliorum sententiæ cauti & candidi. Candor enim uel citra eruditionẽ laudem apud omnes, temeritas uel cum aliqua eruditione uituperationem meretur. Sed satis sit de delectis: nunc fortasse reliquum esset dicere, quibus in rebus synodus prouincialis consumenda sit. Quamuis enim in nostra synodo concludi ac definiri de religione nihil possit hoc tempore, cùm omnia in conciliũ reijcienda sint: tamen operæpretium fuerit, legatos domi de rebus omnibus in cõcilio tractãdis ijs instrui sententijs, quibus tecti postea, tanquam in acie tutò uersari possint. adde, quòd sententiæ publicæ à synodo eis cõmissæ, ob oculos eis quasi Delphica oracula uersabuntur. Cùm autem synodus hæc prouincialis maximam partem ex delectis singularum dioecesium constatura sit: non dubium est quin in tanto numero aliqui futuri sint optimis artibus ac uirtutibus ornati & instructi, qui controuersias huius temporis de religione perspectas habeant, & meditatas. Et libri multi sunt in utramque partem & à catholicis & ab aduer-

aduersarijs conscripti, qui materiã deliberationum suppeditabũt. Quos quidem libros aduersariorum si olim per edicta pontificia legere non licebat, nunc hæc dies aliud suadere ac postulare uidet. Necesse est, ut qui in aciem prodituri sunt, & hostium arma quantum licet cognita habeant: & sumant sua, quibus ipsi tecti hostem profligare possint. Quæ quidem controuersiæ, si ab omnibus qui erunt in synodo, omnes explicari cõmodè non queant, non inutile fuerit partes earum facere, earumq; singulas singulis uel potius binis delectorũ diœcesium ternis'ue dare: ut illi, cæteris cõtrouersijs sepositis, tanto diligentius de ea quæ eis obuenisset, cũ delectis ad concilium mittendis conferre, ac in utramq; partem disputare possint. Sed ipsi disputatores admoneantur, lege diuina atq; humana omnes teneri ad patefaciendum omnia quæ in utramq; partem seu confirmandam seu confutandam dici possint. Hoc enim nisi esset, sicq; tantùm pro receptis decretis dicendũ esset, inutilis mihi prorsus omnis hæc synodus uideretur: inutiles & delecti in concilium mittendi illis disputationibus quæ illic futuræ sunt. De quo quoniam superius, cùm de libertate sententiarum mentionem facerem, multa dixi, nihil necesse est ut hic plura uerba faciamus. Ita fiet, ut & disputatores sumptis ad hunc modum certis controuersiarũ capitibus, & inter se distributis, diligentius de singulis singuli in utramque partem dicere ac consulere, & ipsi delecti audiendo magnam suæ eruditioni accessionem, nõ ita magno labore adiungere possint. Hæc ego, Rex, & uos Episcopi, uosq; presbyteri & omnes populi, de hoc concilio Tridentino cogitãs, dicenda apud uos putaui: non quòd existimarem hæc omnia fixa atq; rata esse debere, (neque enim dubito quin aliqui sint inter uos qui rectius de tantis rebus dicere queant) sed ut solicitudinem meã uobis exponerem: meam aũt? imò uerò multorum mei ordinis hominum, quã in uobis qui ecclesiarum nostrarũ principes et columnæ sitis, aut non esse, aut exilem esse permirum est. In episcopis quidem qui proximè mortui sunt, nullam (quod ego quidem inuitus dico: Deumq; mihi malè propitium uelim, si quid hic obtrectandi studio à me dicitur: sed ueritas dicenda est, in hoc præsertim sermone, quo uos qui aura hac fruimini, à uita & exemplo mortuorũ estis dehortandi.) In episcopis igitur proximè mortuis, in quibus ob summa sacerdotia, quibus apud nos ornati erant, summa et doctrinæ religionis & unitatis in Ecclesia constituendæ cura esse debebat, in eis nullam fuisse, & uita eorum in alienissimis rebus semper uersata, & perpetuum eorum de tanta re ad sepulchrum usq; silentium, maximo argumento sunt. Vtinã uerò uos uel uestra sponte, uel nostra cohortatione ad hanc rem præclarã, multis seculis expectatam, omni studio,

dio,labore,industria incumbatis. Non debetis existimare, ut certè non existimatis,tantos fructus episcopatuū in res profanas,in conuiuia,in familiam,in supellectilem splendidā magis dēstinatos esse, q̄ ad religionē summi Dei rectè & ordine curandam. Qui ante uos erant, de litibus & iudicijs, de priuilegijs personarū in ecclesias recipiendarum,de barbis radendis, de rebusq; alijs non multum dissimilibus,leges condebant: de doctrina & de unitate Ecclesiæ nulla eos cura tangebat. Quid mirum? quibus enim studijs dediti fuerunt? an cùm honoribus & redditibus ecclesiæ aucti erant, studebant eruditiores fieri? nihil minus.Eos maxima presbyterorū turba secuti, ijsdem in rebus cum suis episcopis uersabantur: Ecclesiæ sub titulo securi in utramq; aurem dormitabant omnes. uenit interea inimicus homo,ut Christus dicit, et inter bonum semen lolium superseminauit. Quòd cùm messores in tempore eruncare neglexissent,creuit illud,& bonam seminū partem obruit. Euigilauerūt aliqui messores, ut aliquādo tandē excinderent lolium. Vocant illi iampridem sui ordinis uiros ex omni orbe ad segetem purgandā, uocat & Paulus Pont. Max. ceu signo ex arce pontificatus sui sublato, ad excidendum lolium, & segetum corruptores repellendos. Sed illi nihilo plus uocando apud nos adhuc profecerunt, quàm si ad sepulchrum mortuis facerent uerba. Indormiunt adhuc multi messorum tantæ rei: alij etiā ueterno occupati,extincti sunt. Quid igitur,ó Rex? quid ó Episcopi? dormiemus & nos adhuc? non patiemur nos excitari? Multa sunt quæ religio à uobis poscit & flagitat: sed haud scio an hoc omnium longè sit maximum, quòd uos uocet ad se curandam, tuendam ac restituendam. neque uerò uos in eos qui hos magistratus ante uos proximè gesserunt, intueri iubet: sed in illos maiorum gentium episcopos et principes, Ambrosium, Augustinum, Stanislaum Scepanæum, Stanislaum Scauincium,Ioannem Leopolitā: quibus nihil antiquius erat, q̄ religione docenda & instauranda, hominibus iter ad patriā cœlestem monstrare. Illorum uita & mores uobis sequendi,& maximè spectandi sunt, si uerè episcopos agere uelitis: illorū doctrina exprimenda,illorum actiones assequendæ,ut uos & uiui atq; præsentes ferant in oculis, & posteri suspiciant, utrique uerò domestica uos habeant exempla ad imitandū. Quod enim illustre ueteris disciplinę exemplum in episcopis ante uos apparuit? impensarum quidem infinitarum, sumptuum fructus annuos longè superantium, luxus plusquàm Asiatici, perquàm illustria. Intra annos ferè quatuordecim quatuor Archiepiscopos, unum post alium, habuit Polonia nostra: Episcopos etiam intra annos totidem singulæ diœceses multos habuerunt. Quæ autem tot Episcoporum merita, præter for-

fortasse decreta illa de litibus, de personis ecclesiasticis, & de rebus similibus, commemorari possunt in religionem summi Dei? Itaque fuerunt dies eorum pauci: & episcopatus eorum alij acceperunt. quidam morte insperata, alij morbis inusitatis, pauci exacta ætate perierunt. Sed in uobis, Episcopi, spes est fata illa deinceps mutatum iri, si uos non languori ac malo ocio, si non epulis ac supellectili splendidæ, si non equis ac rebus profanis (ut illi qui ante uos erant, faciebāt) totos dedideritis: sed, ut decet ueros pastores, uirtuti, doctrinæ, officio uestro excolendo. In quibus non uos pares esse uolumus reliquæ multitudini: sed, ut gradu & fastigio dignitatis cæteros superatis, ita superetis etiam illos ornamentis, ex quibus uera Episcoporum dignitas petenda est. Sic uos non hominum arbitrio ad prouincias uestras missos, sed diuino quodā munere è cœlo ad nos delapsos putabimus: qui temporibus istis, legibus patriæ emendandis operam nauetis, religioni in suam dignitatem restituendæ incumbatis. Quod si hoc uos prætermittitis, quid tandem populos uestros de uobis putatis existimaturos? quid exteras gentes? quid denique Deum ipsum de uobis decreturum? an'non putatis fore, ut dies uitæ uestræ sint pauci, & episcopatus uestros breui accipiant alij? Sed meliora de uobis speramus. Itaque Deum opt. max. rogamus, ut & honores isti sint uobis salutares, & uos Ecclesiæ CHRISTI sitis utilitati. Vestrûm etiam est ó presbyteri, et uos populi uniuersi precibus omnibus à patre Domini nostri IESV CHRISTI petere, ut nobis omnibus nostris'que Episcopis aspiret spiritum suum, qui se certè pijs tantùm & sanctis animis tanquam in templa sua insinuat: impios, uoluptatibus ac delicijs indulgentes, dominationem solam expetentes, religionis ac rerum honestarum doctrinam negligentes, negligit, & in cupiditates ignominiosas tradit. Deū igitur opt. max. suppliciter rogemus, ut ille misertus omnium nostrûm, ea per nostros Episcopos efficiat, quæ ad Ecclesiæ, hoc est membrorum, corporis'que CHRISTI dignitatem, utilitatem, & compactionem pertinere possint: ut deinceps, cum quibus communicamus baptismatis professione, cum quibus unum IESVM CHRISTVM confitemur, cum quibus communem legem, prophetas, Euangelium, communem CHRISTI mortem habemus, cum quibus eandem regni cœlestis hereditatem expectamus: cum ijs idem de Dei immortalis religione sentiamus, unum ouile efficiamur, lætiq; omnes expectemus diem illum, quo ex hac uita uocabimur ad uitam sempiternam: uerbaq; illa usurpemus quæ à Simeone Hierosolymitano simili in re usurpata accepimus: "Nunc dimittis seruos tuos Domine, secundum uerbum tuum in pace; quia uiderunt oculi nostri salu-

salutare tuum. Nihil enim ex omnibus rebus humanis præclarius, nihil homini Christiano salutarius, tanta animorum consensione, religioneq́ʒ summi Dei pura & integra: ad quam restaurandam, & suæ unitati restituendam, censeo, ut prius dixi, synodos mox indicendas: libertatem sententię dicendæ unicuiq́ʒ cōcedendam: uiros idoneos qui ad concilium mittantur eligendos: omnia quæ cōtrouersa sunt, quantū per temporis angustiam licet, pertractanda, atq́ʒ alia quæ ex religionis dignitate sint facienda. Audistis quæ concilio iam instituto facienda esse existimem, quæ utinam quàm erant magni mei laboris: tam sint alicuius apud uos pōderis. Quòd si qui sint quibus ea parum probentur, ijs quidem per me licet exponere quæ magis in rem esse uideantur. non enim alienum esse existimo, de causa publica publicè unumquenque sententiam dicere. Nam neq́ʒ potestas ulli per me adempta est, quo minus dicat, quod rectius esse sentiat: & ego si quid rectius audiero, non inuitus sententiam meam mutabo. Minore multò labore gratularer aliquibus nouos honores: quosdam etiam uerissimis laudibus multis ornarem: sed nescio quomodo animus ab hoc genere orationum abhorret, quæ sæpe non ueritati, sed temporibus tribuantur. Itaque ut hunc laborem, & officium nostrum, uti decet bonos & prudentes uiros, boni consulatis, neu in malam partem interpretemini, etiam atque etiam rogo.

DIXI.

ANDREAS FRICIVS MODREVIVS MARTINO ZALOGAE, AMICO SVO S. D.



Emini, MARTINE ZALOGA, cùm aliquando diceres, inuadi me à nõnullis solere, quòd alicubi in libris meis licentius, quemadmodum illi putant, carpserim uitia Reip. nostrę. De quo etsi me tibi, uiro prudẽti, satisfecisse, ut tum quidem res & tempus ferebat, nõ dubito: tamen uelim adhuc amplius cognoscas, an argumento quod tractauimus inconsentanea est ratio illa, uitia carpendi, à nobis usurpata. Quomodo enim qui de Rep. emendanda scribit, omittere debeat tum mores peruersos, quos corrigendos, tum uitia, quæ tollenda existimet? Sed modum fortasse in me desiderant notandorum uitiorum. Ego uerò, ut rè ut dicam, modum me istum excessisse non uideo. Nisi fortasse dicendum erat ita generatim: Desistite à uitijs uestris, ô populares: iudices rectè iudicate: præsides prouinciarum pacem publicam custodite, facinorosos comprehendite ac castigate. Rectè hoc quidem dictum fuisset. Sed oratio eiusmodi, breuitate sua uix alicuius perculisset animum. Nobis uerò uisum est, species uitiorum omnibus ponere ante oculos: deformitatem eorum explicare: pœnas non resipiscentibus denunciare: atq; omnes ad mentem meliorem reuocare. Quid igitur? an hoc agenti, multa rem circunstãtia non erant attingenda? Et tamen, quod à bonis scriptoribus seruari uidemus, à nobis quoq; seruatum est: ut uitijs hominum carpẽdis, nominibus eorũ parceremus. Sed, inquiunt, uitia illa in Polonia à Polonis patrata esse, nos disertè dixisse. Hõc uerò mihi ab aliquo uitio uerti permirum est. Nulla unquam sub hoc sole natio erat, quę malos bonis mixtos plurimos non haberet: de quibus scriptores inter illos nati tacere non potuerunt. Narrat C. Sallustius Romanos, Carthagine extincta, multum à uirtute maiorum degenerasse. Cœpit, inquit, nobilitas dignitatem in superbiam, plebes libertatem in libidinem uertere: sibi quisq; ducere, trahere, rapere, Remp. dilacerare. Ita cum potentia, auaritia, sine modo modestiaq; inuadere, polluere & uastare omnia: nihil pensi neq; sancti habere, quoad semetipsam pręcipitauit. Quoties autem idem scriptor repetit uocem illam, Omnia Romæ uenalia esse? Nec illam reticet, quam Iugurtha, Roma egressus, & eò sæpe tacitus respiciens, fertur dixisse: Vrbem uenalẽ, & maturè periturã, si emptorem inuenerit. Scripserunt similia omnes ferè historici, qui non tantùm de politijs, sed etiam de rebus sacris aliquid prodiderũt. Extat liber Saluiani episcopi Massiliensis,

Sall. in Iugurt.

de uero iudicio & prouidentia Dei, in quo totius generis humani uitia acriter insectatur: sed nominatim Afros, & in his Carthaginenses: ad hæc Italos, & in his Romanos: deniq; Gallos, & in his Aquitanos: Hispanos insuper & Treuiros carpit. Dum enim iudicia Dei iusta esse comprobare, neminemq; nisi culpa sua puniri & interire, demonstrare nititur: res & suæ & superioris memoriæ plurimas recitat, & in exemplum adducit: uitiaq; gentium, quas dixi, sic exponit, ut ea ante oculos ponere uideatur: idq; usq; eò persequitur, ut illis Barbaros, Gothos & Vandalos cultu uirtutis anteponat: à quibus nationes & populi illi uicti & subiugati essent. Eandem scribendi rationem tenuerunt prophetę, uiri sancti, populo Iudaico exprobrando uitia sua, & scriptis mandando: quę nunc à toto orbe leguntur. Nam nec sacerdotibus pepercerũt, nec prophetis, nec regibus, nec cuncto populo. Hinc illæ eorum uoces: Sacerdotes contempserunt legem meam, & polluerunt sanctuaria mea: cæci omnes, nihil nouerunt: canes muti, non ualentes latrare. A' prophetis Hierosolymitanis profecta est pollutio super omnem terrã: ne igitur eos audiatis: decipiunt enim uos: uisionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini. Reges terræ fornicanť cum meretrice magna, purpura gẽmis & auro ornata: quæ poculũ aureũ propinat orbi, cuius uino sunt inebriati omnes ubiq; populi. Quid de sacerdotib. dici potuit turpius, q̃ cęcos esse omnes, quorũ labia scientiã custodire: mutos esse, qui populo Dei uoluntatem annunciare deberent? Quid fœdius de prophetis, quàm ab eis impietates & blasphemias proficisci, quibus uniuersa terra polluatur? Quid de regibus flagitiosius, quàm eos nutus omnes obseruare unius meretricis, quæ sit ad inebriandum illos egregiè instructa: quæq; orbem terrarum, uenenato suo poculo inebriet & dementet? Hæc & infinita huiusmodi alia à uiris sanctis dicta & scripta sunt: literis mandata: & ad perpetuam memoriam consignata. Quod igitur hoc uitium est, si & ego charissimam mihi patriam reprehendam, ut illa mecum unà (non enim minus nobis scribimus quàm alijs) resipiscat: & ea uitet, quæ in se notari molestè fert? Neq; enim cõsector ullum conuicijs: sed crimina quædam noto, quæ in factis eorum fundamenta habent qui discedunt ab officio. Adhibui reprehensiones acriores. nempe enim præcepta nuda parum proficere putabã, nisi oratio eiusmodi addita fuisset, quam audientes, qui uitijs aliquibus laborarent, pungerẽtur, & ab illis desisterent: qui carerent illis, gauderent, & in cultum uirtutis incumberent. Neq; dubito, quin boni & modesti nostræ gentis homines in corrigendis patriæ malis, mihi sint subscripturi. Patienter tulit Dauid rex, & conuicia Semeis, & lapides quibus ab illo petebatur: milites q; qui eum interficere uolebãt, prohibuit, dicens hæc Dei iussu fieri: sperans q; pro hominis maledici conuicijs,

Ezech. 22.
Esaie 56.
Hier. 23.
Apoc. 17.

Dei benedictionem. An & qui exprobrat hominibus scelera sua, animo quidem illo simplici & bene merendi cupido, non Deo impellente id facere putandus est: qui tandem resipiscẽtibus bona rependit, pro hominum maledictis? Neque ego ignoro plerosque homines sic esse, ut se laudari gaudeant, reprehendi moleste ferant. Imò, quod deterius est, malunt permulti falsò laudari, quàm uerè reprehendi: qui, ut inquit propheta, dicunt uidentibus, Nolite uidere: & Esa. 30. aspiciẽtibus, Nolite aspicere: sed loquimini nobis placentia. Verùm bono uiro spectandũ est, nõ quod quis audire malit, sed quod se dicere deceat. Gratior fortasse oratio nostra multis fuisset, si patriam ornassem omni laudum genere. Verùm, an non puditũ esset nos nostri inter nos? Omnino conscientiæ nostræ morsus extimularent nos, laudesque immeritas uel tacitè repudiarent. Me uerò tractatio ipsa argumenti instituti prorsus coegit, ut labes criminũ adhærentium ostenderẽ, tumoresque inueteratos quasi digito demonstrarem, in quibus inesset sanies morbi putrescentis uaria & copiosa. Hoc ante nos factum esse, & adhuc fieri uidemus, ab ijs qui in laude uirtutis & uitiorum reprehensione uersentur: ut ab his homines dehortentur, ad illam inuitent & alliciant. Et quid adhuc consecuti simus nostra scriptione, non uideo. Futura aũt in manu Dei sunt: cuius nisi adsit fauor & benignitas, frustra & Paulus plantabit, & Apollos rigabit. Neque tamen his cessandũ in officio, etiamsi profectus non appareat: sed Deus rogandus, ut det incrementum, ac conatus fortunet nostros. Ad extremum, defensionis nostræ summa sit illa. Qui de se dici nolunt aliquid, id ut ne faciant, caueant oportet. Excindendæ enim omnibus linguę forent, ut tacerent quod uisu auditu'ue percepissent. Qui uerò scribi nolunt id quod factum est, hi historiam tollant ex rebus humanis necesse est: cuius est illa lex, ne quid falsi dicatur, ne quid ueri prætermittatur, ne qua suspicio sit gratiæ in scribendo, ne qua simulatio. Spero me tibi & alijs uiris moderatis fecisse satis. Sed tu nosti miram iudiciorum iniquitatem, & uoluntatum acerbitatem multorum hominum: quos non tam offendit hæc uitiorũ notatio nostris scriptis magis adumbrata quàm expressa, tametsi id solum prætexant, quàm nostrum hoc studium totum quo illis uidemur uel gratiam aliquam conciliasse nobis, uel opinionem quandam eruditionis apud nonnullos bonos uiros. Mirus enim fastus est & tumor seculi huius: & fastidium eorum qui cum flagrent immodico sui studio, & existimationi suę incredibiliter indulgeant: tantùm putãt de illa detrahi, quantum uident alios ad aliquam uirtutis honestatem contendere. hinc enim exaggeratio isthæc tragica eorum quæ moderatè dicta sunt. hinc maliciosa interpretatio uerè & simpliciter expositorum. hinc detractationes & infamationes, hinc periculorum intentationes inno-

innocentibus,ac etiam benemeritis. Qui uerò sic affecti sunt, an putas illis placiturum fuisse, uel si sola præcepta à nobis posita fuissent, absq; ulla acrioris castigationis mentione? Ego uerò tales non alia re placari posse sat scio, quàm si sileremus, nobis tantum uiueremus, ipsos admiraremur, actiones illorum in cœlum ferremus: nec quicquam, nisi annuentibus & approbantibus illis, aggrederemur. Hos autem nos dimittamus cum bona gratia: ac nostro hoc qualicunq; labore seruiamus quãtum possumus, ijs qui nostram tenuitatẽ non aspernentur. Cur enim studium ponitur in literis? cur opera cum uigilijs & sudore impenditur artibus bonis, si nõ ex his licet quicquã proferri in commodum aliorum? Nemo unquam erat, quamuis in officio diligens, ac negocij sui bene gerens, cuius diligentiam ac industriam non reprehenderent ignaui, imperiti non contemnerent, maleuoli non insectarẽtur & carperẽt: ut mirandũ nõ sit, nos à multis despici & contẽptui haberi, qui minus ualeamus & ui ingenij, & eruditionis facultate, & labore studij, & operis effectione. Sed hæc tamen qualia & quantacunq; sunt, cur non seruire debeant honestati & utilitati publicæ? præsertim hoc tempore, quo magis uidemus in hominibus uigere ambitionem & curam Reip. & quæuis studia potius quàm religionis exerceri. Lapides omnino loqui necesse esset, si homines tacerent, ac muti esse omnino uellent. Quo magis te amo mi Zaloga, qui hos studij nostri labores qualescunq;, tuearis & ornes. Grata mihi officia sunt tua: quæ, ex quo me complexus es, mihi præstitisti. Verùm hoc tuo officio mirificè gaudeo: teq; etiam de uirtute ipsa mereri iudico: qui ipse conscius tuæ, si quid eius in quocunq; aspicias, id amplectaris, ac tanti facias quanti dignum est. nec hominum splendorem & opulentiam, quæ uulgus hominum sola admiratur, intuearis: sed dotes, quibus quisque præditus sit: quásque ualeat conferre ad rem uel publicam, uel aliquorum priuatam, si modò sint qui uti uelint. Vale: Anno CHRISTI 1555, Calendis Iunijs: ex conuentu Petricouiensi.

IOANNES IUSTINIANUS ANDREAE FRICIO MODREVIO S. P. D.



OANNES Oporinus bibliopola Basiliensis, amicus idem tuus, & idem noster, misit ad me Basilea superiorib. diebus Opus tuũ de Republica emendanda: petijtq; à me per literas, ut eo perlecto ad se scriberem, quid de illo sentirẽ. Quòd cum esset mihi extemplò ad eum rescribendum, ut uix fuerit suppeditatum ocium trium quatuor'ue capitum Operis ueluti per transennam inspiciũdi, scripsi in calce longioris epistolę uerba hęc: De opere Fricij, quo me planè beasti, habeo gratiam. Quod autem meum iudicium exquiris, nondum opus per occupationes perlegere licuit, tantum aliquot capita delibaui. Cæterùm uidetur author uir bene doctus & facundus, opus ipsum plenum bonæ frugis, & sanè quàm luculentum, deniq; his exulceratißimis temporibus ualde accommodum, postremò dignum Cœlij nostri iudicio, dignum opera & industria tua. Hæc cursim ad illũ. Nunc ad te, uir doctissime, idem'q; Deo dilecte, illud mihi dicendũ occurrit. Nempe cum per hos dies egregium uirum & præstantißimũ præsulem dominũ Ioannem Mauritium Drouitium Polonum officij gratia domi conuenissem, ibiq; de doctrina & eloquentia hominum tempestatis nostrę sermo incidisset, atq; hic multa de alijs tum nostris hominibus, tum etiam transalpinis nobis dicta essent: ille, quo mihi fidem faceret esse in sua Sarmatia uiros, qui nomẽ doctißimorum hominum simulq; eloquentiũ sustinere ac tueri facile possent, ostendit librum tuum de Republica emendanda, paulo antè abs te sibi missum: simulq; epistolam ad se tuam, in qua erat scriptum, te Apellis more post tabulam latitãtem, iudicia hominũ aucupari. Huic ego, quum & haberem me quoq; idem Opus dixissem, & quid de illo sentirẽ aperuissem: is magnopere lætatus, ut qui te mirificè diligit, me hortatus est, ut ea de re aliquid ad te scriberem: si id fecissem, se probè curaturũ meas literas ad te perferendas. Hæc tam prompta tamq; alacris officij mihi aliàs optatißimi à tãto uiro exhibitio, nõ potuit mihi non esse tum gratissima, tum uerò etiã iucundißima. Quid enim homini humaniorib. hisce literis instituto uel gratius uel iucũdius potest accidere, q̃ sibi doctißimorũ atq; optimorũ uirorũ beneuolentiam conciliare? ut quos bonorũ similitudo studiorũ coniungit, eosdẽ cõiungat similitudo etiã animorũ. Sed ut ad opus tuũ ueniã, hoc est, ut aliquid sutor ultra crepidã: Etsi nõ ego is sum, mi Frici, q tantũ mihi arrogẽ, ut facile poßim de doctißimorũ uirorũ monumẽtis iudicare: tamẽ pro ea mẽsura, qua me quoq; Dominus ex sua largitate dignatus est, ausim affirmare, nullũ Opus in eo genere in

lucem exisse supra mille annos, quod ęquè fuerit è Republica, quod que cum pari uel fructu uel etiam uoluptate legi posit: ut facilè credam, aliquod numen iam humano generi placatius tibi fuisse in consilijs, dũ ea scriberes. Atq; utinam quàm tu sapienter, addo etiã fortiter, rem tantam complexus es: tam illi facilè audirent, quorum ea maximè omniũ intersunt, quæ abs te cùm perspecta sunt acutè, tum tradita eloquentissimè, quæ quidem illis esse deberent prima omniũ ac pręstantissima. Sic enim facilè fieret quod est à sapientissimo Platone dictum diuinitus, Beatas utiq; fore Resp. in quibus principes aut philosophi essent ipsi, aut certè amatores philosophorum. Nam, per Deum immortalem, quid à te est prætermissum, quod ad regnum Sarmatiæ tuæ beatum efficiendum pertinere uideatur? Mitto efficiendum beatum: certè liberandum his malis, quibus nescio an quicquã excogitari posit pestilentius. Nam per Deum hominumq; fidem quid esse potest exitialius, quàm inter eos homines uiuere, quibus nõ ex iure gentium, aut deniq; more hominum uiuatur, sed pro sua cuiusq; libidine (modò is sit nobilis, aut locuples) sit cuilibet ius uitæ ac necis in imbecilles & infirmos? An non præstaret in media Libya inter immanissimas belluas, quàm inter huiuscemodi mores uiuere? Siquidem ferę aut ingenio uitari, aut obsequio deliniri, aut arte cicurari possunt: at hominẽ natura ferum, moribus barbarum, legibus infrenem, atq; in libidinem suam ruentem atquè præcipitem, qua ratione uitare, quibus obsequijs delinire, quibus artibus queas uincere? Et mehercule cùm ea legerẽ, quę abs te summo cum animi tui dolore scripta sunt de impunitate homicidarũ, (id est, de scelerum, flagitiorum, impietatum omnium quæ dici aut fingi possunt licentia) sic sum cõmotus, ut nõ potuerim mihi temperare, quin in illud præstantiss. Vatis prorumperẽ: *Quod genus hoc hominum? quæ ue hunc tam barbara morem Obseruat patria?*— Profectò unum hoc est eiusmodi, ut facile posit humanissima quæq; ingenia perterrefacere, atq; ab omni uestra ditione auertere, fugare, abalienare. Quis enim erit paulo deteriore fortuna, humiliore ue cõditione, qui uelit ibi hærere, aut omnino pedem ferre, ubi cuiq; insolentiori (cuiusmodi ferè sunt hi, de quibus agitur) quidlibet liceat? An non hoc est lupos & agnos in eandem caueam concludere? Dij talem terris auertite pestem. Quo magis laudandũ est Opus tuum: laudandum ingenium atq; propositum: laudandus animus, qui nullius ueritus offensionem, omnia posthabẽda cõmuni saluti, & cum primis laudi patriæ iudicaris. Macte igitur isto animo atq; uirtute, clarissime uir Frici: sic itur ad astra. Et tu quidẽ functus es officio boni uiri ac ciuis: præstitisti enim Regi tuo fidem, quam ei uel natura, uel munere quo fungeris summam debebas: exhibuisti ciuibus tuis, & uniuersæ patriæ studium & amorem planè paternum: ostendi-

ostendisti optimo & doctissimo cuiq;,quantum ualeas ingenio,do ctrina,eloquentia. Probasti denique summo iudici & cognitori arcanorum consiliorum Deo, mentem atque animum tuum. Reliquum est,ut summis precibus rogandus sit, is qui & monit animum,& promouit conatus tuos, quò id efficeres: ut moueat etiam corda principum,atq; eorum potissimum mentes excitet, quorum id maximè omnium interest, ut ea uelint atq; agant, ut ne quid detrimenti, iuxta ueterem formulã, Resp. capiat: deniq;, ne fabulam surdis cecinisse uideamur. Et mehercule nescio quare ulli homini politico,ne dicam Regi aut Principi,qui habeat uel micã salis,ea negligi debeant,quæ & dum fiunt,mirificam habent iucunditatem:& ubi sunt facta,cùm quandam in hac uita pariunt fœlicitatem, tum in altera beatitudinem animorum & nominis immortalitatem parant. neglecta uerò, neq; turpitudinis notam apud homines effugiunt:neq; apud Deum,ad cuius tribunal sistendi sunt,reddituri rationem uillicationis suę,supremum illud atq; exactissimũ iudicium euadunt. Atque hæc tantum de lege homicidiaria nobis sint dicta. Quòd si ad reliqua pergã, uereor ne alueum suum egressa epistola, exundet latius.Illud tantum dicam,nimirum me sic statuere,utique esse qui ea cupiunt quę tu,eademq́; ita tractant,itaq; agunt ut tu,diuino aliquo numine esse afflatos, atq; instructos. Sed hactenus de re ac ueluti materia Operis tui.Nunc quid dicam de forma & cultu & ornatu,hoc est de toto genere dictionis tuæ?Nam cùm,ut pręclare inquit Orator,omnis ex re atq; uerbis constet oratio:neq; uerba sedem habere possint,si rem subtraxeris: neq; res lumen,si uerba semoueris: ita ipse utrumq; coniungis. Etenim sic uerba ornas partitis expressisq; sententijs, sic rursus illustras sentẽtias luce uerborũ, ut nihil possit esse præstãtius.Itaq; Opus illud eiusmodi esse statuo, ut cupiam in omnes omnium Christianorum linguas traduci,ac ueluti propagari:ut cùm ad plures peruenire,tum ab ijsce facilius percipi possit, quos ea scire atq; agere maximè interest omniũ, estq; omnino è Rep. Atq; ne id me frustra cupere existimes, iam librũ unũ utiq; de bello tuum,in Hispanum transtulimus:idq; in gratiam serenissimi Maximiliani Bohemiæ regis fecimus.Etenim cum uiderem ob communis hostis uicinitatem, eandem ferè esse rationem Bohemiæ Pannonięq;,quæ est Polonię ac reliquę Sarmatiæ,cum Scytharum Turcarumq; gente:propterea id egimus,ut eum quoq; regem ad eandem causam excitarem, ac ueluti armarem, atq; accenderem. De te uerò atq; Opere uniuerso tuo quid scripserim,in mea ad regẽ ipsum præfatione, malo te ab ipso domino Mauricio, utriusq; nostrûm amantissimo,qui eam uidit,quàm ex meis literis cognoscere. Quinetiam ad reliquum opus uertendum operam meam Regi inclyto sum pollicitus:qui si id [illegible] ctum sibi gratũ fore significarit, equi-

Equidem nullum laborem in ipsius Maiestatis gratiam sum recusaturus. Atque utinam nostri Principes tam sana consilia fouerent, quàm iucunda amplectuntur: profectò non pigeret, id quod restat uitæ in Opere sanctissimo cùm in Hispanū, ut cœpimus, tum etiam in Ethruscum sermonem uertendo ponere. Sed de reliquis taceo. Hunc certè librum à me trāslatum, prima quaq; occasione mittam ad Serenissimum Bohemiæ Regem, idq; manu descriptū: alterum itidem exemplar ad regem Angliæ fortasse etiam mittetur. quod quidem non erit absq; insigni nominis tui celebritate: neque enim quicquam scriptorum tuorum quauis lingua translatum, legi posse arbitror, quin id sit magna cum tua laude coniunctū. Habes meū de Opere tuo iudicium. Nunc autem si quid de me scire cupis, cætera quidem cognosces ex D. Mauritio: illud unum ex me audies, me utiq; esse hominem tui, tuiq; similium studiosissimum: hoc est, summæ atq; excellentis, qualem in te esse statuo, uirtutis admiratorem. Tu si me qualicunq;, rebusq; meis utèris, facies pro tuo iure: cuius quidem rei potestatem tibi facimus his literis, quas quidem uolumus apud te habere uim syngraphæ, non epistolæ. Vale: Patauij, 6. Cal. Iunias. 1555.

ANDREAS FRIGIUS MODREUIUS IOANNI IUSTINIANO, AMICO suo S. D.



INCREDIBILEM cepi uoluptatem ex literis tuis IUSTINIANE, sententiarū & uerborum bonitate plenis: ac multa suauitate humanitatis & amoris in me tui conditis. Quibus literis quòd tantùm mihi tribuis, quantum ingenij mei tenuitas sustinere non potest: uideo hoc à singulari amore atq; beneuolentia tua proficisci. Quam ego in te esse, homine doctrina atque optimarum artium studijs erudito, minimè miror. Est enim illud eruditionis & uirtutis proprium, ut qui ea præditi sint, cùm sibi ipsi confidant, alienæ etiam uirtuti, quamuis impari, non inuideant: sed & amplectātur eam, & ornent. Itaq; Ioanni OPORINO, amico cōmuni nostro: DREVICIO item, uiro amplissimo, ac utriusque nostrûm amantissimo, gratiam habeo: qui causam tibi dederint cùm scribendi ad me, tum ita sentiendi de studijs hisce meis, in quibus uersamur pro nostra mediocritate. Quæ in legem homicidiariam scripsisti, dici non potest quàm dolorem meum renouauerint, refricatione ueteris querelæ meæ. Quæ etsi ipsa in me non conquieuit: tamen cum diuturna tractatione callum uetustatis obduxisset, parum sentiebatur ab animo rebus alijs occupato. At lectæ literę tuæ,

quibus magna cùm uerborum tum sententiarum grauitate rei indignitatem exaggeras, dolorem mihi, quasi morsu recenti, effecerunt. Quòd si hæc quæ commemoras, tibi, qui à conspectu procul es, stomachum mouent: quid si hîc, ubi res aguntur, causa hæc tibi agenda esset? à me quidem tenuius quàm pro dignitate tractata est. Verùm quod potui, præstiti. Scripsi abhinc annis ferè duodecim Orationes quatuor, de istac eadem lege homicidiaria: dolore magis quàm ulla eruditione conspersas. Eas misi OPORINO nostro. Spero aliquando ab illo euulgandas. Tibi autem hæc studia nostra, & hoc opus de Emendanda Rep. intantùm placere, ut dignum iudices quod in linguas alias uertatur: eiusque rei tu ipse nõnihil effeceris: mirificè gaudeo. Ipsisque literis magnam habeo gratiam, quæ etiam in naturis tardioribus, tanquam agris sterilibus, id efficiant, unde cultorem non prorsus pœniteat laboris & impensarum. Ego uerò mi IUSTINIANE, iudicium hoc tuum, hominis & docti, & sua uirtute confidentis, opponere non dubito obtrectationibus quorundam: qui animo ipsi ieiuno & angusto, non aliunde clari uellent euadere, quàm operibus alienis calumniandis. Verè enim Dreuicius scripsit, non deesse in hac patria, qui nullo emolumento suo, mei tantum opprimendi causa, omnes aucupentur occasiones maledictis insectandi studia nostra. Et addidit quidem Dreuicius, consolandi mei causa, CHRISTI seruatoris nostri exemplum: qui ipse in omnes quidem, sed in suos præcipuè beneficus, ab ijsdem mala perpessus est uel omnia, uel certè plura quàm ab alienis. Quod exemplum mihi, & omnibus qui eandem religionem profitemur, propositum est ad imitandum, & ad mala omnia toleranda. At tuum de meis scriptis iudicium propriè pertinet ad me: mihi quidem contra hominum & multorum & potentum & gratiosorum maleuolentiam maximum, maximeque necessarium. Quid enim illud: Opus hoc eiusmodi esse statuo, ut cupiam in omnes omnium Christianorum linguas traduci, ac ueluti propagari? Et illud: Iam librum unum utique de bello tuum in Hispanum transtulimus? Et illud: Cùm omnis ex re & uerbis constet oratio, ita ipse utrunque coniungis, ut nihil possit esse præstantius? Et illud: Ausim affirmare, nullũ Opus in eo genere in lucem exisse supra mille annos? Hęc si ego nõ maiora multo esse uideam, quàm mereatur paruitas mea, amens sim. Sed tamen delectat me uehementer hominis eruditi, & nulla maleuolentia infuscati præclara uoluntas cùm in me, tum in eos qui specimen aliquod edant artium optimarum. Sol mihi mediusfidius, legendis tuis, ab Alpibus ad nos usque radios porrexisse uisus est: quibus discuteret nebulas istas maleuolentiæ, ac potius tenebras odij & obtrectationum. Spero equidem te diuino numine impulsum esse, ut tanta liberalitate utereris efferẽdo hoc Opere: cuius

re:cuius editio ſummam mihi multorum cõflauit inuidiam. Tu uerò non contentus laudibus, quibus meam mediocritatem proſequutus es, perquàm largiter: facis etiam poteſtatem mihi, utendi tui ac rerum tuarum. Quod & ego amplector cupidiſsimè: & uiciſsim ad te defero ſtudia, operas & res meas qualeſcunque: quibus utinam declarare mihi liceat, quanti te faciam. Sin id nunquam conceſſum erit: illud tibi polliceri non dubito, officium hoc tuum nullo unquam temporis ſpacio apud me obliteratum iri.

Vale, 1555. die 7 Auguſti,

Volboriæ.

FINIS.

ERRATA.

Pag. 16. uerſ.26. dubij nota 22.12 patefaciant 24.20 Hierem.13 29.14 diuinam 39.1 Pœnis 16 Eſt autem 41.20 illi. 56.34 exportationes 95.19 ſed 99.19 Nam abhorrebant 117.8 importunis 146.9 probandus (fortè) 150.4 tamen 259.21 mortis 267.33 Chriſtianorum 265 ad marginem pro 1 Ioan.14, lege 1 Ioan.4 305.20 effectus 306.14 Mineruæ 319.18.19 concubinis 330.1 incipit 345. ult. eccleſiarum 349.17 fortè, feſtis 352.39 æſtimãtur. 353.35 quemadmodum 416.5 an & operibus 455.34 ſanguis 437.35 accerſiui 501.33 pollicendo 585.18 non 480.2 Chriſti 35 manducat 589.37 temporibus 669.17 quorum 674.22 patronorum.

Zz 2



RERVM ET VERBORVM IN ANDREAE FRICII OPERIBVS memorabilium INDEX.

carceri

Christo-

D

 plum

E

in Ebrie-

G

hominis

notarij

822

Origo.

S

tem-

uerita-

INDICIS RERVM ET VERBORVM FINIS.

LOCORVM S. SCRIPTVRAE IN OPERIBVS ANDREAE FRIONI, explicatorum INDEX.

128 Labore

9 Pau

FINIS.

AD GENEROSVM DOMINVM D. NICOLAVM DLVSIVM POLONVM, de Operibus D. Andreæ Fricij CARMEN.

ORnare Spartam FRICIVS nactam volens,
Quantum potest, quantum iubetur legibus,
Ruentis in peius statum Poloniæ
Erigere tentat, publicaq́ grauem Rei
Casum minanti fulcra solida subijcit:
De Rege condens, de Senatuq́ inclyto
Leges, de Equitibus, cæterisq́ subditis.
Nec non studere Ecclesiæ patres iubet
Concordiæ: quò vinculo eius omnia
Constare possint, corruant discordia.
In omnibus purè sonari vult locis
Natum Dei, nostræ salutis arbitrum.
Tum religionis capita puræ maxima,
Dubijs repulsis explicat fideliter,
Igitur ei cedat Draco, cedat Solon,
Huic Lycurgus cum Platone det locum.
Natura quod dictabat ipsis, in suas
Clausere leges, prorsus ignari sacris
Oraculis latæ DEI sententiæ.
Afflatus hic sancto νομοθέτης Spiritu,
Natura quæ iubet, suo quæ prodidit
Verbo DEVS, coniungit, optimam docens
Legum tuendarum viam consistere
Non posse, primus omnium verbo Dei
Ni sit locus, diuinitusq́ traditis
Scriptis, secundus æquitatis omnia
Naturæ ad ipsam dirigentis regulam.
Hic Tullio Demostheniq́ libera
Facundia certat disertus FRICIVS.
Quid plura? quantum debet, & quantum potest,
Confert abunde FRICIVS Poloniæ,
Patrisq́ nomen promeretur patriæ.
Quæ si benigni hanc audiet tubam Dei,
Florens, ut antè, pulchra, libera, nobilis,
Multarum eritq́ domina gentium potens.
Et talibus beata viuet patribus
Diu, patronis nec carebit optimis.

Sin

Sin ſpreuerit digitum exhibens medium, DEI
Uocem benigni reſpuit: non FRICIVS
Quæ condidit ueneranda legum dogmata:
Nec ultione debita fraudabitur.
Inultus haud uidetur à nobis DEVS.
Huc Dluſianæ gentis inclytum decus,
Seu quis genus ſpectet tuum, bona plurima
Seu corporis, ſortis'ue, doteſq; ingenij,
Ades, benignitate pro ſua DEO
Perſolue mecum, debitaſq; gratias:
Septena quòd ſeruat fouetq; millia
Studioſa pietatis, ſuiq; amantia.
Migraſſe uideatur licet metus Dei,
Fides, pudor, cum ſanctitate, ueritas:
Furor imperet pro fas pioq; barbarus:
Contemptio iuris, Deiq; pauperum
Oppreſſio, luxus, doli, uiolentia:
Conatibus faueto FRICII pys,
Prodeſſe communi ſtudentis patriæ,
Natum cui ſe nouit, haud ſolum ſibi.
Nec, erudita lectione conſequi
Et plurima quicquid datum eſt, reconditum
Maluit auaro conſecrare pectori,
Quendam ſibi doctum ſequens Calphurnium.
In te meus qualis, piumq; FRICIUM,
DLVSI, fauor, tuamq; ſit Poloniam,
Hic eſt iambus teſtis integer, Uale.

IACOBVS HERTELIVS.

GENEROSO CVM PRIMIS ATQVE MAGNIFICO VIRO, D. DANIELI SCHILINgo, ciui Vratislauiensi, Domino Suo in primis colendo, IOANNES Oporinus S.



VOD & cõmuni hominum Reip. felix ac faustum, & Deo huius Reip. autori gloriosum sit: Iam tandem denuò in lucem prodit ANDREAE FRICII Modreuij de Emẽdatione Reip. Opus, ut magno applausu à pijs atque doctis hominibus exceptum prius, ita nõ minore desiderio à pluribus expectatum postea. Neque id sanè iniuria: quippe cui simile non dicam intra mille annos (ut uerè de eodem, doctiss. uir IOANNES IVSTINIANVS, in sua ad Fricĩũ epistola, quę ipsi Operi ad calcẽ adiecta extat, pronunciare ausus est) sed omnino à condito orbe, in hoc quidem genere, nullũ aliud uel ueterum uel recentiorũ unquã hactenus editum fuerit, meo quidẽ iudicio. Liceat enim & mihi, in mea quasi arena uersanti, liberè efferre quod sentio. Prodit aũt dimidia parte, quàm antea, auctius: idque accessione tali, ut uix quicquã aliud maiore cum fructu atque oblectatione à doctis pijsque legi, aut exulceratissimo huic seculo salutarius exhiberi posse uideatur.


Cæterùm quòd in eo excudendo hactenus aliquantũ cessatũ est (qua quidẽ re desideriũ eius apud cõplures magis etiã est auctum) non tam mea culpa, quàm fortunæ (sic enim appellare in præsentia liceat) inuidia factũ est: quæ me superiori anno ita uexare cœperat, ut parũ abfuerit quin de edendis in posterũ libris omnẽ ferè spem abiecerim. Sed noluit DOMINVS, ut ex hac quasi statione de Rep. pro mea quoque uirili parte bene merẽdi, me subducerẽ. Quin uires modumque dedit, ut cùm ad alia non pauca, tum in primis ad hoc præstantiss. Opus rursus publicandum adhuc sufficerem. Ita enim omnino sentio, & me non falli persuasissimũ habeo, non sine DEI Opt. Max. consilio ad hoc uitæ genus me iam olim, ab alio quod initiò institueram, abreptũ fuisse: in eoque contra tot fortunæ iniurias, totque improborũ hominũ (ne quid grauius dicam) insidias, tantis laboribus atque curis tam constanter ferendis, tam sedulò hactenus perdurare. Vnde fit, ut non modò traditæ mihi huius à Domino Spartæ in hunc usque diem nunquã pœnituerit, uerumetiã immori (quoad uitã producere in his terris licebit) diuino huic muneri cupiã: parũ interea curans, quid de eo statuant Alastores quidã.

Extat apud Hesiodũ (nisi fallor) memorabilis sentẽtia: Optimos esse illos, qui ipsi cõsilio prudentiaque pollent: proximos, qui illis obtẽperare sciunt, eorumque præceptis discendis incumbũt. Quibus equidem eos adiungendos putarim, qui utrisque his pro uirili fouendis & sustentandis, & ut ad quãplurimos etiã alios eorundẽ fructus perue-

perueniat,promouendis operā nauant. Et sanè fuisse semper iam inde à rerū origine,qui optimis atq; sapiētiss. à se scriptis libris,inq; mediū propositis, ornare iuuareq; Remp. sunt conati, abunde tot hactenus in lucē edita, & subinde magis ac magis emergētia tum ueterum tum recentiorū, idq; in omni doctrinarū genere,monumenta testantur. Non defuisse uerò singulis quoq; seculis,qui quū uel ipsi præscribendi alijs facultate destituerentur : uel aliò pro diuersa quisq; ratione uitæ abrepti, ea quidē parte prodesse Reip. non possent,aliorū tamen conatus ac studia fauore atq; opibus promouere studerent,non pauca extant principū uirorū exempla : ut ex ueterū quidem memoria,Ptolemæi,Alexandri,Augusti,Mæcenates : nostra uerò,Alfonsi,Ferdinādi, Vueitmoseri,Paungartneri, Fuggeri, & si qui sunt alij,aut deinceps erunt, ueluti raræ inter densa nubila micantes stellę. Et quanq; rariores fuerunt huius generis præstātes uiri,tamen fuisse semper aliquos cōstat, qui reliquæ hominū turbæ prælucerēt,& suis in Remp. beneficijs æternā sibi apud posteritatē gratiam atq; memoriā ponerent. His non immeritò accensere aliquis possit eos etiam,qui quum opibus nequeant,studio certè atq; operæ nihil parcentes,omnes in eam rem uires, omnes curas intendunt,ut quæcūq; salubriter ab alijs tradita sunt, quantū in ipsis est, omnib. cōmunicanda,omniumq; manib. atq; usui tractāda proponātur. In horum cœtum iure optimo referri uel in primis tu quoq; potes,generosissime D. DANIEL SCHILINGE, qui non solum in hoc prēstantiss. FRIOH Opere paulatim ac toties,per tanta locorū interualla,ut rectè ac tutò eius singulæ partes perferrentur curādo, tuam nobis operam nauasti,ac fidem (qualē in huiuscemodi officio par est) summā declarasti (qua quidē re cùm ipsi FRICIO ac nobis, tum uerò uniuersa Reip. gratificatus, magnam ab omnib. publicorum cōmodorum studiosis gratiā inijsti) uerùm etiam quibuscunq; alijs potes officijs, deuincire tibi ornareq; ac promouere bonarum literarū uirtutumq; studiosos,unà cum fratre D. FREDERICO, diceris : id quod ipse quoq; FRICIVS noster ingenuè fatetur. Macte ista uirtute ac studio,mi D. DANIEL,uir istis bonis dignissime,quibus Deus opt. max. te hactenus ornauit: deq; bonis ac doctis bene mereri perge: neq; inter postrema fortunæ atq; familiæ tuę decora hoc etiā esse existima, q; inter eos censeri iure opt. potes, qui suo fauore & liberalitate eos fouent atq; sustentāt,qui Reip. suis lucubrationibus illustrandæ, ornandæ, promouendæ toto pectore incumbunt. Neq; uerò quorundā te improbitate absterreri patiare, qui tantum abest ut bonarū artium ac ueræ sapientiæ studiosos colant aut sustentent,ut ueluti iurati Reip. omnisq; probitatis hostes, eos publicis etiā calumnijs proscribāt, igni & aqua arceāt, & quantum in ipsis est,etiā cōmuni aere priuent. Næ illi inter eos meritò censendi

sendi sunt de quib. Hesiodus in eo quē antea citaui loco memorat: uidelicet, eos qui nec sapiūt ipsi, nec sapientib. obtemperant, homines esse nihili. Atq; utinā tantum nihili essent hi homines, ac nō insuper eos qui aliquid sunt, summa ope læderēt. Tales sunt, qui edito nuper in Italia Catalogo proscribūt, & quantū in ipsis est, è rerum natura tollūt, nō solū optimos atq; doctiss. quosq; autores, qui suis lucubrationib. illustrare hactenus Remp. & gloriam DOMINI pro uirili promouere sunt conati: sed & publicos Musarum ac Dei opt. max. Notarios TYPOGRAPHOS, illorū monumētis, in lucem edendis summa fide ac studio uacantes. Hic mihi meritò ardet animus in pectore, & grādiores oris hiatus requirit, ad euomendam hanc iustissimi flammā doloris. Atq; utinā mihi, amanuēsi uestro, ô MVSAE, pro tot & tantis in hunc usq; diem exantlatis uestra causa laboribus, hic saltē tantisper numeros animosq; suppeditetis Archilochi, dum publicos istos latrones, & humani generis capitales hostes, ad laqueū, quo dignissimi sunt, adigā. O' cur uel mihi uolēti facultas, uel ijs qui possūt uolūtas deest? Cur nō huc cōmuniter incumbunt omnes homines literati, ut cōmunes literarū hostes communi literarū ope iugulēt? Qua mēte tuētur alios literę, si in seipsis tuēdis ignaui ac segnes sunt? Aut aduersus quos hostes alios, uires suas reseruāt? Cur nō hic existit tanto oneri par aliquis, cui nostra præla, ô q; alacriter, seruiant? Interea i Thoma, curre ocyus, iube hæc cōfestim prælis subijci, ut meæ certè uolūtati (quādo uires desunt) nunc strenuissimā operā nauent, & hęc etiā atq; etiā ad posteritatem imprimant. Sed quis me poeticus furor abripit? Quæso da mihi ueniā, mi D. SCHILINGE. Fuit effundendus, pręsertim apud tam amicū uirum, dolor animi mei iustissimus, ex indignissimo scelere conceptus. Verùm illis Reip. pestibus iam omissis, dignis sanè qui sempiterna obliuione deleātur: tibi, mi D. DANIEL, & mihi interea, idq; seriò atq; ex animo gratulor, qui Diuinæ erga nos beneuolentiæ ope instructi atq; adiuti, omni studio ac fide nobis in hoc incumbendum ducimus, ut quantum in nobis est, doctorum piorumq; scripta promoueamus, & ad posteros propagāda curemus.

Hæc libuit ad Operum FRICH nostri umbilicū adijcere, atq; ita ueluti generosissimo Falerno qualemcūq; hanc hederā suspendere. Debere enim me hoc putaui & singulari meæ erga Friciū obseruantiæ, & tuis in utrunq; nostrûm officijs. Quæ quo animo accepturi sint improbi, nihil moror: probis uerò, hoc est, tibi tuiq; similibus, & in primis Diuinæ benignitati, me meosq; in Remp. literariam simul & Christianā conatus atq; labores, etiam atq; etiam commendo. Vale, Basileæ: pridie Calend. Septembris, Anno CHRISTI M. D. LIX.



BASILEAE, EX OFFICINA IOANNIS OPORINI, ANNO SALUTIS HUmanae, M. D. LIX, Mense Augusto.

Car. 5 Apo igns [illegible] cula rawijs n bis.


LEGATORIA A. PANDIMIGLIO
ROMA